


1/6

Em.B.T.N.

III. Em.B.T.

IV.

V.

VI. (VII,830)

VII.

VIII.

IX.

X.

XI.


XII.

p.23

pag.23. de

472. De

p. 121 De



... Michaelis interpretatione ... v. Conybeare's Bampton L. p. 270

Em. B. T. N. III, 553 Recensio Programm. I. II, VI. VIII. IV. X. XII.

III. Em. B. T. III, 280. G. Tesneri Isag. 1010

IV. X, 755 [illegible] opusc. p. 406 u. 416

V. VI, 474. [illegible] V, 362

VI. (VIII, 880) X, 358 * N I, 180 *

VII. VI, 474

VIII. * III, 324 VI, 478 N. I, 893.

IX. X, 468 N. B. IV, 329.

X. X, 934

XI. VI, 474

XII. X, 368.

[illegible] 245 [illegible] — de [illegible] de [illegible] p. 50 [illegible]

De [illegible] in Em. B. T. VI, 732 — 762

M. p. Leibnitzii [illegible] V, 157.

333 [illegible] Em. B. T. X, 478

p. 521 [illegible]

p. 590 de [illegible] Em. [illegible] XXI 359. de [illegible] Hist. 341. [illegible]

p. 8 [illegible] Em. XXX & Em. [illegible]

p. 190 § 18 — cf. Em. B. T. II, 356

445 de historia interpretationis [illegible] Em. B. T. IX, 597 — 712

447. Conybeare's Bampton Lectures p. 208

469 Idem, p. 252

477 [illegible] — Conybeare p. 262

[illegible] 23 [illegible] p. [illegible]

[illegible] 23. de Interpretatione Latina — Aquila — Symmacho cf. p. 472. Interp. p. 23


[illegible] } G. Opusc. Philol. 312 414. 246

Interp. 267

472. De Scientia Gram. Hebr. qua Graeci doctores carebant. Phil. Orig. 368 cf. Philol. 296

Nulla salus literis hebraicis, nec inde manat accurata interpretatio, atque subsidio Analogiae linguarum, graecae in primis et latinae, quibus vel omnino destituti, vel certe illarum [illegible] non [illegible], omnia et etymologiis [illegible] Em. B. T. X, 718.

[illegible] De praesentia. — Em. B. T. VI, 703. Leibnitii sententia, * 732 — 762. * [illegible] p. 55 — 57 Em. B. T. N. IV, 342. [illegible] p. 87 [illegible] B. T. VI, 249. 747 V, 140 — cf. VI, 732 — 762






Anton Graff pinx. — I. F. Bause sculps. Lips. 1768

D. IOHANN AUGUST ERNESTI

IO. AVG. ERNESTI

OPVSCVLA

THEOLOGICA.



EDITIO SECVNDA AVCTIOR.

LIPSIAE

SVMTIBVS CASPARI FRITSCH

A. C. CIƆIƆCCLXXXXII.

LECTORI

S.

Cum Opusculorum Theologicorum ab ipso Io. Augusto Ernesti anno millesimo septingentesimo septuagesimo et tertio editorum exempla paullatim ita divendita essent, vt vix vnum relinqueretur, et multorum summum eius libri desiderium significaretur, curavimus, vt denuo accurate typis exscriberetur. Sed ne quid illarum dissertationum, quae inde ab illo anno et deinceps a Viro summo scriptae essent, intercideret, sedulo elaboravimus, vt con-

conquiſitae illae et collectae, huic novae editioni adiungerentur. Itaque hoc opus multis nunc partibus auctius, et ſumma, qua fieri poterat, fide expreſſum reddimus, habemusque perſuaſum, fore, vt ex omnium voto ac ſententia id nos feciſſe iudicemur. Dat. Lipſiae ipſis nund. vern. MDCCXCII.

PRAE-

PRAEFATIO
IOHANNIS AVGVSTI ERNESTI

Non putaui fore, qui eorum etiam, quos de rebus theologicis, per varias occasiones, scripsi, libellorum, corpus fieri vellent, eiusque rei potestatem a me peterent; praesertim cum eorum multa ab initio exempla facta, quosdam etiam separatim aliquoties repetitos scirem. Sed cum id saepius a me esset petitum, cessi tandem voluntati nuper petentis, et caussas illius voluntatis suae probabiles commemorantis. Feci igitur, quod in tali instituto necesse est, vt me ad eos lectione diligente recognoscendos, et, si qua opus reperissem, castigandos darem: quamquam id iam ante factum erat in iis, qui prela iterum subirent: inprimis his, qui sunt *de Eucharistia et de disciplina Christiana.* Hoc

quidem tempore, inprimis *Anti-Muratorium* libenter recognoui, quod is mihi libellus, pluribus de caussis, nec tamen illis ad vanitatem pertinentibus, carus et est et esse debet. Nec tamen fuit magnopere, quod adderem, vel confirmandi vel illustrandi caussa; cum et perspicua omnia reperissem, et nihil contra eum vspiam susceptum esse cognovissem, quam vt in Indicem librorum prohibitorum referri iuberetur; quod Romae ante hos fere duodecim annos factum, ad me scripsit vir doctus, qui tum in Italia erat peregrinatus. Nondum videram, quo tempore ista scripsi, *Assemanni* V. C. *Codicem Liturgicum*, in cuius libri quarti principio est de *Origine Liturgiarum* disputatio, et alia brevior, eiusdem libri quarti parte tertia (p. 181.) contra nostratium Liturgias. Nec vero in his reperi postea, quod mihi vel ad illustrandum magnopere prodesse posset, vel ad refellendum necesse esset commemorare.

In disputatiuncula de *triplici Officio*, quod Christo tribuit vulgaris libellorum scholasticorum consuetudo, accessere quaedam, pauca tamen, vel ad illu-

illuſtrandum, vel ad confirmandum profutura. Ratio mea explicandae rei non placuit nonnullis, quibus nec placere in ea re volui. Mihi ſatis eſt, eam et ad recte intelligendam rem permagnam, cauendasque et opiniones ſtultas et fraudes phantaſiae, prodeſſe poſſe, et ita ab euidente ſcripturarum ſacrarum interpretatione ductam eſſe, vt confidere poſſim, neminem ea, quae dixi, refellere legitima diſputatione poſſe. Sed multi lucem illam non amant, maluntque figurarum vmbris et ipſi eludi, et eludere alios. — Bene iſta habent omnia, ſcripſit mihi aliquis, non ille de vulgari genere: at ita multae bellae ſententiae (meditationes) eripiuntur ad populum dicentibus. Neſcio an ſerio hoc. At ego has bellas ſententias, rectius phantaſiae plebeiae oblectamenta dixeris, non amo, quarum ludibriis et liberari Chriſtianorum mentes cupio, et vt ipſe liberarem, tum in hoc, tum in aliis generibus, ſemper elaboraui, et quoad potero, elaborabo.

Quae *de modo doni linguarum* ſcripſi, ſecutus legitimam interpretationem loci inprimis Paullini,

 etſi

etsi nemo refellere instituit rationibus grammaticis, quae in hac re valent solae: tamen vnus et item alter, opinionem vulgarem et a pueris susceptam, quae illud donum ad docendi facultatem refert, malle sequi se ostendit: ex his vnus nuper, qui praetermissa interpretatione, maxime hoc niteretur, hoc vrgeret, quod Paullus in Arabia se docuisse diceret; vnde consequens esse, vt arabice loqui potuerit, quod eum non aliunde, quam ab illo dono habuisse. Nempe ita et olim vulgaris rationis auctores colligebant, parum accurate ac vere. Fac autem, Paullo rem fuisse cum hominibus, qui vnam arabicam, vt tum erat, linguam callerent. Non ergo potuere intelligere linguam hominis, aut ipse illorum, quae ab sua tantum vt dialectus alia discreparet: cum Hierosolymis et reliqua Palaestina intelligerent homines ex Arabia ortos; id quod perspicuis sacrorum librorum exemplis discimus. Sed potest Paullus graece ibi locutus esse, et ita locutum esse non dubitamus. Nam Ecclesiae quidem in Arabia antiquissimae, Graecae fuere, Graecos Episcopos habuere, plura per secula, Beryllum,

lum, Titum Boſtrenum et alios, qui et graece ſcripſere, quos etiam ad Concilia graeca miſere, vt Antiochenum, Epheſinum, Chalcedonenſe: vt alia mittamus. Neque enim attinet multa diſputare aduerſus homines rerum antiquarum parum peritos. Nuper riſimus hominem Romanum, non illum ineruditum, qui Marcum defendebat Euangelium ſuum latine ſcripſiſſe, non ille nixus, vt antea ſolebant Romani, exemplo Veneto, ſed hoc maxime, quod Romanis illud deſtinatum miſſumque conſtaret: ad quos latine ſcribere neceſſarium fuerit, quod maxima eorum pars, nempe plebeia illa, linguam graecam ignoraret. Non id ſimillimum illi eſt? At facile tulerim, homines vulgarem illam opinionem tenere: modo ſibi tenerent tacite, nec alios in intelligenda oratione Paullina impedirent, quae, vulgari illa ratione probata, intelligi non poteſt, vt doctiſſimi quidam viri iudicauere.

Aliud, quod hoc tempore ſuper huius voluminis libellos dicerem, non habui. Quod

ſi cui eorum lectio ad rerum ſacrarum vel in cognoſcendo perſpicuitatem, vel in aſſentiendo firmitatem, profuerit, operae a me pretium erit factum. Vale. Scripſi d. XXII. Martii A. C. CIↃ IↃCC LXXIII.

INDEX
OPVSCVLORVM THEOLOGICORVM QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

IV. De-

INDEX

XXII.

ANTI
MVRATORIVS

SIVE

CONFVTATIO

MVRATORIANAE

DISPVTATIONIS

DE REBVS LITVRGICIS

ANTI
MVRATORIVS

Cum Vitebergam quondam ſtudiorum cauſſa veniſſem, VENERANDE DEYLINGI, vigebat etiam tum *Io. Guilielmi Iani*, quamquam aliquot annis ante mortui, memoria, et inter iuuenes, ſacrarum literarum ſtudia aemulantes, ſumma cum laude celebrabatur. Etenim qui ſupererant ex eius diſciplina, nihil eo praedicabant excellentius fuiſſe, vel in dogmatis theologicis explicandis, vel in hiſtoria Eccleſiaſtica enarranda. Neque enim communia modo illa tradidiſſe, quae ab vnoquoque alio tradi ſolerent, et e quouis compendio vtriusque doctrinae diſci poſſent, ſed multa exquiſitiora e reconditae eruditionis copia protuliſſe, multa de difficilioribus ſacrarum literarum, et veterum Eccleſiae ſcriptorum, locis elegantius obſeruata, multa de monumentis antiquis, eorumque vel in Theologia vel in hiſtoria vſu, multa de libris melioribus ac rarioribus; vt facile intelligi poſſet, ſi illi diuturnior vita contigiſſet, quantam vel vrbi celebritatem, vel ſtudioſis vtilitatem allaturus fuiſſet. Fuit ſane vir ille Theologi prope perfecti exemplum. Nam cum dogmatum ſcientia ea, quae e ſummis corporibusque doctrinae hauritur, omnium bonarum literarum ſcientiam coniunxerat. Ab excellenti illa Schurzfleiſchiana diſciplina, in qua TV quoque huius TVAE exquiſitae et elegantis doctrinae amorem et initia percepiſti, profectus, itineribus per Galliam, Britanniam, Batauosque, matura iam aetate atque doctrina, factis excultus et locupletatus, denique ab hiſtorica cathedra, in qua aliquot annis cum laude ſederat, ad theologicam adſcenderat:

ſtudium autem doctrinae, vel legendo vel cogitando augendae, tantum fuerat, vt nec valetudini, nec imbecillitati corporis parſiſſe diceretur.

Sed illa veteranorum, de qua dixi, praedicatione, vt alios, ita me quoque memini incendi, vt legere cuperem, quae audire non potuiſſem, vt Dictata in *Neumanni* Aphoriſmos, in Compendium Hiſtoriae Eccleſiaſticae Gothanum et alia. Deſcripſi etiam Lectiones de Vnione Eccleſiaſtica inter Lutheranos et Reformatos ineunda, quibus nihil plenius et eruditius in illo genere vidi. Atque his legendis fateor tum eſſe mihi vel incenſum vel auctum ſtudium elegantioris doctrinae Theologicae, comparanti hanc felicem et elegantem copiam cum compendiaria aliorum ieiunitate et elementaria paupertate. Sed cum eodem tempore audirem *Bergerum*, in Inſtitutionibus diplomaticis, quas ille vocabat, omnium publicarum literarum vſum, vel in hiſtoriae partibus vniuerſis, vel in doctrina quacunque, etiam in Theologia, demonſtrantem, adfirmantemque nullam dogmatum publicorum eſſe certam hiſtoriam, niſi quae a Conciliorum et Liturgiarum, Legum etiam fontibus duceretur: aduertere animum in iſtis Ianianae doctrinae reliquiis maxime ea, in quibus eum rationem hanc ſecutum videbam: quod fecerat maxime in loco de Euchariſtia, vbi Liturgiarum veterum auctoritate Eccleſiae noſtrae ſententiam vel illuſtrarat, vel defenderat; quod eum etiam duobus Academicis libellis feciſſe non ignoras. Primum tum mihi cognita ſunt *Bonae*, *Renaldotii*, *Bretti* et aliorum Liturgicorum ſcriptorum nomina, et ſimul ſtudium iniectum Liturgicae rei, quae, vt fere ſolent, quae prima aetate adamantur, ſemper poſtea prope prae ceteris antiquitatis Eccleſiaſticae partibus mihi iucunda fuit. Itaque cum ante aliquot annos L. A. MVRATORIVS, clariſſimi vir nominis, duo Sacramentariorum veterum volumina, *Liturgiae Romanae Veteris* nomine, edidiſſet, in quibus eſſent, quibus adhuc caruiſſem, cupide emi opus, praeſertim,

ſertim, cui longa diſputatio, non modo de iſtis Sacramentariis, ſed de re Liturgica vniuerſa adiuncta eſſet: in qua, ſpem faciebat fama viri, multa me inuenturum ante incognita, et alibi vix reperienda. Sed cum abſoluiſſem eam diſputationis partem, quae ad edita ibi ex antiquis libris Sacramentaria, Leonianum, Gelaſianum, et Gregorianum antiquum, pertinerent, ecce beabar alia longe maiori diſputatione, quae *Bingamo* maxime oppoſita, Eccleſiae noſtrae doctrinam diſciplinamque vehementer oppugnaret, telisque vteretur, non modo e Liturgiarum chartis, ſed etiam veterum libris ſcriptorum, depromtis. Multa ibi reperiebam indigna nobis, plura indigna viri fama, etiam humanitate et moderatione, quam ipſe olim libro proprio Theologis ſuaſerat. Quamquam commouebatur indignitate rei animus, et conatus erat, reprimere hominis impetus: tamen, cum alia in manibus haberem, putaremque, e Theologis aliquem, aetate adhuc vigentem, extiturum, qui hic bonae cauſae defendendae, et laudis quaerendae materiam ſibi datam putaret, continui tum quidem animum, ceterum, cum iam ſex anni praeterierint, nec quisquam, quod ego quidem ſciam, id negotii ſuſceperit, rediit priſtina voluntas eius libri refellendi.

Atque ego non ignorabam, locum hunc de Euchariſtia, quoad in eo nobis cum Romana Eccleſia intercedit controuerſia, ita eſſe et a noſtris Theologis, in his a TE, VIR VENERANDE, et a Geneuenſibus, cum alias, tum per famoſae illius de perpetua Fide diſputationis occaſionem, ita diligenter tractatum, ita omnia excuſſa et cum puluiſculo exhauſta, vt omnis de eo diſputatio conſumta videretur. Itaque admirabar primum, cum eam recoqui a *Muratorio* viderem, ſuſpicabarque, noua, eaque ſubtiliora ac ſpecioſiora argumenta ab eo eſſe inuenta, quibus carere rem publicam Eccleſiae Romanae nollet. Quae quantum me fefellerit opinio, non eſt, vt hic dicam: res ipſa declarabit. Sed tamen huius inſtituti conſilium

TIBI me probaturum confidebam, si non alia de causa, certe hac, quod mihi videbatur esse verendum, ne ipsum viri doctrinae veteris laude florentissimi, et moderationis simulatione probatissimi, nomen apud parum peritos veritati officeret, essentque, qui defuisse magis, qui posset, quam, qui vellet ac necessarium putaret, Muratorianis respondere.

Atque etiam, quicquid molestiae habitura erat haec disputatio apud animum meum, qui mallet vera docere, quam falsa refellere, et laudare recta, quam praua arguere, id omne absterfit cogitatio TVI, cuius imago identidem scribentis occursans et obuersans animo, et erectum retinuit studium, et animaduertendi diligentiam acuit, et laetiora mihi omnia et hilariora effecit: praesertim, cum haec scriberem recenti adhuc gratulatione, quae TIBI facta erat nuper, cum TV annum quinquagesimum explesses, ex quo primum sacerdotii munus obieras. Nondum enim extinctus erat sensus laetitiae illius, quam tum, cum TVA priuatim, tum publice rei Lipsiensis Christianae caussa, cum bonis omnibus ceperam. At TVA quidem caussa laetatus eram, quod doctrinae copia et praestantia, virtutis integritate, meritorum magnitudine, adde beneuolentia in me, perfeceras dudum, vt TE et omnibus rebus felicibus dignissimum putarem, et omni parte felicissimum cuperem: rei Christianae Lipsiensis autem caussa, quod intelligebam, quantas ei tot per annos, vt alia taceam, vel concionandi perspicuitate et grauitate, vel exempli disciplinaeque domesticae seueritate et sanctitate, vtilitates attulisses. Illa quoque cogitatio mirifica voluptate repleuit animum, cum vniuersae rei publicae Lipsiensis in eo genere felicitas occurreret, cui hac nostra aetate contigit, vt tam diuturnos ex iisdem Viris fructus posset percipere. Annus amplius est, cum ornare rem publicam literarum in hac vrbe desiit CHRISTIANVS FRIDERICVS BOERNERVS. Ei ad quinquaginta muneris Professorii, cum magna laude administrati,

annos

annos non nisi tres defuerunt. At etiamnum fruitur ciuitas (atque vtinam diu fruatur) sapientia et prouidentia IACOBI BORNII, CHRISTIANI LVDOVICI STIGLITII, IOANNIS FLORENTIS RIVINI, Virorum Illustrium, quorum illi quidem breui quinquagesimum senatorii muneris annum, rari exempli felicitatem, gratulabimur, horum alteri iam ante hos quinque annos, alteri ante tres, eundem Doctoratus annum gratulati sumus. TV vero, VIR VENERANDE, nostra pro illis vota precibus TVIS sustentabis: nos interea Deum rogabimus, vt TE quoque per multos adhuc annos nobis concedat, et huic nuperae laetitiae addat aliam maiorem, vt post hos quinque annos diem illum saluus sospesque videas, qui TIBI quinquagesimum Doctoratus Theologici annum expleat: cuius TV nominis, non ad vanitatem, vt fit, sed ad vtilitatem publicam expetiti, dignitatem ita sustinuisti, vt primum probatissimis Obseruationum libris doceres eruditos homines, mox in hanc vrbem vocatus, etiam iuuenes, h. e. futuros rei Christianae antistites, omni parte sacrae disciplinae instructos reddere studeres.

Sed ne TIBI ipsa laudum TVARVM commemoratione molestus sim, qui malis laudes mereri, quam audire: veniam ad id, quod propositum est, disputationis Muratorianae reprehensionem: quam ita moderabimur, vt res, non hominem, praesertim mortuum, et multis nominibus bene de literis meritum, notemus. Lucretur *furo-* p.103.
res et *Diaboli disciplinam*, quibus *Lutheri* nomen polluere 241.
ausus est, et similia. Non quid illo, sed quid nobis dignum sit, videbimus. Nec in omnibus acerbum animaduersorem habebit. Non imputabimus in scriptoribus Liturgicis omissos, quos ignorare non debuisse videatur; in his *Thomam Brettum*, Britannum, qui an. 1723 eruditissimum de rebus liturgicis opus, hoc est Corpus Liturgiarum cum disputatione de Liturgiis Londini edidit: non, quod *Buddeum* Lipsiensem Professorem, et e duabus *Pfaffii*, V. C. disputationibus vnam fecit cet.

Leuia ista esse didicimus, iisque captandis notandisque paruas animas delectari.

Etiam primam libri partem, h. e. septem priora capita, mittemus: in quibus nihil est, quod pertineat ad eam, quam defendere suscepimus, caussam. Sunt enim fere historica, pertinentia ad antiquitatem Liturgiae Romanae, et eorum, quae hic proferuntur, Sacramentariorum, ad libros denique antiquos, vnde haec exempla ducta sunt: quamquam et in his sunt coniecturae plures, de quibus facile in vtramque partem disputes, etiam quae conuelli ac dissolui possint, *Muratorio* ipso fatente, (pag. 71.) nihil in his certi esse. Itaque etiam cum res bene agi videtur, vt cum de Gelasiano, quod vocant, Sacramentario (p. 55 s.) aduersus *Iac. Basnagium* disputat, origines istius ad decimum seculum retrahentem in Historia Ecclesiae Christianae (T. II. p. 946.) tamen multa dici contra possunt: in his illud, quod tamen redeunt omnia huc, vt ad interpolationes et additamenta posterioris aetatis confugiendum sit, in vetustate eius asserenda. Quo ipso dignitas Liturgiae valde minuitur: cum ea res magnam facultatem det, omnia inde ducta argumenta eludendi, et pro interpolationibus repudiandi, quibus in disputando premare.

Vnum est caput, de quo, vel exempli caussa, contra disputare lubeat, *de origine Liturgiae Eucharistiae vniversa*, quod est in principio operis. Et primum quidem, quod adfirmat, iam ab Apostolis certum precum ordinem, s. Liturgiam Eucharisticam institutam; si ita intellexit, vt ad exemplum Christi, cuius auditores fuerant, preces et εὐχαριστίας fecerint, nihil est, quod contra dicamus: at si formulam certam ac definitam certis statisque verbis intelligit, longe a vero aberrat. Nondum illis temporibus e formula preces factae, neque publice, neque priuatim: formula autem Dominica, velut Compendium quoddam εὐχαριστιῶν et εὐχῶν omnium, preces, cuiusque ingenio factas, concludebat. (Iustin. M. Apol. ad Antonin.

nin. p. 131. ed. Grab.) Sed hoc maxime agitur in hoc capite, vt refellatur *Petr. Brunus*, nobilis rerum Liturgicarum ſcriptor, qui defendit, ante quintum ſeculum ſcriptas Liturgiarum formulas non extitiſſe: non quo neget, certis formulis ſacerdotes vſos: non hoc ſuſtineat crimine ſe obſtringere: ſed vt memoriter recitaſſe, et vſu diuturno, h. e. a pueris ſaepe audiendo, edidiciſſe, et non omnes ſtatas et conſtantes fuiſſe, ſed alias ab aliis additas, putet: quam ſententiam defendit etiam *Ioſephus Pinius* Moſarabicae et aliarum Hiſpanicarum Liturgiarum editor et illuſtrator nuperus *) commemoratis tamen dubitationibus aliorum: cuius libro hic non vſum *Muratorium* miror. Enimuero cauſſa illa haud bene a *Muratorio* acta eſt. Et initium quidem facit a mirabili *Iuſtini Martyris* interpretatione, cuius teſtimonio *Brunus* erat vſus. Antiſtitem, ait ille, allatis pane, vino, aqua, *εὐχὰς καὶ εὐχαριςίας ἀναπέμπειν, ὅση δύναμις αὐτῷ.* Haec ſi *pro facultate ſua* vertas, vicit *Brunus*, ſiue nos potius, qui liberas preces fuiſſe putamus. Quid ergo *Muratorius?* Hanc eſſe vim clamat. Immo vero *ὅση δύναμις αὐτῷ* eſſe Italice, *per la ſua parte*, vel *ſeconde che à lui appartiene*, *pro ſua parte*, ſcilicet poſtquam populus ſtans preces fecerit. Hoc eſt graece ſcire et interpretari. Non videbat, illud *per la ſua parte* eſſe *ὁμοίως?* *ὁ προεςὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχὰς ἀ.* Illa autem *ὅση δύναμις*, vt *κατὰ δύναμιν, εἰς δύναμιν*, numquam aliter accepta ſunt, quam *pro modo virium*, *pro facultate*, ſiue etiam, *ſumma vi*, vbi contextus ſinat, qui hic non repugnat, vt *ὅσον σθένος* et ſimilia, vt paullo ante ap. ipſum *Iuſtinum*, *ὅση δύναμις προτρέψασθαι*, *ſumma ope cohortari.* De quo cum dubitari ſine ſumma inſcitia graeci

 ſermo-

*) In Tract. hiſt. Chronol. de Liturgia antiqua Hiſpan. C. I. praefixo primum T. VI. Iul. Act. SS. repetito dein Romae 1740. f. et a I. BLANCHINO ibid. 1736 in Collectione Liturgiarum Hiſpanicarum.

sermonis non possit, clarum est, certam εὐχῶν καὶ εὐχαριστιῶν in Liturgia formulam seculo II. nondum fuisse. Qua vna re concidunt omnia, quae praeterea adferuntur in hanc partem, vt ex Apostolica traditione accepta et seruata sit certa Liturgiae formula; ad quae tamen et ipsa separatim responderi potest. *Cyprianus*, ait, formulam commemorat sacerdotis, *sursum corda*, et populi, *habemus ad Dominum:* laudatque librum *de Oratione*, qui nullus extat, vt hunc locum, sicut alios, id quod modus librorum indicandorum declarat, ex alio sumsisse appareat. De *Oratione Dominica* est *Cypriani* nobilis et veteribus in primis laudatus libellus, in quo est locus n. 22. (p. 316. ed. Pamel.) de hac formula. Sed hunc forte intelligebat. At ibi de precibus Eucharisticae Liturgiae, quas sacerdos pronuntiat, non est sermo, sed de iis, quas facit concio stans, ante Eucharistiae Liturgiam auctore eodem *Iustino*, l. c. quibus finitis, initium fit precum ad Liturgiam pertinentium. Ita enim *Cyprianus*: *Quando autem stamus ad orationem, fratres dil. vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus - - Ideo sacerdos ante orationem praefatione praemissa parat fratrum mentes, dicendo sursum corda* cet. Non clarum est, hoc pertinere ad illa *Iustini* verba ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν? Sed tamen facile concesserim, eadem verba et in sacerdotis precibus vsurpata. Nam *Cyrillus*, s. quicunque auctor est, Catech. Mystag. V. (pag. 537. ed. *Preuotii*) clare hanc formulam commemorat. At illud certum est, eam in omnibus precibus publicis vsurpatam, neque inde quicquam pro *Muratorii* sententia colligi potest. At *Basilius* (de Spir. S. c. 27.) non contentos Christianos dicit iis, quae commemoret Apostolus, aut Euangelium, verum alia et ante et post consecrationem dicere, quae ex traditione non scripta acceperint. Sed quae necessitas est credere, haec de verbis, et non de rebus, generibus, et capitibus precum et supplicationum, intelligenda esse, quae commemorat *Cyrillus* (l. c. p. 538.)

Nam

Nam ſi de Muratoriano arbitrio capias, *Baſilius* reprehendetur merito, qui ſibi pro Apoſtolicis illas formulas obtrudi paſſus ſit, quae *Iuſtini* aetate nullae fuiſſent. Illud autem plane alienum eſt, quod iterum *Iuſtini* verbis abutitur ad Miſſae certam formulam illi aetati obtrudendam, ἀνιςάμεθα κοινῇ πάντες καὶ εὐχὰς πέμπομεν. Quid inde? *Niſi iam conſtitutae fuiſſent ſacrificii orationes et preces, quomodo concors in iis recitandis populus perrexiſſet? Si autem conſtitutae, ſcriptis quoque traditae fuerint oportet.* At iſtae preces nihil coniuncti habent cum ſacrae Coenae Liturgia, ſimilesque ſunt his, quae apud nos ſubiiciuntur concionibus. Nam lectione librorum ſacrorum facta, antiſtitisque admonitione ad populum finita, ſurgere populum ait, et precari. Atque hae ipſae preces ſi ſubmiſſa voce factae, nulla formulae certae neceſſitas intelligitur; ſin clara, quod conceſſerim facile, cum et *Cyprianus* vocis mentionem faciat, et precantes vetet *ventilare preces inconditis vocibus* (de Or. Dom. n. 3.) non tamen neceſſe eſt, vt e ſcripto diſci ſolitas putemus. Quam multos, credibile eſt, antiquis illis temporibus, cum etiam doctis non admodum expeditum eſſet, ſcripta legere, quam multos ergo de plebe homines, mulieres in primis, fuiſſe qui legere ſcripta non poſſent, cum hodie tales inueniantur, in tanta docentium frequentia et diſcendi facilitate. Viua igitur voce docti, aut vſu longo et quotidiano audiendi, edidicere formulas illas, neque vllo modo ſcriptura opus fuit. Potuere etiam Pſalmi Dauidici in communibus precibus vſurpari: quod mihi maxime placet: propterea, quod ſatis conſtat, iis veterem eccleſiam et in canendo et in precando maxime eſſe vſam, cum mallent diuinitus ſcripta in Deo colendo, quam humana, adhibere. *Hieronymum* quidem, cum ſacrorum librorum verſionem latinam veterem, quam vulgo Italicam, neſcio an recte, vocant, corrigeret, Pſalmos intactos reliquiſſe conſtat, ne populum conturbaret, qui illi veteri interpretationi adſuetus eſſet, eaque in ſupplicatio-

cationibus publicis vteretur. Laodiceni autem concilii Canone 60 cautum est, ne ψαλμοὶ ἰδιωτικοὶ in Ecclesia recitarentur (λέγωνται). Sed ne nimis omnia contendamus, concedimus vtique, paullatim, quarto quintoque seculo formulas cum ceterarum precum communium, tum Eucharisticae Liturgiae factas, a *Basilio*, ab *Hilario* Pictauiensi, aliisque disertis et πνεύματι εὐχῶν large donatis diuinitus viris. Tamen nihil lucratur *Muratorius*. Nam eas aut in suos, aut Ecclesiarum suarum, vsus facere potuere. Quorsum pertinet illud, quod de *Apollinari Sidonio* ex *Gregorio Turonensi* (Hist. II, 22.) adfert, qui, cum per fraudem ipsi ablatus esset libellus, per quem sacra facere consueuisset, ex tempore omnia solennia peregit, cum summa admiratione omnium: quae res adeo non fauet Muratorianae sententiae, vt ei maxime aduersetur. Vt breui complectar, sic rem intelligo. Primis temporibus, cum Spiritus S. suggereret εὐχὰς et εὐχαριστίας, vt Apostolis, eorumque ministris et adiutoribus, antistitibus item Ecclesiarum, atque adeo priuatis (1 Cor. XIV, 16.) superuacuae erant formulae precandi solennes. Cum porro illud acre rerum diuinarum studium adhuc caleret, essentque multi sancti, et in libris diuinis triti homines, qui vel repente, vel post commentationem aliquam, preces pronuntiare et gratiarum actiones possent ad animos commouendos efficaces: (quidni enim potuerint, quod Maria femina, tacta beneficii diuini magnitudine?) sua sponte precati sunt, vt priuatim domi, ita in conuentibus publicis, ὅση δύναμις ἑκάστῳ. Cum ille ardor pristinus paullatim refrixisset, in tantaque multitudine eorum, qui sacra facerent, propagata longe lateque religione Christiana, multi reperirentur, quorum nimis tenuis δύναμις esset, denique nonnulli antistitum eloquentiae gloriam nimis appeterent, formularum scriptarum et certarum consuetudo nata est. *Basilii*, *Hilarii*, *Chrysostomi*, *Ambrosii*, *Sidonii*, aliique docti et diserti homines, primum in vsus suos preces consignabant

bant domi, quas in ſacris faciendis recitarent, deinde et aliis, qui minus diſerti aut docti eſſent; quibus quisque, vt voluit, vſus eſt. Et ſic quoque nemo ab initio eam neceſſitatem ſibi impoſitam putauit, vt ſibi non aliquid vel addere vel demere licere exiſtimaret. Ipſe quidem *Muratorius* (c. 2.) de vetere Eccleſiae Rom. Liturgia agens, fatetur, cuilibet Eccleſiae, cuilibet Epiſcopo licuiſſe, ſuam inſtruere nouis orationibus, easque vel amplificare vel minuere: et (p. 227.) Miſſam *Flacii Illyrici* attingens, eam nihil eſſe aliud, quam ipſum Ordinem Romanum, variis precum formulis oneratam, *quarum tum vſus liber vnicuique Sacerdoti fuerit.* His magna parte ſimilia ſunt, quae de precibus in S. Euchariſtia peragenda diſſerit *Ianus ὁ μαχαιρίτης*, ad *Euſebii* Or. de Die Dominica, p. 27. quae ſi TIBI probata fuerint, VENERANDE DEYLINGI, vehementer laetabor.

Iam veniamus ad caput inſtitutae Diſputationis Antimuratorianae: in quo ſeruabimus ordinem a Muratorio ita deſcriptum, vt *primum* de *Panis et Vini in Corpus et Sanguinem Chriſti conuerſione* e Liturgiis Eccleſiae veteris Romanae, e. g. Ambroſianae, c. 10. ceterarum Occidentalium, c. 11. Orientalium Graecarum et Syriacarum, c. 12. 13. Aegyptiacarum c. 14. diſputaret, adiuncta velitatione cum *Sam. Baſnagio*, Annalium Polit. Eccl. auctore, in qua de Patrum SS. locis contenditur, c. 15. *deinde Veritatem Sacrificii in S. Miſſa* e Liturgiis Occidentalis et Orientalis Eccleſiae, c. 16. 17. et Patrum ſcriptis, c. 18. confirmare conaretur: *tertio, Adorationem Euchariſtiae* ex iisdem demonſtrare, c. 19. *quarto*, quosdam *Liturgiae ritus*, c. 20. 21. *quinto, Inuocationem SS.* in Liturgia, c. 22. *ſexto*, denique, *adſeruationem Corporis Chriſti*, peracta Euchariſtia, c. 23. *eique praeſtitam reuerentiam, expoſitionem et circumgeſtationem*, c. 24. defenderet. Erit autem nobis haec in ſeptem capita diuiſa diſputio, cum Muratoriana ſit ſextuplex; propterea, quod eorum, quae de locis Patrum diſperſe, per octo capita priora,

priora, differit, confutationem in vnum caput congerere placet.

Primo igitur capite clare, vt opinor, demonstrabimus

I. *Conuerſionem Panis et Vini, quam Romana Eccl. defendat, Liturgiis antiquis non firmari.*

Atque ingreſſus huius demonſtrationis Liturgicae a *Muratorio* factus eſt ab reprehenſione Graecorum et Syrorum, quos, cum in ipſo conuerſionis dogmate conſentiant cum Eccleſia Romana, diſſentire in eo, quod negent Conſecrationem Euchariſticam fieri ſolis verbis: *hoc eſt corpus meum.* Non repetam, quae doctiſſimi Theologi, TVque ipſe VIR VENERANDE, dudum in Obſ. S. (III. p. 194 et 339) contra ſententiam Eccleſiae Romanae, quae his ſolis verbis conſecrationem fieri decernit, vt falſa et noua, veriſſime pariter atque doctiſſime diſputaſti: quorum tanta eſt euidentia, vt etiam inter Pontificios extiterint, *Renaldotius* et *Tuttaeus*, qui faterentur, hanc opinionem cum vniuerſae Eccleſiae veteris ſententia pugnare, eamque adeo a ſua Eccleſia alienam eſſe, credi cuperent. *Muratorius* quidem mirifice ſe expedit. *Paucis ſe dicturum*, ait, *rectiſſime a Catholicis conſtitutum fuiſſe, Conſecrationem pendere duntaxat* e *Chriſti verbis* (hoc eſt corpus meum) *Dogma namque hoc ex antiquis P. P. elici, praeſertim ex Io. Chryſoſtomo, Ambroſio et Auguſtino.* Ad quae forte quis paucis reſpondeat: iſtam orationem plane indignam eſſe *Muratorio*, meliusque facturum fuiſſe, ſi omnem mentionem eius rei e diſputatione ſua ſemoviſſet, cum nihil melius poſſet afferre. Sed lenius agamus, quando quaeſtio de conſecratione Euchariſtica eſt eiusmodi, vt noſtri quoque nec conſentiant ſatis, nec ſe expediant facile. *Formulae Concordiae* Auctores (nam in ceteris Confeſſionum libris nihil eſt admodum huc pertinens) ponunt in ſola recitatione verborum Inſtitutionis, iisque

iisque τὸ εὐλογεῖν peractum iudicant, de quo est apud Paullum, 1 Cor. X. 16. *Ad externam et visibilem actionem Coenae Dominicae pertinent Consecratio, seu verba institutionis, distributio, et sumtio.* Declar. Art. Conc. p. 1040 ed. Rein. Itemque in Epit. Art. C. p. 846. commemorato illo Paullino loco: *Illa autem benedictio fit per recitationem verborum Christi.* Quam rationem *Gerhardus* et alii superiorum temporum Theologi sequuntur. At alii ab auctoritate formulae istius declinantes paullulum, illis adiungunt preces; quidam etiam distributionem, cum repetitis verbis Dominicis, et sumtionem, totamque adeo actionem Eucharisticam consecrationis verbo complectuntur: ex qua ratione ipsi κοινωνοῦντες partem consecrationis obtinent. Praetereo distributiones consecrationis, ipso sono terrentes. *Chemnitius* autem cum idem illud, quod in Concordiae formula scribi probauit, ante in Tridentini Concilii Examine posuisset, (P. II. p. m. 119.) alio loco (p. 222.) dicit: *quando institutio recitatur et non facimus quod Christus in coena et fecit et facere iussit, non est consecratio, sed tantum historica narratio; quando vero recitamus, et facimus, quod iussit, tunc verbis illis benedicimus pani et poculo:* quibus verbis clare, vt opinor, consecratio communicatur cum iis, qui accipiunt panem et vinum. Iam in ipsis verbis institutionis non eodem modo se omnes expedire video, quibusdam, verba Christi vim consecrandi habere omnia, existimantibus, aliis, partem eorum tantum. Quae indicio sunt, laborare doctos homines in consecratione definienda. *Chamierius* quidem, eruditissimus ille errorum Romanae Ecclesiae aduersarius, quod merito quis miretur, eo redigitur, vt ipsos, quos impugnat, secutus, consecrationem panis, quae quidem effectum Sacramenti adferat, solis verbis, hoc est corpus meum, fieri dicat (Panstrat. T. IV, qui est de Eucharistia, VI. 5. p. m. 153. a.) *C. M. Pfaffium* autem, copiosissimae doctrinae Theologum (in Disp. de Consecratione Euch. Vet. p. m. 405.) eorum fauere sententiae, qui

qui consecrationem non in verbis institutionis Eucharisticae, sed in εὐχαριστίᾳ et εὐλογίᾳ, h. e. precibus cum gratiarum actione ponant, quae est *Edm. Albertini*, in clarissimo de Sacramentis Eucharisticis opere (l. 4. p. 11.) sententia, satis indicat, cum eorum rationes *solidissimas* appellat: quae aliae intelligi, nisi verae et certae, non possunt.

Omnis illa difficultas nata est ab ambiguitate verbi *consecrandi*, qua sublata, rem expeditam fore arbitror. Etenim Scriptores Ecclesiasticos consecrandi vocabulo dupliciter vsos reperi: primum sic, vt respondeat Graeco ἁγιάζειν, sitque, quamcunque rei sanctitatem ac religionem tribuere, vt profana, aut vsus profani ac promiscui, esse desinat; quo modo Paullus cibum quemcunque ἁγιάζεσθαι dixit precibus et gratiarum actione: iterum hac sententia, vt vim diuinitus, h. e. praecepto ac promisso diuino, rei additam significet; quo modo veteres dicunt coniugium a Deo *consecratum* esse, Gen. I, 28. itemque *aquam* abluendis peccatis *consecratam*, hominesque ipsos, ea aqua tinctos, vt Graeci ἁγιάζεσθαι, ita Latini *consecrari* dicunt, Christi praecepto et promisso, et Spiritu Sancto, vt loquitur *Ambrosius* de Sacram. I, 5. siue quicunque auctor est. Similisque est *benedicendi* ratio, verbi e Graeco εὐλογεῖν facti, significatione Hebraicae consuetudini in verbo ברך accommodata: nam bene Graeci et bene Latini tantum pro *laudare* et *recte dicere* vsurpant. Cum Deus diem septimum, Christus cibum ηὐλόγησε, ea primi generis consecratio fuit, quae e profanis eximeret: cum nouos idem coniuges ηὐλόγησε, ea fuit benigna et efficax promissio, vnde et beneficii vis ei verbo adhaesit, vt in εὐλογίᾳ Abrahami cum gentibus omnibus communicata, vt in εὐλογίᾳ Paulli, 1 Cor. VI, et 2 Cor. X.

Iam si haec ad quaestionem illam Eucharisticam conferamus, liquidum est, consecrationem esse in laudibus diuinis et precibus, si priori sensu accipiatur vocabulum,

sin

fin posteriori, in solo praecepto et verbo Christi, et quidem dupliciter: semel, cum ante κοινωνίαν recitatur; vnde intelligitur ius et potestas talis rei suscipiendae, pendetque spes, cum pane et vino percipiendi corporis et sanguinis Christi, iterum in ipsa κοινωνίᾳ, cum panis et vinum ori admouentur et ingeruntur, sacerdosque repetit verba Christi, quorum haec vis est, vt accipiamus corpus et sanguinem Christi. Nam profecto Dominus noster Iesus Christus illa verba, *hoc est corpus meum*, dixit tum demum, cum iam edere inciperent Discipuli: id quod ordo verborum prorsus declarat. Etenim tum demum, cum ederent, poterat hoc dicere. Neque enim ante erat corpus Christi cum pane, quam in ore esset. Homines male faciunt, cum, vt celeriter ista in Euangelio, et vno spiritu ac tenore legunt, *accipite*, *comedite*, *hoc est corpus meum*, ita a Christo dicta imaginantur. Nam et illud τοῦτο ποιεῖτε cet. interuallo facto, dixit. Cum comedissent reuerenter, et admiratione beneficii percussi, subiecit illud de repetendo et conseruando semper ritu salutari.

Quodsi illud porro quaeratur: quo sensu consecrationem ac benedictionem vetus Ecclesia in hac re vsurpauerit; profecto res cogit fateri, priori modo antiquissimum quemque dixisse, et consecrationem, itemque benedictionem in precibus et εὐχαριστίᾳ posuisse. Id sic planissime demonstrari potest. Primum *consecrandi* verbum in latina Ecclesia haud dubie expressum est e Graeco ἁγιάζειν, eique prorsus respondet. Huius autem verbi de hac re vsurpandi fundus vnus est Paulli locus, 1 Tim. VI, 5. vbi cibus quicunque δι' εὐχῆς καὶ λόγου Θεοῦ ἁγιάζεσθαι dicitur, vnde verbum ἁγιάζεσθαι ad cibum et potum Eucharisticum est translatum. Id certum fit loco insigni Origenis (Comment. in ss. T. 11. p. m. 253. extr. ed. Rhotomag.) in quo istis ipsis Paulli verbis de cibo Eucharistico vtitur. Τὸ ἁγιαζόμενον διὰ λόγου καὶ ἐντεύξεως, οὐ τῷ ἰδίῳ λόγῳ (non per se) ἁγιάζει τὸν χρώμενον·

εἰ γὰρ τῦτο, ἡγίαζεν ἂν καὶ τὸν ἐσθίοντα ἀναξίως τῦ Κυρίυ, καὶ ὐδεὶς ἂν διὰ τὸ βρῶμα τῦτο ἀσθενὴς ἢ ἄῤῥωςος ἐγένετο cet. Etenim hinc clare apparet, non alium ἁγιασμὸν f. confecrationem intellectam in S. Coena, quam in alio cibo quotidiano: in quo illi veteres hoc minus errabant, cum et ipfi Apoftoli plane iisdem verbis de ἁγιασμῷ Euchariftici panis et vini, h. e. εὐχαριςίας et εὐλογίας, quibus de vulgaris et promifcui cibi ἁγιασμῷ vfi funt. Quae cum ita fint, ceterique Graeci antiquiores femper, quod ego fciam, verbum ἁγιάζειν in ea re dixerint, quippe fic adhuc reperitur in Myftagogicis illis Catechefibus, fiue *Cyrilli*, fiue iunioris alicuius: eius autem verbi latina interpretatio fit *confecrandi* vocabulum, necelfe eft, vt hoc quoque ab initio non aliter dictum, et cum *fanctificandi* minus latino verbo promifcue vfurpatum credamus. Quod et confirmant loca plurima, dudum e latinis Ecclefiae doctoribus prolata, in quibus aliter confecrandi verbum intelligere non licet, veluti a *Pfaffio*, l. c. p. 407 fqq.

Iam, fecundo, *benedicendi* verbum, quod cum *confecrandi* voce promifcue dicitur, vt omnes concedunt, exprimit τὸ εὐλογεῖν. Id autem elfe vi ac poteftate non diuerfum a τῷ εὐχαριςεῖν, TE quidem ipfum, VIR VENERANDE, innuere video, Obf. III. p. 283. 349. ita autem clare doceri poffe arbitror, vt id aut concedendum, aut certiffimae interpretandi leges abolendae fint. Quid enim primo certius hoc interpretandi praecepto, vt, quae vocabula de eadem re, in eodem orationis contexto permutentur, ea pro συνωνύμοις accipi, alterumque ex altero explicari debeat? Hoc fi quis in dubitationem vocare audeat, nae is ab interpretandi peritis vehementer rideatur, omnemque interpretationem aut tollere aut incertam reddere iudicetur. Nonne vero, quod Matthaeus et Marcus dixere, λαβὼν τὸν ἄρτον, εὐλογήσας, id Lucae et Paullo eft λ. τ. α. εὐχαριςήσας ἔκλασε? Et cum iidem in calice Iefum εὐχαριςῆσαι dicant, Paullus dicit

dicit εὐλογῆσαι, 1 Cor. X, 16? Atque ego non ignoro, quod obiicit *Calouius:* alterum in altero eſſe intelligendum, in hunc modum: εὐχαριςῆσαι καὶ εὐλογῆσαι. Sed ne dicam, ea exceptione legem illam euerti: concedam, hoc ἐλλείψεως genus non eſſe omnino improbandum, ſed tum, ſi coniuncti vtriusque verbi exemplum proferatur, vnde ea ἔλλειψις Graecis ſ. diuinis ſcriptoribus vſitata, non temere conficta videatur. Nam ſi ἐλλείψεως in interpretatione adhibendae non hic modus ſeruetur, e quolibet efficere licebit quidlibet. In Religione Chriſtiana nulli rei aliquam vim tribui niſi τῇ ἀγάπῃ, Paullus ait. Intelligendum hic eſſe κατ᾽ ἔλλειψιν aiunt τὴν πίςιν, τὴν δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένην. Recte. Sed eius rei auctoritatem dat et locus alter Paulli, in quod iſta coniunguntur, et vniuerſa Chriſtianae doctrinae ratio, quae ad fidem refert omnia. At quis diuinorum ſcriptorum vnquam iſta verba coniuncte dixit? Ne ſcriptorum quidem Eccleſiaſticorum antiquorum quisquam, quod ego quidem animaduerterim, aut ab alio animaduerſum viderim, ea coniunxit. Immo ποτήριον εὐλογίας agnouere omnes, eſſe ποτήριον εὐχαριςίας ſ. αἰνέσεως, vt etiam Syrus Paulli interpres vertit, quippe quod eſt Ebraeis dictum ברכה ſ. כוס הלל, ποτήριον ὑμνήσεως, αἰνέσεως, vt bene notat *Caſaubonus* adu. Bar. p. 456. Vnde non aliter fere conſecratum ſ. benedictum panem et vinum appellant veteres, quam εὐχαριςηθεῖσαν τροφὴν, vt *Iuſtinus* loco ſupra commemorato (p. 129) et τὰ εὐχαριςηθέντα, (ibidem p. 123) quae ſunt profecto *conſecrata*, vt vertuntur bene, ſeu benedicta, ſi quis hebraica malit. Atque ipſa profecto ſeries rei a Chriſto geſtae, id ita eſſe, clamat. Etenim illa verba, in quibus volunt eſſe proprie conſecrationem et benedictionem: λαβ. -- ἀνάμνησιν, Chriſtus dixit poſt εὐλογίαν. Quomodo ergo in his poteſt eſſe conſecratio et εὐλογία, quae iam peracta erat? Sed poſterior aetas coepit, in hoc etiam capite, paullatim *conſecrationis* et *benedictionis* verbo aliter vti, poſteriori illa,

 quam

quam ſupra declarauimus, vi, non vt priorem et antiquiorem aboleret, ſed vt hanc adderet. *Auguſtinus* quidem, cum in notiſſimo illo, Epiſtolae ad Paullinum, loco, (n. LIX. T. II. p. 300. ed. Frob. 1569.) *orationes* commemoraſſet, (h. e. preces) quae fiant, cum *benedicitur et ſanctificatur*, et ad diſtribuendum panis comminuitur, quam ſtatim *petitionem* vocat, oratione Dominica ab Eccleſia concludi ſolitam, idem, alio nobili loco, de quo poſt plura dicemus, (init. c. 2.) *panem et calicem in altari dicit ſanctificari* (h. e. conſecrari, benedici) *per verbum Chriſti, et ita eſſe corpus et ſanguinem Chriſti.* Atque haec poſterior ratio, in ſcholaſticos libellos recepta, ita in ſcholis inualuit, vt prior prope obliteraretur. Itaque et Theologi noſtri, cum Formulam Concordiae componerent, hanc maxime ſecuti videntur. Ea autem vis cum tribuitur verbo, non profecto aliter exiſtimari poteſt, quam vt conſecratio primum fuerit in verbis Chriſti non εὐχαριστοῦντος, ſed tradentis ad comedendum bibendumque panem vinumque, et in iis corpus ſuum et ſanguinem tradi affirmantis, nunc autem ſacerdotis, Chriſti verba non modo recitantis in coetu Chriſtianorum, quae eſt narratio potius, quam conſecratio, vt *Chemnitius* aiebat, ſed etiam, et quidem vel maxime, praecepto eius et permiſſu eum imitantis, et panem vinumque cum verbis Chriſti ori cuiusque ingerentis. Haec paullo pluribus diſputare libuit, partim ad refellendum aduerſarii decretum, partim ad tollendam confuſionem vulgarium libellorum, quae miras diuiſiones conſecrationis peperit, meque olim male habuit, et nunc quoque iuuenum animos ſubinde ancipites tenet. Nunc ad id, quod propoſitum eſt, veniamus.

Sed cum diſputationis Muratorianae duae partes ſint, altera, quae corpus et ſanguinem Chriſti non per figuram quandam, ſed vere et proprie exhiberi pugnet, altera, quae panis vinique μεταμόρφωσιν eiusmodi defendat, qua panis vinumque tollatur: intelligitur, priorem illam nobis

praeter-

praetermittendam esse. Neque enim nos sumus ii, qui Christi corpus et sanguinem a pane et vino in Eucharistia sumto abesse putemus, sed qui *proprium corpus et sanguinem Christi*, vt vocatur in *Missa Flaciana*, siue, vt *Leo M.* (Serm. XC.) ait *Veritatem Corporis et Sanguinis Christi ore sumi* vna cum pane, credimus, idque Liturgiis antiquissimis firmari contendimus: sed panis vinique conuersionem fieri eiusmodi, quae substantiam eius aboleat, negamus, eamque vlla vetere Liturgia firmari, vt id publicum Ecclesiae dogma fuisse putandum sit.

Quid igitur est in Liturgiis antiquis, quo fretus *Muratorius* Romanam illam μεταμόρφωσιν panis vinique defendat? Nihil nisi verba quaedam, contorta, et ab vsu linguae aliena ratione explicata, vt dudum est demonstratum. In *Romano Ordine*, itemque *Flaciana Missa* (p. 123. extr. 126. pr. 127.) dicitur corpus et sanguis *fieri:* (p. 125. *extr.*) *confici*, quod eodem redit, itemque *perfici* (p. 126. *med.*) denique (p. 125. *med.*) panis *transfigurari* in corpus Christi. Ex quibus sincerum lectorem, ait, et veritatis auidum intelligere, veram fieri oblatorum conuersionem in corpus et sanguinem Christi. Si alium, quam Romanis placitis parere adsuetum, lectorem intelligit sincerum et veritatis auidum, non intelliget ex istis verbis, quod *Muratorio* placet. Neque magis id confici credet verbis *Ambrosiani Canonis* (p. 131. *extr.*) *fieri Corpus C. et transformari in Sacramentum C. et S. C.* aut *Gothici Missalis* (p. 141.) *transformare Corpus et sanguinem C.* aut (p. 142.) e *conuertendi et mutandi* vocabulis.

Iam e *Graecis Orientalium* Liturgiis proferuntur loca, vbi panis et vinum dicuntur γίνεσθαι vel ποιεῖσθαι Corpus et S. C. vel μεταβάλλεσθαι in C. et S. C. e *Missa Chrysostomi*, item *Basilii* nomine nota, (p. 160.) itemque e *Syriacis* Liturgiis (p. 167. 168.) Ex *Aegyptiacis*, cum Graecis, tum Copticis (p. 171.) affertur *transferendi* vocabulum, cum panes ita transferri dicuntur con-

 secra-

ſecratione, vt fiant Corpus Chriſti, in Liturgia *Coptica*, quae ad S. *Baſilium* auctorem refertur, (p. 173.) rogatur Deus, vt per Spiritum S. *transferat dona propoſita* (h. e. panem et vinum) *in ſanguinem ſalutis noſtrae*, in Liturgia *Alexandrina S. Gregorii:* quorum quantam vim putet eſſe Muratorius, poſt videbimus: ex *Aethiopica* denique ea, quae *Apoſtolica* vocatur, locus, in quo Chriſtus rogatur, vt panem calicemque *transmutet, vt fiat corpus eius purum et ſanguis eius pretioſus.* Sed in his, vt alii Romanis decretis addicti, ſic *Muratorius* maxime confidit verbis *transformandi*, *transfigurandi*, *transmutandi*, *conuertendi et transferendi:* quibus ille, ſi veras verborum poteſtates per interpretandi leges indagare potuiſſet, nec nimis pueriliter etymologiam et praepoſitionem in interpretando amplexus fuiſſet, nihil tale ſubeſſe putaſſet. Igitur, quamquam ab aliis iam de his verbis dictum eſt, quantum fortaſſe ſatis eſſe poſſit, tamen de iis noſtro modo quaedam diſputare placet, praeſertim, cum non deſinant, ea nobis opponere: ſi tandem aliquando et illis pudorem incutere, et ſtudioſos ad videndas ſubtilius verborum notiones his exemplis acuere, denique locis quibusdam veterum ſcriptorum aliquid lucis adfundere poſſimus. Sed non alienum videtur, quaedam vniuerſe praefari.

Nulla maior graecis, omninoque bonis literis, illata eſt peſtis, quam quod quidam, graece et latine ne mediocriter quidem docti homines, qui e lexicis puerilibus ſapere, et ex etymologia verborum, ſingulis graecorum verborum partibus pueriliter latine vertendis, ſignificationes quaerere cogebantur, auſi ſunt profanas manus adferre ſcriptoribus graecis in latinam linguam conuertendis. Ea enim res peperit monſtroſas verſiones, quae vel intelligi non poſſent, vel ſenſum funderent ſaepe falſum, frigidum, ineptum. Inde porro iniectus eſt multis, qui fontes ipſos adire, et ex iis haurire non poſſent, contemtus praeſtantiſſimorum ſcriptorum, a quibus ingenii huma-

a [illegible]

nißimus

niſſimus cultus peti poterat: cui enim non ridiculus videatur ille ipſe ingenii humani fons, vt *Cicero* adpellat, *Homerus*, ita latine loquens? Et cum in Philoſophis, *Platone*, *Ariſtotele*, homines ſtultiſſimi ſuper iſtis latinis verbis, cum ſua cuiusque vernacula lingua comparatis, philoſopharentur, noua quaedam Platonica et Ariſtotelica Philoſophia extitit, quam *Plato* et *Ariſtoteles*, ſi iis in vitam redire datum fuiſſet, non modo pro ſua non agnouiſſent, ſed ne intelligere quidem potuiſſent, etiamſi Ciceronis latinitatem omnem ſecum attuliſſent. Sed eadem plaga iniecta eſt libris diuinis, doctrinaeque Chriſtianae, per eos, qui primi inſtituerunt latinos facere. Ii qui et quales fuerint, mea ſententia, nunc non diſputabo; alius de ea re, et de vniuerſa hac interpretatione latina diſſerendi locus commodior dabitur: illud dicam, homines fuiſſe vel vtriusque linguae vix mediocriter peritos, vel ea, qua eodem tempore, aut paullo poſt, *Aquila*, infecti ſuperſtitione, vt plerumque verbum de verbo, ſed hoc quoque pro qualicunque facultate, neglecta latinae linguae indole et conſuetudine, ſibi vertendum putarent, id quod nemo, qui reliquias iſtius verſionis inſpexit, ignorare poteſt. Quid igitur accidit? Primis temporibus, cum religio Chriſtiana maxime eſſet apud Iudaeos, iſti rationi adſuetos ac deditos, et omnium adeo linguarum praeter ſuam contemtores, placuit, fuitque apud hos certe tolerabilis, qui comparandis verbis latinis cum ſuis facile iſtam latinitatem intelligebant. Placuit vero non Iudaicae originis hominibus modo, ſed etiam ex alia gente, qui vel a pueris ei eſſent adſueti, et rerum praeſtantia occupati, verborum vitiis non admodum offenderentur, ſicuti boni illius *Auguſtini* ſtomachus *oſſum* (pro oſſe) non modo facile concoquebat, ſed id etiam ab *Hieronymo* ſibi ereptum aegre ferebat; vel qui ipſi latinitatis parum periti, in ſermone ſibi omne genus barbariſmi et ſoloeciſmi indulgerent, nec eos in aliis animadverterent. Sed paullatim coepit diſplicere elegantibus

* Auguſt. Epiſtol. XCI.

hominibus, atque, vt ego arbitror, ipſi *Damaſo*, Pontifici Rom. homini, vt *Hieronymus* (de ſcript. Eccl.) vocat, elegantis ingenii, qui etiam elegantes et venuſtos verſus ſcriberet: vt non modo, quod libri nimis variarent, ſed etiam, quod genus dicendi rideretur, verendumque eſſet, ne contemtus ille a verbis ad res, qui facilis et breuis tranſitus eſt, veniret, correctionem *Hieronymo*, eruditiſſimo viro et linguarum peritiſſimo, mandaret. Quid? cum bonae literae ante haec tria ſecula reſtitui coepiſſent, non ſatis conſtat, eruditiſſimos quosdam homines, *Lazarum Bonamicum*, *Angelum Politianum*, *Petrum Bembum* et *Iac. Sadoletum*, illos elegantiorum literarum Doctores, hos vero etiam Eccleſiaſtici ordinis homines et Theologos, contemtim de Pſalmis Dauidicis et Epiſtolis Paulli locutos eſſe? non quo illi Dauidem et Paullum ſpernerent, quos ſi aut ſua lingua loquentes audiiſſent, et ſatis hebraice docti fuiſſent, vt intelligere poſſent, quorum neutrum illis contigiſſe ſatis ſcimus, aut ſaltem per interpretem *Buchananum* et *Caſtellionem* cognouiſſent, vehementer admirati eſſent: ſed quod iſtam graecohebraicam latinitatem ne intelligere quidem poſſent, nedum probarent. Nam *Horatius* ille, qui *Pindarum* in coelum ferebat laudibus, et imitari ſtudebat, ſi nihil aliud quam *Eraſmi Schmidii* abſurdam verſionem vidiſſet, eundem illum bonum *Pindarum*, ſiue potius miſerabilem *Schmidium* abiecturus erat. Sed vt veniat eo, quo tendebat, oratio, longe maius, certe latius patens illud malum eſt, quod ea interpretandi ratio generauit dogmata abhorrentia a veritate, per quae turbatae ſunt Chriſtianorum mentes, et diſſidia, nulla humana ope componenda. Mihi quidem videtur terribilis illa et abhorrens ab omni humano ſenſu decreti abſoluti opinio nunquam in lucem ventura fuiſſe, niſi
521 *Auguſtinus* infelix illud praedeſtinationis verbum, ex etymologia τȣ͂ προορισμȣ͂ factum, nimis amplexatus eſſet, et ſuis potius partibus ponderaſſet, quam conſuetudine

Grae-

Graecorum, qui in ſuo verbo non magis tale quid vnquam viderunt, quam Latini veteres, in ſuo. Sed ille ignorauit graecas literas, quas nimis ſero, atque admodum leuiter, attigit. Similesque noxas dedere interpretes veteres latini *Irenaei*, *Origenis*, *Gregorii Nyſſeni*, aliorumque Graecorum Eccleſiae Patrum, peſſimi verborum latinorum opifices, e quorum fabrica multa ſtolidiſſime ad graecorum verborum etymologiam efficta prodiere, vt *transcorporatio*, *transcorporatus* (e *μετενσωμάτωσις*, et *μετενσωματωθεὶς*,) *transelementatio* et ſimilia. Hos recentioribus temporibus imitati ſunt, qui Patrum Graecorum ſcripta cum verſione latina edidere: qui hanc ſibi legem videntur ſcripſiſſe, vt ne aliter verterent e praepoſitione, vt alias taceam, *μετὰ* compoſita, quam per *trans* et propria alterius verbi interpretatione ſeruata: vnde in *Cyrilli*, *Baſilii*, *Nyſſeni*, aliorumque libris, quibus frequens vſus verborum *μεταςοιχειῦν* et *μεταςοιχειώσεως*, pro *commutare vtcunque*, vel *inſtaurare*, reperias iſta verba nunquam aliter exprimi, quam per *transelementare et transelementationem:* et alia ſimiliter. Iam in nonnullis hoc tolerabile erat, vbi etiam vetus conſuetudo latina ferret: ſed illud hinc incommodi ortum, quod Theologiſtae bonarum literarum rudes in talibus argutati ſunt, et partes verborum ad literam, vt male vocant, hoc eſt, puerili ratione, miſſa conſuetudine graeca et vetere latina, interpretati, dogmata noua procuderunt, eaque ſanctis Eccleſiae viris obtrudere conati ſunt, quibus nihil tale in mentem venerat. Haec eſt vera ſed admodum ſordida origo famoſae iſtius, et non modo a ſacris literis, ſed etiam ab communi et omni aurium humanarum ſenſu abhorrentis transſubſtantiationis: haec ſentina, vnde pleraque, et ab aliis, et ab *Muratorio* hauſta ſunt, quae ad fucandam hanc Helenam ſcilicet, velut e Patrum ſanctorum ſcriptis et e Liturgiis antiquis, proferuntur. Quae nunc age ſeparatim conſideremus.

Ac primum occinitur nobis *μεταβολῆς* s. *transmutatationis*, *conuersionisque* verbum, vt haud dubium *μετȣσιώσεως* olim creditae argumentum: sed ita, vt ad firmandum nihil nisi verba ipsa proferantur graeca aut latina. Enimuero verba haec frequentari in illa re a veteribus, id quidem nullam dubitationem habet: quo sensu dicantur, id vero dubitari solet. Iam cum toties demonstratum sit ab *Albertino*, *Claudio*, *Blondello* et aliis, a TE que, VIR VENERANDE, exemplis perspicuis, ex vno *Aeliano* pluribus, quam late pateat *μεταβολῆς* potestas, et quam saepe qualemcunque nouationem significet: legitima disputandi et digna tali viro ratio postulabat, vt istis locis aliquid inesse ostenderet amplius, demonstraretque, ni substantiae ipsius conuersio intelligeretur, nullum sensum commodum aut consentaneum doctrinae Christianae, sed frigidum et ineptum relinqui. Sed nihil horum illi in mentem venit docere: nisi hoc est docere, cum negat, in iis esse amorem veritatis, aut animum a praeiudicatis opinionibus liberum, qui non videant transsubstantiationem, quae in istis verbis tam perspicue luceat. Enimuero si hoc est dubia ab ambiguitate interpretando liberare, quis est tam rudis omnium literarum, quin omnia explicare possit, quin e quibuslibet verbis quidlibet eruat, cum negantem et dubitantem quemlibet potenti illa demonstratione, *coecus sit*, *qui videre nolit*, *hoc in verbis istis esse*, statim coercere possit. Sed quando ille noluit nos hic doctrina sua impertire, nimis alias liberalis ac prope dicam profusus in eo genere: adeo multis et magnis voluminibus rem literarum obruit: nobis, modestis et timidis hominibus, qui non audemus ita pro imperio pronunciare atque edicere de sensu verborum, nobis, inquam, docendum est, Romanam interpretationem ab verbis illis Liturgicis esse alienissimam: quae deinde etiam ad loca Ecclesiasticorum scriptorum graecorum latinorumque licebit conferre.

Apud

Apud Graecos scriptores, praesertim elegantiores, μεταβολὴ ita late varieque dicitur, vt interdum difficile fuerit interpretibus, veram eius, quoque loco, sententiam adsequi. Auctor consuetudinis eius inprimis fuit, vt opinor, *Thucydides*, qui, cum multa noue insolenterque dixit, tum etiam μεταβολὴν vsurpauit durius, modo extendens ad genera late patentia, modo ad formas rerum singulas et angustas contrahens. Sed cum *Thucydidis* tanta esset admiratio, vt in eius lectione assidui essent, qui aut orationibus habendis aut historia scribenda laudem quaerere vellent, atque etiam sententiis eius et verbis exquisitioribus omnes studiose distinguerent orationem, factum est, vt cum aliis etiam μεταβολὴ tali ratione frequentaretur ab oratoribus et historicis, atque inde lectoribus non parua interdum ambiguitas obiiceretur. Quicquid est rerum humanarum in vtramque partem, fortuna vtraque, eiusque formae et partes omnes, diuitiae, honores, calamitates belli, victoriae, morbus, recuperata valetudo, mors ipsa, tum, in rebus vitae expertibus, nihil, quod aliquando ortum sit, quod initium habuerit, quod ab aliqua quacunque antegressa caussa quomodocunque accesserit, quod non μεταβολῆς verbo exprimatur a *Thucydide*, (vid. II, 48. 53. VII, 76. 87.) et eius sequacibus *Polybio*, *Dionysio Halic. Iosepho* inprimis, vt Ant. VI, 14. 2. VII, 9. 2. II, 3. XIII, 14. 2. XV, 3. 4. cet. Haec ratio ita fluxit et propagata est, vt fit, vt etiam in communem sermonem venerit, nemoque dubitarit, iis loquendi modis vti, non modo apud Graecos, sed etiam apud Latinos. Haec obseruatio plurimum profuerit studiosis ad bene intelligendos veteres, hoc est, primum ad indagandum, deinde ad definiendum perspicua ac certa ratione, quid quoque loco in μεταβολῆς nomine intelligi debeat. Etenim, vt apud *Ciceronem* is demum vere intelligit *reipublicae* verbum, qui in loco quoque plane tenet ac dicere potest, vtrum in eo vniversum imperium vel ciuitas, an pars eius aliqua, aerarium,

rium, leges, magiſtratus, religio cet. exprimatur: ſic *μεταβολὴν*, *conuerſionem*, *transmutationem*, *res nouas*, non aſſequutus eſt, niſi qui, e propoſita obſeruationis formula, nominatim definire euentum poteſt. Vnum e *Iuſtino*, l. c. p. 128. locum afferemus, exempli cauſſa, parum vulgo intellectum, ſed eundem noſtrae cauſſae admirabiliter ſalubrem. Adſcribam autem locum integrum, qui etiam poſt nobis vſui erit. Conſecrationis et diſtributionis modo ac ritu commemorato, ita pergit *Iuſtinus:* καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται καὶ ἡμῖν εὐχαριστία -- ꙋ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, ꙋδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν· ἀλλ᾽ ὃν τρόπον διὰ λόγꙋ Θεꙋ̃ σαρκοποιηθεὶς Ιησꙋ̃ς Χρ. ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν ꙋ̔́τως καὶ τὴν δι᾽ εὐχῆς λόγꙋ παρ᾽ αὐτꙋ̃ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ꙋ̔ αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνꙋ τꙋ̃ σαρκοποιηθέντος Ιησꙋ̃ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. De prima parte huius loci poſt dicetur: nunc de poſteriori videamus. Conſecratam τροφὴν, *panem*, *aquam et vinum* ante vocauerat, et a Diacono diſtribui in Eccleſia dixerat, *eandem* (ſic prius καὶ capiendum totus contextus clamat) credi eſſe carnem et ſanguinem Chriſti humanitate induti: ea autem τροφῇ ali carnem et ſanguinem noſtrum. Super his verbis quae diſputentur mox commemorabimus. At id fieri ait κατὰ μεταβολήν. De his verbis video tacere interpretes. Latina verſio recte illa quidem interpretatur *per mutationem:* ſed vereor, vt illam ipſam verſionem et auctores et alii ſatis intellexerint: ita ea verba, in diſputatione de hoc loco, negligunt et Romani et caeteri. Ex noſtra autem illa ratione conſideranti apparebit, ſic planius interpretanda eſſe: *per concoctionem:* illa nutrimenta, panis, vinum, aqua, alunt corpus noſtrum per concoctionem, at eadem ſunt caro et ſanguis Chriſti, et hactenus alunt animam per fidem. Μεταβάλλειν τροφὴν pro *concoquere* eſt apud phyſicos et medicos graecos. *Ariſtoteles* de vſu partium III, 14. de ventriculo exponens, conueniſſe

veniſſe ait, vt non idem eſſet locus τῆς τε ἀπέπτε τροφῆς καὶ τοῦ περιττώματος, ſed vt eſſet locus proprius, ἐν ᾧ μεταβάλλει, h. e. vbi fieret πέψις ſ. concoctio; quod *Nemeſius* plenius expreſſit μεταβάλλειν εἰς χυμοὺς, de Nat. Hum. p. m. 110. Sicut alii coniungunt μεταβάλλειν καὶ πέψαι, ſic alii πέψαι καὶ χυλοποιῆσαι, vt *Theophilus* Protoſpatharius de Fabrica Corp. Hum. II, 4. (ap. *Fabric.* B. G. Vol. XII.) quamquam non bene hic χυλοποιῆσαι: is enim locus non eſt ventriculus. Inde fluxit genus dicendi et Latinos, vt et *Cicero* de Nat. D. II, 54. ventriculum diceret *mutare et concoquere*, quod receperit, κατὰ συνωνυμίαν iungens vtrumque, et more ſuo, explicans obſcurius per notius vocabulum: cum *Lactantius* de Opif. D. c. 11. *percoquendi* verbo ſolo contentus ſit. Iam, ſic intellectis *Iuſtini* verbis, etſi ſua ſponte patet, eum recta fronte pugnare cum Romanorum opinione, tamen poſt, vbi de Patrum Eccl. locis diſputatio erit, eius nobis vſus futurus eſt. Nunc illud modo voluimus efficere, vt intelligeretur, in ipſo verbo μεταβολῆς, et hinc ductis latinis, *mutationis*, *transmutationis*, *conuerſionis*, nihil praeſidii eſſe Romanae ſententiae, et ſtudioſos ad id recte vbique intelligendum acuere.

At vim fortaſſe hanc accipiet e locis iis, vbi commutationis iſtius modus preſſius exprimitur: in quibus principatum tenet Cyrilli ille in Catech. Myſt. IV. init. τὸ ὕδωρ ποτὲ εἰς οἶνον μεταβέβληκεν ἐν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, οἰκείῳ νεύματι· καὶ οὐκ ἀξιόπιστός ἐστιν οἶνον μεταβαλὼν εἰς αἷμα; quo prolato, velut in certo triumpho proclamat *Muratorius: Habes hic in meridie poſitam Catholicorum transſubſtantiationem!* Sed huic quoque loco reſpondere dudum viri docti, inprimisque copioſe *Albertinus* p. 24. negans, hanc conuerſionem vini in ſanguinem Chriſti neceſſario ad ſubſtantiam referri. In quo profert magnam copiam locorum aliorum e ſcriptis Patrum, in quibus et ipſis μεταβολὴ vnius rei in aliam commemoratur, vt μεταβολὴ τοῦ σωτῆρος εἰς τὴν θεότητα, ex *Euſebii* De-

adiungeret, vt, *quemadmodum corpus Christi*, *propter coniunctionem cum diuina λόγε natura*, verba sunt *Nysseni* ex Oratione magna Catech. c. 37. si tamen est *Nysseni: πρὸς τὴν θεϊκὴν ἀξίαν μετεποιήθη*, *in diuinam dignitatem conversum esset*, proptereaque Deus et esset et diceretur, non tamen per se, sed propter coniunctionem cum diuina natura, ita panis consecratus, *ὁ τῷ λόγῳ τε̃ θεε̃ ἁγιαζόμενος ἄρτος*, *εἰς σῶμα τε̃ θεε̃ λόγε μεταποιῆται*, *in corpus Christi conuerti crederetur*, diceretur que corpus Christi, non per se, sed quod esset cum corpore Christi coniunctus. Sed hanc Patrum Ecclesiae, omninoque veteris et incorruptae Ecclesiae mentem fuisse, altero capite intelligetur. Sed Liturgiarum concinnatores ita sensisse, planissime probem loco Canonis Ambrosiani, a *Saxio* V. C. ex antiquo Missali Ambrosiano descripto, et ad *Muratorium* misso, in quo sacerdos post consecrationem, qua illam *μεταβολὴν ὀσιώδη* fieri putat cum Ecclesia Rom. *Muratorius*, tamen Deum rogat, vt mittat Filium suum, vt veritatem Dominici corporis et sanguinis hauriant *κοινωνε̃ντες*. Quibus precibus quorsum opus, si iam conuersa est in corpus Christi panis substantia, si e vino facta est substantia sanguinis. Illud addere, quamquam leue est, non alienum videtur: quod *Muratorius* se desiderare, ait, in *Bingamo* animum ad veritatem sincere quaerendam compositum, qui se dicat in *Nysseno* quaesiuisse, quae conuersioni Romanae fauerent loca, nec inuenisse, cum talia sint plura in eius scriptis, e quibus vnum affert illum, e Catechesi magna; in eo iniuriam ipsi facere. Non minus enim quam *Muratorius* illum locum, et alia similia apud *Bellarminum*, *Perronium*, atque etiam *Albertinum*, repererat *Bingamus:* sed in eo ipso nihil, quod substantiae conuersionem iuuaret, reperit, vt nec nos vllo modo videre possumus. Satis dictum, in hoc quidem capite, de *μεταβολῇ*, *transmutatione et conuersione:* ad *μεταμόρφωσιν*, *transfigurationem et transformationem*, cui multo magis confidit *Muratorius*, transeamus.

Ac

Ac verbis quidem his vti Liturgias et Ecclesiasticos scriptores, notum diu fuit, nec admonitore opus erat *Muratorio*. Illud bene fecisset, si iis recte interpretandis dignum se praestitisset fama nominis sui. Nunc nulla in alia re magis se turpem dedit. Ac primo vehementer confirmata est opinio, quae dudum insedit animo, totam hanc transsubstantiationis fabulam natam esse e Metamorphosibus Ouidianis. Imperiti ac stulti Theologistae ista μεταμορφώσεως, transformationis s. transfigurationis, notione imbuti a pueris, cum in veterum Theologorum libris eadem verba reperissent, iis mythicam istam notionem subiicere maluere, quam Christianam et e sacris literis haustam. Quas si audire voluissent de Christi μεταμορφώσει, itemque de μεταμορφώσει Christianorum in εἰκόνα Dei tradentes, intellexissent sane ista verba, praeterquam in fabulis, ad substantiae commutationem non pertinere. Quanquam *Muratorius* maius flagitium patrauit, qui ad Romanae transformationis commentum confirmandum obscenissimo Neronis facinore abusus est. Sed ipsum audiamus, quamquam parum caste loquentem, Catechetam Mutinensem. Capite decimo, prolatis Ambrosiani Canonis excerptis, adiungit loca ex *Ambrosii* scriptis, in quibus est transfigurationis in re Eucharistica commemoratio. Dehinc quaerit: *quid sit transfiguratio* et *transfigurari Ambrosio?* respondetque: *Vtique substantialis conuersio et mutatio alicuius rei in alteram.* Quomodo hoc docet? *Audi*, inquit, *Suetonium*, *haec scribentem* (in Nerone c. 28. de Nerone) *Puerum Sporum, exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est.* Non impium est, hoc tam infandum facinus cum re sanctissima comparare? Talis est illa Eucharistica transfiguratio? Ergo Sporus desiit esse puer, et conuersus est in naturam et substantiam puellae? Sed obscenum illud et ab hac re alienissimum Neronis piaculum mittamus. Quid amplius? *Audi Plinium inquientem* (H. N. IX. 3.) *sole Cancri signum transeunte, cancrorum, cum exanimati sint, corpus transfi-*

gurari in scorpiones narratur. *Fabulam idem Plinius censet* (VIII, 22.) *homines verti in lupos*, *homines transfigurari in lupos.* Haec e mediis fabulis sumta, hinc ipsa adeo transsubstantiatio sumta. Subiicitur ad extremum locus *Tertulliani*, velut omnium luculentissime vim verbi huius explicantis, e Libro c. Prax. (c. 27. in ed. 2. Pamel. p. 659. C.) *transfiguratio autem interemtio est pristini: omne enim, quod transfiguratur in aliud, desinit esse, quod fuerat, et incipit esse, quod non erat.* Atque hunc locum nos heterodoxi legere ac relegere iubemur, vt intelligamus, quam bene nobis sedeat tam praefracte *Impanationem* venditare et *transsubstantiationi* ob nouitatem verbi insultare. At o! bone, quam vehementer falleris! Vis ergo hoc pro certo poni, vt transfigurationis verbum semper e *Tertulliani* praescripto accipiatur? Quid fiet primum Seruatori nostro Iesu Christo? qui in monte Itabyrio *μετεμορφώθη, transfiguratus est*, vt vetus interpres habet, et *Tertullianus* non vno loco c. Marcionem? An hic quoque e definitione Tertullianea desiit esse, quod fuerat? et in aliam naturam ac substantiam est conuersus? Quid? animi nostri per fidem et sanctitatem *μεταμόρφωσις*, apud Paullum ad Romanos c. 12. estne animi nostri interemtio et substantiae mentis in aliam conuersio? Ipse profecto *Tertullianus* nolit verba sua ex hac lege iudicari. Quid enim? Cum a Satana *hominis spiritum malitia transfiguratum* dicit (de cultu fem. L. II. p. 176. D.) cum *licentiam artis transfigurare materiam vulgarem*, *lignum*, *saxa cet. in Deos:* (Apologet. c. 12. p. 14. B.) cum id, quod in nuptiis accidit virgini, *carnis transfigurationem* appellat (de Virginib. velandis p. 200. D.) cum *transfigurari Satanam in Angelum lucis*, auctore Paullo, dicit (adu. Marcion. V. p. 600. B.) et Pseudapostolos atque hypocritas *transfiguratores sui*, (ibid. A.) in his igitur putemus istam suam definitionem in animo habuisse, conuersiones substantiarum cogitasse? Ridiculus vero sit, cui tale quid in mentem venerit.

Sed

Sed ipsas Liturgias de hoc verbo audiamus, vt vanitas et inscitia ex eo aliquid pro sua opinione colligentis *Muratorii* appareat. In Sacramentario Gelasian. p. 514. extr. in benedictione Presbyterorum, haec verba sunt: *vt corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment:* quae totidem literis sunt in Missali vetere Francorum, subiecto collectioni Murator. p. 668. extr. sicut in Missali Gothic. p. 534. extr. Sacerdos orat, *vt fiat Eucharistia legitima - - - in transformatione corporis ac sanguinis Domini Dei nostri I. C.* Si transformatio et transfiguratio, e *Tertulliani* formula, quam tantopere probat *Muratorius*, capienda est, iam ipsum corpus Christi et sanguis interimetur et in aliam substantiam transibit: quod cuius aures non reformidant et abhorrent?

Iam in Ambrosianae Missae excerpto (p. 131.) cuius supra mentio iniecta est, *Panis et vinum in Sacramentum corporis sui et sanguinis a Christo*, instituente Eucharistiam, *transformatus* dicitur; quae forma et in aliis Missis occurrit: cui par est illa *Isidori Hispalensis* de Eccl. off. I. 18. cum, *panem et vinum visibilia quidem esse,* dicit, sed *sanctificata per Spiritum S. in Sacramentum diuini corporis transire.* Non hinc clarum est, consecratione effici, non vt panis aboleatur, et corpus Christi in locum eius succedat, sed vt aptus fiat Sacramento, vt sanctitatem accipiat hinc, quod cum eo aut per eum Christianis contingat frui corpore Christi? Denique *transformationem* nihil aliud esse, quam ἁγιασμὸν, clarum est e Missa sancti *Leudegaris Martyris*, in qua sacerdos orat: *vt descendat benedictio tua super hunc panem et calicem in transformatione Spiritus Sancti.* Spiritus Sanctus e mente veteris Ecclesiae, in Missarum formulis expressa, panem et vinum ἁγιάζει καὶ μεταβάλλει, vt catechesium Mystagogicarum auctorem loqui supra vidimus, vel μεταμορφοῖ: quae sunt synonyma omnia e legitimae interpretationis praeceptis.

Longiores fuimus in duobus verbis, quae maxime in hac controuersia iactantur, et imperitis facillime fucum faciunt. In ceteris licebit esse breuioribus. Post superiora autem illa plurimum tribuit ad caussam suam obtinendam verbo *transferri et transire*, cum panis et vinum dicuntur vel transferri, vel transire in corpus et sanguinem Iesu Christi, vt in Liturgia Alexandrina et S. Gregorii (ap. Renaldot. T. I. p. 31.): *Mitte super nos gratiam Spiritus S. qui sanctificet et transferat haec dona proposita in corpus et sanguinem salutis nostrae:* qua in Missa etiam *commutari proposita dona* dicuntur, et *Iesus panem facere corpus, calicem autem sanguinem suum.* Eo loco commemorato, subiicit demonstrationem potentissimam hancce: *Qui in eiusmodi verbis ac petitione transmutationem donorum ab antiquis depraedicatam non agnoscit, libero animo haec minime contemplatur.* Ac talis semper est, tales omnes eius demonstrationes. Nihil ille de vsu loquendi, ad rationem Grammaticorum: nam Theologum agit. Nempe in Grammatica ratione ipsi ante in aliis libris saepe res male cesserat. Potentiores sunt atque efficaciores oratoriae siue sophisticae potius demonstrationes: *Coecus sit, qui videre nolit, hoc esse in verbis istis: habes hic in meridie positam transsubstantiationem. Haec Liturgiarum excerpta nihil aliud exposcunt nisi sincerum lectorem et veritatis vnius auidum, vt intelligat, quid ipsis vetustis seculis Ecclesia Rom. de Eucharistia tradiderit et crediderit. Iam tot loca adduximus ex Eccl. lat. Liturgiis - - vt cuicunque sincere agenti constare possit, non aliam fuisse Ecclesiae veteris mentem cet.* At doctissimi viri, istorum verborum hanc vim non esse, clamant, consuetudinem loquendi istorum temporum consulendam esse, eam docere aliter, quam Romani velint, ista verba intelligenda esse. His vero ille non dignatur respondere, non immittere se istis Grammaticis minutiis et verborum concertationibus: res scilicet verbis praefert, cum magnis Philosophis, et reales istas demonstrationes verbalibus.

Sed

Sed vt ad rem redeamus, remittit nos ad extremum ad *Renaldotium*, quem dudum, ait, ostendisse, quam futili ac violenta interpretatione *Cl. Salmasius* eludere ac depravare conatus fuerit in his verbis mentem perspicuam ac fidem Aegyptiacae Ecclesiae. Talia scilicet designant Grammatici et Critici, toto coelo, vt aiunt, a Theologis diuersi, cum suis minutis interpretationibus verborum. At *Renaldotius* (T. I. Liturg. Or. p. 306.) nihil aliud fecit, nisi vt ista verba male ab *Salmasio* (Epist. p. 72.) versa ex Arabico esse ostenderet: deinde eius interpretationes μεταβάλλειν, μεταποιεῖν, μεταστοιχειοῦν, μεταῤῥυθμίζειν, alienas esse a mente Patrum ediceret, sed *id se non agere* profiteretur, vt accurate eas refelleret. Nec id agebat *Muratorius*. Nos autem desideramus hoc, vt ostendatur legitime, verba ista, *sanctificet ac transferat haec dona in corpus et sanguinem salutis nostrae*, habere hanc vim, vt μεταμόρφωσιν aliquam, quales in physicis eueniunt, aut in Ouidiano Opere descriptae sunt, quae substantiam alteram perimat atque proferat nouam, significare debeant: nam veram corporis et sanguinis Christi praesentiam Liturgia hac et aliis Orientalibus firmari accipimus, dante *Renaldotio*, in Diss. de Liturg. Orient. Orig. et Auctor. p. LVII. et accepit dudum *Ionus ὁ μακαρίτης* in Diss. de Liturgiis Orientalium in loco de S. Eucharistia Euangelicae veritati suffragantibus, Propos. V. p. 32. Sed id fieri non posse, plane demonstrari potest. Ac primum hoc mihi debet concedi, illud *transferre*, quod et in latina Liturgiae *Cyrilli* Copticae versione ap. *Renaldotium* (T. I. p. 48. extr.) occurrit, esse ductum a Graeco μεταποιεῖν, quod est in *Gregorii* Liturgia graeca (ibid. p. 105. extr.) eiusque adeo esse interpretationem. Nam Arabica versio e Graeco expressa est, et quae ibi est Arabica vox (ברק) nihil aliud, quam verbum μεταποιεῖν, h. e. μεταβολήν, *mutationem*, significat. Inde fit, vt hoc verbum non efficacius sit, quam μεταβάλλειν, *mutare, commutare*, siue *transmutare*, vt Graecum vertit *Renaldo-*

 tius,

tius, idque malunt fere, pueriliter amplexi illud *trans*, quasi *transmutare* plus sit, quam *mutare;* quod non esse, nemo nisi rudis linguae latinae neget. Atque etiam imperitiae interpretandi merito reus arguitur *Renaldotius*, qui verbum Arabicum per *transferre* interpretatus est, quod latini neque de mutatione quacunque, neque de conuersione rei vnius in aliam vsurpant, (quamquam etiam in Missali Gothico haec forma occurrit p. 548 extr. et subinde apud Ecclesiasticos scriptores infimae aetatis, vid. *Blondell* sur l'Eucharistie c. 5. p. 185. 186.) estque a tota hac re alienissimum: socordiae autem *Muratorius*, qui ista exscripsit e versione Renaldotiana, negligens securusque linguae. Quanto melius *Salmasius* fecit, cum *conuertere* interpretatus est. Sed imperiti linguarum, qui verba magis, quam vim vident, cum legunt *panem transferre in corpus*, facile inducuntur, vt nescio quam emphasin ac vim in isto verbo esse putent, vt facere videmus omnes linguarum non satis peritos, quibus omnia plena sunt emphasium. Ac fortasse hoc quoque spectauit callidus interpres. Sed nihil agit. Illud *transferre in C. et S. I. C.* nihil aliud est, quam quod supra docuimus esse *transformare et transmutare in C. et S. I. C.* quod indicat etiam locus alter in *Cyrilli* Liturgia, vbi sacerdos orat, vt mittatur Spiritus Sanctus *super hunc panem et super hunc calicem, vt purificentur et transferantur: et hunc panem quidem faciat Corpus C. cet.* Hic *purificare* et *transferre* nude ponuntur: eaque verba expressa sunt e Graecis ἁγιάζειν καὶ μεταβάλλειν s. μεταποιεῖν: quorum coniunctio quam vim habeat, supra dictum est, e formula Catechetae Graeci, *quidquid Spiritus S. attigerit, id ἡγίασται καὶ μεταβέβληται.* Adde tertium in Liturgia Coptica *Basilii: benedic eos* (panem et calicem) *sanctifica eos, consecra eos, transfer eos, ita, vt panis quidem cet.* vbi quatuor verba idem significantia coniunguntur. Haec dictis C. *Iani* (loco ante indicato p. 57.) admodum leuiter defuncti disputatione hac, qua ostenderet non esse in

Litur-

Liturgiis Orient. transsubstantiationem, addi commode a studiosis poterunt.

Restat, vt dicamus de locis iis, vbi *Spiritus Sanctus* dicitur *panem facere*, *conficere corpus Christi*, *vinum autem sanguinem Christi*, vbi *panis fieri caro* s. *corpus Christi*; quae sunt permulta in Occidentalium et Orientalium Liturgiis. Has autem loquendi formas non pertinere ad substantiae conuersionem, ita saepe dictum est a multis, *Mornaeo*, *Albertino*, *Claudio*, *Blondello*, nostratibusque Theologis, vt taedeat aliquid addere. Sed virorum praestantissimorum opera his se finibus continuit, vt aliis Ecclesiasticorum Scriptorum locis ostenderent, verum esse quod *Cyrillus Alex.* in Thesauro assert. 20. dixit: τὸ γενέσθαι ὐ πάντως φύσεως σημαίνει μεταβολήν. v. *Albertin.* p. 509. a. Mihi autem optime Romana ratio refelli, et vera eius formulae vis reperiri posse videtur, si originem eius indagemus et consideremus. Ego autem mihi dudum habui persuasum, hanc φράσιν arcessitam esse e Iohanneo Euangelio, et verbis illis notissimis, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. In eam sententiam duae me res maxime impulere. Prima, eaque grauissima, quod antiquissimi Scriptores Ecclesiastici mysterium hoc Eucharisticum comparant cum mysterio ἐνσαρκώσεως, simillimamque esse vtriusque rationem pronuntiant, denique illud ex hoc intelligi, explicarique volunt, vt altero capite videbimus. Antiquissimus eius rei auctor est *Iustinus*, loco supra proposito, qui, quemadmodum ὁ λόγος, Filius Dei aeternus, homo factus sit (σαρκοποιηθεὶς) sic panem illum et vinum εὐλογημένον, quo per concoctionem corpus nostrum alatur, illius σαρκοποιηθέντος Iesu σάρκα καὶ αἷμα esse dicit. Altera est, quod et in ipsa illa comparatione, et alias, cum verbo γίνεσθαι, *fieri* et *facere* vtuntur in hac caussa, libentius prope *carnem*, quam *corpus* dicunt. Iam si inde fluxit forma ista loquendi, quis non videt, inde etiam interpretationem eius repetendam, existimandumque esse, panem ita fieri corpus Christi, vt

cum ſpectabili pane, corpus Chriſti, inadſpectabili quadam ratione, coniungatur. Quod confirmari poteſt loco Liturgiae S. *Gregorii* ap. *Renaldotium* (T. I. p. 35. med. et 118.) *Purifica nos*, inquit ſacerdos, *ſicuti ſanctificaſti has oblationes propoſitas*, *et feciſti illas inuiſibiles ex viſibilibus* cet. Etenim clarum eſt, horum verborum ſenſum eſſe: feciſtique, vt pani et vino viſibili inuiſibile quid, h. e. Corpus et S. C. adiungeretur. Nam oblationes adhuc erant viſibiles, cum eas velut digito demonſtraret, *has oblationes*.

Atque ita arbitror ſatis perſpicue eſſe demonſtratum, nihil eorum, quae *Muratorius* attulit e Liturgiis antiquis, vim aliquam habere ad labefactandam noſtrae quidem Eccleſiae ſententiam, et ſtabiliendam contra illam, Romanae Eccleſiae tantopere probatam, μεταμόρφωσιν. Nihil amplius a nobis poſtulari poteſt, qui nihil aliud, quam Muratorianae diſputationis confutationem promiſimus. Verum non agemus e ſyngrapha: ſed aliquod huic diſputationi velut auctarium adiiciemus, oſtendemusque, noſtrae Eccleſiae ſententiam Liturgiis praeclare firmari: ſi firmamentum eſt in veteris Eccleſiae conſenſu. In quo praetermittam vniuerſe docere id, quod *Blondellus* inſtituit demonſtrare (ſur l'Euchariſtie c. 21.) Romanam illam conuerſionem aduerſari Miſſae Canoni: in qua ille demonſtratione ſuae magis Eccleſiae cauſſam priuatim egit, quam communem et noſtrae. Si *coniunctionem* panis et corporis Chriſti clare ineſſe Liturgiis oſtendero, illud quoque ſua ſponte intelligetur. Sed vt ab aliis hanc diligentiam poſtulamus, vt ne verborum ſono decepti, affingant Liturgiis alienam ſententiam, ita nos quoque eam lectoribus noſtris debere putamus. Itaque non vtemur Mozarabicae Liturgiae verbis, in quibus *Coniunctio corporis et ſanguinis Chriſti* memoratur: Et *coniunctio corporis et ſanguinis D. N. I. C. ſit ſumentibus et potantibus nobis ad veniam*. Nam ibi *coniunctionem eſſe* κοινωνίαν, quae

ſit

fit edendo atque bibendo, *perceptionem*, etiam e Concilio Toletano quarto, quod Sec. VII. fuit, Can. 18. patet: *Post orationem Dominicam et Coniunctionem Panis et Calicis benedictio sequatur.* Ille autem locus est plane euidens, cum in Iacobitarum Liturgia, et quidem e Codice Colbertino (ap. *Renald.* T. II. p. 368.) in παραφράσει verborum Dominicorum sic sacerdos ait: *Quotiescunque sacrificio hoc diuino reficiemini, et panem hunc manducabitis, calicemque hunc bibatis, ego in medium vestri veniam, super thronum sedens, PANEMQVE ET VINVM PER VNIONEM ASSVMENS, atque in patena et in calice habitabo* cet. Quo loco ipse *Renaldotius* (p. 369.) fatetur, in Syriaco exemplo idem esse verbum, quo vnionem λόγȣ et σαρκὸς in Christo exprimant, et hanc esse solennem Iacobitis doctrinam, vt panem et vinum dicant fieri corpus et sanguinem I. C. per assumtionem et vnionem, sicut corpus humanum e carne et sanguine Mariae formatum, factum est corpus Verbi Dei, assumtum et vnitum Verbo Dei: id quod etiam locis ex Homiliis Syrorum docet. Huic accedat locus supra commemoratus e Liturgia *S. Gregorii.* Sacerdos post consecrationem primum dicit: *praeparasti nobis panem coelestem, corpus* HOC *tuum sanctum* cet. Post orat: *Purifica nos, Domine, sicut sanctificasti* HAS *oblationes propositas, et fecisti illas inuisibiles ex visibilibus.* Si praesens est corpus Christi, neque figurate, sed vere et proprie, quod credidisse Orientales pluribus Liturgiarum locis docet *Ianus* Diss. c. Prop. V. patetque et hinc e verbis *hoc corpus tuum;* praesensque adhuc est panis cum vino, *has oblationes:* quae alia est ratio istius rei explicandae, nisi per vtriusque coniunctionem? In Liturgia Graeca *S. Gregorii* Alexandrina (p. 103.) sacerdos ait: σύ μοι τὴν μυστικὴν παρέδωκας τῆς σαρκός ἐν ἄρτῳ καὶ οἴνῳ τὴν μέθεξιν: *tu mihi tradidisti mysticam hanc corporis* tui *cum* (sic malim quam *in:* centies enim in Nouo Testamento ἐν pro σὺν) *pane et vino perceptionem:* quae sunt prorsus Lutherana.

Sacramenti verbo nihil aliud ſignificari, quam *ſignum viſibile*, continens donum diuinum: panem et vinum eſſe ſigna, quae corpus et ſanguinem Chriſti contineant, etiam poſt conſecrationem, quanquam eorum ſubſtantia ſit in corpus et ſanguinem Ieſu Chriſti conuerſa.

Primo, quamquam in omni ſacramento, quod quidem proprie a Theologis dicitur, eſt ſignum viſibile, tamen ſacramenti vox ipſa, praeſertim hoc in loco, non ſonat tale quid: alioqui dicendum foret, mox *myſterium* idem ſignificare. Nam clarum eſt, quod ante *Sacramentum C. et S.* dicatur, idem poſt *myſterium C. et S. C.* vocari. Poterat diſcere rem e loco *Auguſtini*, de quo mox (p. 110.) *iſta fratres ideo dicuntur ſacramenta, quia in iis aliud videtur, aliud intelligitur*: ibidemque, *panis et calix magnae rei ſacramentum continere* dicitur. Sed hoc cauſſae neutri neque obeſt, neque prodeſt. At illud mirum eſt, panem et vinum, cuius ſubſtantia perierit, tamen ſigna viſibilia eſſe. Abhorret enim a ſenſu communi, ſubſtantiam rei periiſſe et tamen eius attributa omnia ſenſibilia manſiſſe. Profecto *Facundus* nihil aliud cum omni vetere Eccleſia ſentit, quam quod nos *Lutheri* e diſciplina ſtatuimus: panem quidem et vinum, quae corpus et ſanguis Chriſti dicantur, proprie, *κατ' ἀκρίβειαν*, non eſſe C. et S. C. quod eſt ſane veriſſimum, alias non eſſet verus panis et verum vinum: ſed dici tamen recte corpus et ſanguinem Chriſti, quia vtrumque in ſe contineat, ſiue cum vtroque coniuncta ſint: quod ille bene vocat *myſterium* et *ſacramentum*, quia ea coniunctio eſt ſanctiſſimum myſterium, quod omnem vim mentis humanae ſuperat. Atque hoc ita euidens eſt, vt *Muratorius* ipſe in eius loci explicatione repente Lutheranus factus ſit. Audiamus ipſum: *Ergo etiamſi ſacramentum, id eſt, ſignum viſibile C. et S. D. proprie non ſit ipſum Corpus et S. D: qui tamen ſacramentum ſumit, veram et non figuratam Carnem et S. C. recipit, quid Species panis et vini* (ſ. panis et vinum) *ſtuera in ſe myſterium, h. e. arcanam,* tremen-

tremendamque praesentiam corporis et sanguinis Domini continent, *et nos in pane et poculo consecrato*, *carnem eius et sanguinem sumimus*, *uti diserte Facundus testatur*. Obtestor omnes, qui haec legunt, an haec non sint γνησίως Lutherana. Idque ipse *Muratorius*, ea vis est veritatis perspicuae, sensit. Itaque addit: *Fatendum nihilominus est*, *quemquam ex hoc Facundi loco posse inferre Lutheranae sectae*, *ut aiunt* (calumniatores) *impanationem*, *quasi in Eucharistia panis et vinum*, *seruata sua substantia*, *cum veritate corporis et sanguinis Domini coniungantur*. Quid ergo impedit, quo minus hoc ex illo loco colligi debeat? *Quia perpetuus mos fuit*, *panem et vinum appellandi consecratas oblationes*, *etiamsi crederent*, *nullum panem et vinum amplius adesse*. O! mirabilem Dialecticum! Hoc autem ipsum est, de quo quaeritur, quod hoc ipso loco refellitur. Quaeritur scilicet, an panis et vinum proprie in Eucharistia, etiam a consecratione, dicantur. Ad hoc vincendum affertur hic *Facundi* locus, in multis aliis. Quid noster? *Facundus* non proprie vult, panem adesse: quia in hac re non proprie dicitur.

Alter locus est ex *Augustini* Sermone ad Neophytos, seruatus a *Fulgentio*; in quo Berengariani magnum suae caussae praesidium ponunt, vnde iam ab *Albertino* ante *Bingamum* prolatus est. In eo accipimus, quod *Muratorius* defendit, nihil esse praesidii isti sententiae. Falli tamen ipsum credimus cum *Perronio* in eo, quod aliquid excidisse statuit, velut aliter expediendi se inde facultas non detur. Adponemus locum ipsum: *Hoc quod videtis*, *Augustinus* dicit Neophytis, *in altari Dei*, *etiam transacta nocte vidistis: sed quid esset*, *quid sibi vellet*, *cum magnae rei sacramentum contineat*, *nondum audistis. QVOD ergo VIDETIS PANIS EST ET CALIX*, *quod vobis etiam oculi vestri renunciant: quod autem fides vestra postulat instruenda*, *PANIS EST CORPVS CHRISTI*, *CALIX SANGVIS CHRISTI.* Tum neophyti inducuntur interrogantes, quomodo, cum

cum Christus sit in coelo, panis esse possit corpus Christi cet. Ad haec *Augustinus* respondet sic: *Isthaec ideo dicuntur sacramenta, quia in iis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum spiritualem. Corpus autem Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus, Vos autem estis Corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa Dominica positum est cet.* In hac igitur posteriori parte aliquid excidisse volunt, quod responsio Doctoris non videtur congruere interrogationi neophytorum. Si Crisin exercere libeat, in prima parte dicam insititia esse verba *Panis* et *Calix*, legendumque: *quod fides vestra postulat instruenda, est Corpus Christi, sanguis Christi:* in quo non admodum difficiles me puto habiturum eos, qui facultatem de talibus iudicandi habent. At in altera parte nihil desidero; omnia integra puto. Sed intelligendum est, *Augustinum* ante oculos habuisse et in animo locum *Paulli* in Epistola ad Corinthios prima X, 17. εἷς ἄρτος ἓν σῶμα οἱ πολλοὶ ἐσμὲν cet. et fructum percepti corporis et sanguinis C. exprimere maluisse, quam corpus et sanguinem ipsum *). Intelligi enim e disciplina Christiana neophytis ante tradita putabat sua sponte, huius coniunctionis cum Christo, et in Christo vinculum esse perceptionem eiusdem corporis et sanguinis Christi. Non demonstrare vult, quomodo Christi corpus possit esse praesens in Coena S. quis enim hoc potest? sed esse haud dubie praesens, quod satis est: Sane, inquit, corpus et sanguis Christi non cernuntur: sed inuisibili quadam ratione adsunt, eamque ipsam ob caussam haec sacramenta, mysteria, dicuntur, quia per fidem modo intelligitur ista praesentia, nixam verbo Christi, sed id quod intelli-

*) Simillimus est locus *Gaudentii* Brixiani, tr. 2. ad Neoph. quem nemo non integrum agnoscit: *In pane accipitur figura corporis Christi, quia nouimus e multitudine humani generis vnum esse corpus effectum.*

intelligitur, corpus et sanguis Christi, habet fructum hunc, vt omnes vnum Christi corpus simus. Atque ex hoc ipso, quod per S. Coenam vnum corpus Christi fiunt Christiani, intelligi docet, praesens esse inadspectabile corpus Christi. *Si ergo vos*, inquit, *estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa Dominica positum est:* quo scilicet percepto fiunt Christiani corpus et membra Christi. *Mysterium vestrum* certe non est panis adspectabilis, sed corpus et sanguis Christi. Si autem corpus Christi tantum figuratum s. ideale perciperemus in S. Coena, quomodo in mensa Dominica positum diceretur? Sed hoc nihil ad hanc nostram disputationem. Illud autem velim ostendisset, quomodo hic locus cum *μεταμορφώσει*, panis substantiam tollente, consistere posset. Sed hoc ille transit. Non disputare hic iubebat in hanc partem: *Quod videtis in altari, panis est et calix: quod fides vestra postulat, corpus et sanguis Christi.* Sicut; quod fides postulat, non est mera figura C. et S. C. sic nec, quod oculi vident, est figura inanis panis et vini, sed panis verus, et verum vinum. Eademque verba repetuntur in eodem sermone: *Debetis scire - - - quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, est corpus Christi.*

Sed fortius telum nobis, Lutheranis, intentatur e Catechesibus Mystagogicis, primum e loco supra commemorato, de comparatione mysterii huius cum vino nuptiali Canae: cui quia ibi iam satisfecimus, eum hic praetermittemus: deinde ex alio eiusdem Catecheseos: *μὴ προσέχετε οὖν, ὡς ψιλοῖς, τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ· σῶμα γὰρ καὶ αἷμα Χριστοῦ κατὰ τὴν δεσποτικὴν τυγχάνει ἀπόφασιν. εἰ γὰρ καὶ ἡ αἴσθησίς σοι τοῦτο ὑποβάλλει, ἀλλὰ ἡ πίστις σε βεβαιούτω. μὴ ἀπὸ τῆς γεύσεως κρίνῃς τὸ πρᾶγμα, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς πίστεως* cet. Haec aduersus *Bezae* aemulos perspicua esse video: pro transsubstantiatione nihil habent, vt putat *Muratorius.* Quid dicturus erat, si non loca ex aliis congessisset, sed Catechesin illam totam

totam ipſe legiſſet. Etenim multo ſpecioſius erat, quod in extrema eſt: Ταῦτα μαθὼν καὶ πληροφορηθεὶς, ὡς ὁ φαινόμενος ἄρτος οὐκ ἄρτος ἐστὶν, εἰ καὶ τῇ γεύσει αἰσθητὸς, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ· καὶ ὁ φαινόμενος οἶνος οὐκ οἶνός ἐστιν, εἰ καὶ ἡ γεῦσις τοῦτο βούλεται, ἀλλὰ αἷμα Χριστοῦ. Non hunc locum praetermiſiſſet, ſi legiſſet ipſam Catecheſin. Hic multo magis dixiſſet: *habes in meridie poſitam transſubſtantiationem Catholicorum!* Sed nec hic locus cauſſae iſti prodeſt, etſi omnium, quos quidem nouerim, ſpecioſiſſimus eſt, propterea valde iactatus *Bellarmino*, *Perronio*, et aliis. Primum φαινόμενος ἄρτος et οἶνος non eſt ſpecies inanis panis et vini, vt illi volunt, commemoratis ἀγαθοῖς φαινομένοις, quae ἀληθινοῖς opponantur: ſed *adſpectabilis panis* et *viſibile vinum*, vt recte reſpondit *Albertinus*, et exemplis docuit p. 429. b. f. in hoc vno non ſatis accuratus, quod hanc quoque ſignificationem vocis φαινόμενος eſſe dixit, cum dicere debuiſſet, in oratione populari, et ſacris libris, φαινόμενα ſemper eſſe *viſibilia:* illam alteram ſignificationem, qua ea τοῖς ἀληθινοῖς opponuntur, eſſe Philoſophis propriam, in diſputatione de bonis et virtutibus, quae extra philoſophiam in interpretando adhiberi nequeat. Iam porro, quod non vult panem et vinum eſſe, etiamſi ſapor vtriusque, et quidem ſolus percipiatur, id clarum eſt ex ſuperioribus intelligendum de pane ψιλῷ: *Iuſtinus* κοινὸν vocat, loco ſupra allato: idem Catecheſium auctor λιτὸν (Catech. M. I, p. 229. C) non de pane ac vino ſimpliciter.

Prolatis porro e Canone Ambroſiano Excerptis, ad quae ſupra reſpondimus, ſubiicit loca varia ex *Ambroſii* libris. Iis, non eſt, vt diu immoremur. Nam in omnibus, praeter vnum, nihil eſt, niſi *mutationis* vel *transfigurationis* verbum, quorum vim, ſupra clare oſtendimus, nullam eſſe. Vnus eſt, qui conturbare aliquem poſſit, e libro de *Myſteriis* c. 9. *Forte dicas*, verba ſunt *Ambroſii*, *aliud video. Quomodo tu mihi adſeris, quod corpus Chriſti accipiam? Probemus, non hoc eſſe, quod natura forma-*

formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioremque vim eſſe benedictionis, quam naturae: quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Tum commemoratis Prophetarum in V. T. miraculis, ſubiicit hanc argumentationem: *Quod ſi tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicemus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba Saluatoris ipſius operantur? - - - Sermo Chriſti, qui poterat e nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea, quae ſunt, mutare, quod non erant.* Hunc locum *Muratorius* hanc quidem ob cauſſam attuliſſe videtur, vt veram praeſentiam corporis Chriſti inde intelligi vellet, ſed verbis, *benedictione natura ipſa mutatur*, diuerſo literarum genere expreſſis, ſatis indicat, ea etiam ad conuerſionem ſubſtantiae panis in corpus Chriſti pertinere. Ceterum de more ſuo ita haec verba attulit, quaſi ignoraret, quae *Albertinus* dudum ad hunc locum, ab aliis prolatum, reſpondit, primum perſpicuis locis veterum Doctorum, ſi quid eſſe aliud dicatur, quam ante fuerit, id non ad ſubſtantiae interemtionem ac conuerſionem pertinere. Nec id poteſt eſſe obſcurum ei, qui vſum loquendi omnium linguarum obſeruauit, quod de *Muratorio* quidem ſperare licebat. Sed quod in aliis ſcriptoribus omnes vident, ad id neſcio quo modo caeci ſunt multi in iis, qui ad religionem pertinent: et quod in iſtis interpretandis rideretur, id ſibi in his rectum eſſe, et licere putant. Deinde demonſtrauit, *naturam*, quae hic mutata benedictione dicitur, non ſemper ſubſtantiam ſignificare, quod pueris etiam, mediocriter latine doctis, notum eſt: in hac quidem cauſſa nullo modo hanc vim habere, cum alii, non minus probati Eccleſiae doctores, naturam panis et vini eam, quae ſubſtantia dicitur, nequaquam mutatam clare dicant, in his *Theodoretus*, qui (in Dial. I. p. m. 29.) adſpectabilia in Euchariſtia ſigna corporis et ſanguinis ſui appellatione Chriſtum honoraſſe dicit, ὀ τὴν φύσιν μεταβαλόντα, *non mutata ſubſtantia*, ſed τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικότα, *ſed gratia naturae*

addita. Sed quod illo ipſo in Dialogo *Theodoretus* Eraniſtae dicit (p. 31.) κατὰ τὴν παροιμίαν, εἰς τετρημένον πίθον ἀντλοῦμεν. μετὰ γὰρ ἐκείνας ἁπάσας τὰς ἀποδείξεις, καὶ τὰς τῶν ἀντιθέσεων λύσεις, τοὺς αὐτοὺς λόγους ἀνακυκλεῖς. *Secundum prouerbium dolio pertuſo haurimus. Nam poſt omnes illas demonſtrationes noſtras, et obiectorum refutationes, eadem repetis:* idem nobis in iſta cauſſa accidit, idem fecit Muratorius, ſatis habens, repetere dicta centies, nihil reſpondens ad ea, quae contra dicta erant.

Capite XII. (p. 150 ſq.) eſt diſputatiuncula de nobilibus locis *Io. Chryſoſtomi* in Epiſtola ad *Caeſarium*, *Theodoreti* in Dialogo ſecundo, *Ephremi* apud *Photium*, (cod. 229.) et *Gelaſii I.* in libro de duabus naturis: in quibus quid lectori animaduertendum ſit, pro virili ſe expoſiturum profitetur. Lutheranos quidem, iis confirmari, exiſtimare, ſuam de corporis et ſanguinis Chriſti cum pane vinoque coniunctione ſententiam, ſed facile perſpici, quam iuſte Romana Eccleſia hanc opinionem damnauerit. Si adeo facile eſt: nos quoque, opinor, perſpiciemus Lutherani: *neque* enim *adeo obtuſa geſtamus pectora*, vt quod facile ſit perſpicere, nos aſſequi nequeamus, animaduertendum modo eſſe, (illuc ſumus) manifeſtam adeo eſſe vim vocum, quibus Liturgiae et S. S. Patres vtantur ad exprimendam *mutationem*, quae per conſecrationis verba fiat, et per *transſubſtantiationis* vocem deſignari ſoleat, vt abſurdum plane ſit cogitare, ſuperſtitem eorum elementorum ſubſtantiam in ſacramento, et agnoſcere cogamur, conuerti illorum ſubſtantiam in corpus et ſanguinem Domini. Poſt haec commemorat ea, de quibus capite ſuperiori dictum eſt, verba. Haec vero miſeranda potius eſt, quam refellenda oratio, qua ſtultiſſimus quisque in quaque re poteſt vincere, ſi ea aliquam vim poteſt habere. Ac nos ſupra de verbis iſtis omnia alia docuimus, ſecuti certas interpretandi leges, et vſum loquendi certum et de ridicula *transelementatione*,

quam

quam hic addit superioribus verbis, satis dictum a *Salmasio* de transsubstantiatione, p. 51 sqq. quae si quis potest, saluis Grammaticis praeceptis, refellere, eum audiemus.

Sed deinde tentat respondere de locis singulis: et primum de *Chrysostomi* verbis. In quibus multo potius nobis licet vsurpare illud *Muratorii:* loci illius vim ita manifestam esse, vt absurdum plane sit, aliud ibi quid, quam Lutheranam sententiam, quaerere, eam non agnoscere. Neque ista mera verba sunt, quae Sophistarum more iactamus, vbi nihil aliud habemus, quod dicamus: sed res ipsa hoc loquitur, et historia huius epistolae. Nam si non manifeste transsubstantiationis figmentum tollit ista epistola, quare, primum, ab initio nihil aliud responsum est a *Perronio* et aliis, quam epistolam illam a *Petro Martyre* esse confictam? quare deinde hoc tanto studio, tanta cura, adde etiam vi, actum est, vt epistola illa in Bibliotheca Florentina occultaretur, edita supprimeretur? Quare post haec tantopere laboratum, vt vel spuria putaretur, vel aliter intelligeretur? Nonne haec signa sunt laborantium, et ob perspicuitatem verborum in angustias eas redactorum, vnde se expedire non possint? Tum, quod etiam Zwinglianae rationi addicti, nominatim *Bingamus*, fatentur, hunc locum certe fauere Lutheranae sententiae; non clare indicat, hic esse eam perspicuitatem, cui refragari non possis? Age vero, quid noster hic molitur? Nihil aliud exspectaui, quam vt, sicut antiquus ille *Aristarchus*, versus *Homeri*, quos non probabat, pro spuriis reiiciebat, ita ipse, velut alter *Aristarchus*, Epistolam hanc *Chrysostomo* abiudicaret, qui etiam *Paullino* in *Anecdotis Latinis* multa verba et formas dicendi abiudicat, etiam hemistichia, quae totidem literis sunt in Virgiliana Aeneide, et hinc a *Paullino* repetita. Sed fortasse noluit sibi aliquid porro negotii esse cum Critica, quae se in Inscriptionum Corpore tam saepe, tam foede fefellisset. Aequus est ergo Epistolae

 ipsi:

ipsi: si non *Chrysostomi* sit, antiqui auctoris tamen esse, atque adeo audiendi. Verum partes eorum sequitur, qui hic nihil esse aduersum Romanae opinioni existimant. Atque hic prorsus mirabilem se interpretem praebet. Nullum Epigramma graecum in toto illo Inscriptionum Corpore tam dextre, tam callide interpretatus est. Auctor illius Epistolae Eutychianum errorem refellens, qui profecto *Muratorio* probandus fuit, quando in *Mutationis* verbo tantam vim, et perspicuam μεταμόρφωσιν agnoscit, vtitur comparatione illa vsitatissima istius mysterii cum S. Eucharistia, vt ostendat, non esse consequens, quia Christus Deus dicatur, vt propterea humana natura in diuinam conuersa, aut a diuina absorpta sit: *Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus, quia reuera panis est, diuina autem sanctificante gratia liberatus quidem est ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etiam si natura Panis in ipso permansit, et non duo corpora, sed vnum Filii corpus praedicatur: Sic et hic, diuina insidente corporis natura, vnum Filium, vnam personam vtraque fecerunt.* Audi iam, VIR VENERANDE, interpretem: nunquam acutiorem TE audisse credo. *Liberatus est*, *Chrysostomus* ait, *panis de appellatione panis.* Quomodo? *quia panis*, inquit *Muratorius*, *non amplius est, et factus est corpus Christi.* Mirum sane, hanc *liberationem* panis ab appellatione sua dici! Immo, o! bone, *liberatur* panis a nominis sui humilitate, quia accipit nomen corporis Christi, propter eius adiunctionem: vt homo Iesus liberatur appellatione hominis, et accipit nomen Filii Dei propter ἕνωσιν: haec enim est argumentatio *Chrysostomi*, vt *Iustini*, *Theodoreti*, et aliorum. Quid porro facit istis: *etiamsi natura panis in ipso permansit?* Ea sic interpres clarus παραφράζει: *cum tamen color, odor, friabilitas, palpabilitas, aliaeque panis qualitates, siue species post consecrationem permaneant, propter ea* natura panis *remanere dicitur.* Ergo etiam Eutychi similiter dicere licebit: *cum tamen figura, color*

et

et aliae qualitates, ſ. ſpecies humanitatis poſt incarnationem permanent, propterea natura humana remanere dicitur: quam παράφρασιν admittere cogitur *Chryſoſtomus*, ſi Muratoriana illa vera eſt. Immo, o! magne interpres, natura panis non *dicitur remanere*, ſed *permanſit*. Atque tu ante pugnabas, *naturam eſſe ſubſtantiam* pag. 135. et *naturae mutationem* eſſe ſubſtantiae conuerſionem. Quomodo repente natura in ſpeciem externam conuertitur. Nempe virgulam diuinam habetis Vos, Romani Grammatici, atque interpretes, atque multo magis Theologi, qua omnia, cum lubet, conuertitis, transelementatis. Enim vero pergit: *Quod ſi ſophiſticando exigis: ſicuti corpus C. in Euchariſtia realiter exſiſtit, ita illic remanere debere corpus panis: nos cum eodem auctore reſpondemus,* non duo corpora, ſed vnum corpus Filii praedicari *de Euchariſtia, quia panis ſubſtantia in Corpus Domini per diuinam virtutem conuerſa eſt* cet. Illud recte: *non duo Corpora praedicari*, ſicut in Chriſto, vnus Filius, vna perſona, non duo Filii, duae perſonae: ſed vt *vtraque* natura, diuina et humana, *vnum filium, vnam perſonam fecerunt*, ſic hic vtrumque, panis et corpus Chriſti, *non duo corpora, ſed vnum filii Corpus praedicantur.* Ad extremum redit ad illud ſuum, vt haec verba obſcura et confuſa dicat mireturque, quare non aliis potius perſpicuis *Chryſoſtomi* locis nitamur, quem pag. 158 extr. ſolum omnem hanc controuerſiam dirimere poſſe dicit. Si de praeſentia vera C. et S. C. intelligit, concedo, de transſubſtantiatione nihil legi, aut prolatum vidi, cui non facile reſpondeatur. Quamquam nos deterrere poterat, quo minus alia loca *Chryſoſtomi* attingeremus, cum eum *coecum aut impudentem* pronunciet, qui in iis non videat dogmata Romana, ibi in meridie poſita (p. 164.) tamen auſi ſumus inſpicere, quae ipſe attulit. Credibile eſt, de grandi, vt ait, aceruo ſumſiſſe maxime perſpicua et grauia. Sed quamuis coecum me iudicent, qui eadem hic cum *Muratorio* vident, fateor, me in iis agnoſcere

veri corporis et sanguinis Christi praesentiam, μεταμόρφωσιν Romanam nullo modo, quamuis intendens oculorum aciem, videre potuisse. Neque enim aliud ibi est, praeter verba ἁγιάζειν καὶ μεταβάλλειν et e propositis in mensa donis ποιεῖν σῶμα καὶ αἷμα, quae ad efficiendum id, quod placet *Muratorio*, nullo modo valere, satis ostendimus superiori capite. Alia loca indicare voluissem bono Viro, quae maiorem speciem habent, si me consuluisset, vel e libris de sacerdotio: sed et his respondere potuissem.

Iam *Theodoreti* locus ab eo disceptatur dupliciter: primum aduersus Zwinglianos (p. 155. 156.) in qua parte nos ei plane adstipulamur: deinde aduersus nos breuiter pag. 157. extr. *Theodoretum*, ait, non diffiteri, mutationem in symbolis fieri per consecrationem. Recte facit: nec quisquam dubitat. At quae est ista mutatio? Factum esse et credi corpus et sanguinem Christi. Hoc quoque vere. Quomodo *facta* statuit? Hic nihil *Muratorius*. At enim vero hic inprimis audiendus erat *Theodoretus*. *Symbola*, ait, *post consecrationem non recedunt a sua natura. Manent enim in priori substantia*, *et figura*, *et forma*, *et videri tangique possunt*, *sicut et prius*. Haec, haec o! Muratori, conciliare debebas, cum tua μεταμορφώσει! Atque hic plane nullum effugium patet, nec vlla deprauatio locum habet. Nam his illustrat mysterium incarnationis Dominicae, et sicut in Eucharistia verus panis maneat post consecrationem, sine conuersione substantiae, sic in Christo post incarnationem mansisse verum hominem. Tota ratiocinatio, quae est communis omnium doctorum veterum, in controuersia cum Eutychianis, perit, fitque absurda, et contraria, et fauens Eutychianis, si aliter ista verba accipere velimus. Itaque hic mirabiliter se torquet Natalis Alexander H. E. Sec. V. c. 4. p. 152 b. nec tamen se expedit.

Sed de *Ephremi* loco mox disputans, in quo et ipso *panis a sensibili substantia non discedere* dicitur, videtur ali-

quid

quid respondere voluisse. Quid illud est? Nihil aliud, quam quod a *Bellarmino*, *Perronio*, *Natale Alexandro*, *Arnaldo*, aliisque allatum, dudum repudiatum est. Qui iactant se in verbis *substantiae* atque *naturae*, vbi caussae ipsorum fauere videantur, ii hic, vbi contra est, non nimis dicunt vrgenda esse, nec ἀκριβείαν scholae sequendam: Proprietates etiam corporum istis verbis designari: externam igitur naturam et substantiam remanere a consecratione, nec transire in corpus et sanguinem Christi, sed internam: hoc sensisse Doctores Ecclesiae veteres, atque id suffecisse ad retundendos Eutychianos. Quae sunt anilibus fabulis simillima. In verbis *naturae*, atque etiam si quis ita velit, *substantiae* (quanquam inaudita est in omni antiquitate substantiae externae et internae diuisio) esse quandam ambiguitatem, concedam. Sed hoc vno nemo se in tali quaestione expedierit commode; videndumque potius, quam vim quaeque caussa desideret. Quod in his locis perfacile est definire. Dico igitur: qualis sit naturae et substantiae vis, cum aduersus Eutychianos disputatur, naturam atque substantiam humanam in Christo non esse abolitam atque absorptam a diuina, talem etiam hic intelligendam esse, propterea, quod alias, vt ante dixi, argumentatio Doctorum Ecclesiae nullam vim haberet, sed esset perinepta. Enim vero falsissimum est in ista controuersia substantiae et naturae nomen Doctores vsurpasse de quibusdam externis proprietatibus, et vt in scholis loquuntur, accidentibus, nec vllo modo sufficiebat demonstrare, ista sensibilia hominis attributa remansisse. Nam Eutychiani non erant ita insani, vt negarent, ista ex humanitate in Christo post ἕνωσιν, in qua humanam substantiam perisse dicebant, remansisse: qui sciebant, eum spectari tangique potuisse, et omnia fecisse, quae veri homines facerent, edisse, bibisse, ambulasse, dormisse: quae sunt a diuinitate aliena. Internam substantiam haustam ab diuinitate atque abolitam dicebant, quod aliter duas personas in

Christo statuendas putarent. Vnde fit, vt ea verba in illa controuersia plane sic dicta fuerint, vt nos volumus, eamque ob caussam in locis *Chrysostomi*, *Theodoreti*, *Ephremi*, atque *Gelasii* sic sint accipienda. Quo constituto, panis et vini conuersio Romana prorsus tollitur.

Ceterum quoniam verbis *symbola facta sunt C. et S. C.* hic quoque abutitur, poterat e nullo alio veterum doctorum planius discere, quam parum ea verba fauerent caussae suae, et quae vera eorum esset vis. Neque enim quisquam luculentius *Theodoreto* in istis dialogis explicavit: vt in primo (pag. m. 57.) *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, ὐ μετάπτωσιν τῆς φύσεως σημαίνει, ἀλλὰ τὴν ἀνάληψιν τῆς ἡμετέρας φύσεως*: idque illustrat altera formula *Paulli*, quae Christum dicit pro nobis *γεγονέναι κατάραν*: totusque Dialogus in hoc consumitur, vt in *γεγονέναι* nullam conuersionem substantiae intelligendam ostendatur. Atqui eandem rationem esse in Eucharistia dixit. Quae deinde ex iisdem Doctoribus affert verba, quibus *transisse symbola* dicuntur *in diuinam substantiam*, ea quia capite superiori refutata sunt, de iis nihil hic addere necesse est.

Sed occurritur nobis e Catechesi Mystagogica quarta, vbi *ἐν τύπῳ ἄρτυ* (p. 530.) dari nobis corpus Christi traditur: *figuram* interpretantur bene: vnde non modo corpus Christi adesse, sed etiam de pane sola species relinqui videtur. Quo cum loco coniungi possunt ea, quae alibi e *Tertulliano* c. *Marcion.* IV. 40. et *Gaudentio* tr. II. ad Neoph. adferuntur, vbi panis Eucharisticus dicitur *figura corporis Christi*, in quo se mirifice torquet *Muratorius*. Videbimus de vtroque et vtrumque ab interpretationibus prauis vindicabimus. Intelligendum autem est, *τύπον*, *σχῆμα*, *figuram* significare signum vel adspectabile, vel omnino sensibile alicuius rei, non absentis modo, verum etiam praesentis, quae non incurrat in oculos, aut data opera occultetur, sed per illud signum, per illam figuram, indicetur: eaque vis istius verbi frequentata est inpri-

inprimis a ſcriptoribus Eccleſiaſticis, qui hanc rationem e ſacris libris duxiſſe videntur. Non commemorabo *cauſſidicorum et hiſtoricorum figuras*, e *Suetonio*, et aliis: quae ſunt formae loquendi, non tam propter id vſurpatae, quod proprie indicant, ſed propter alium latentem ſenſum, quem plane et aperte quis proferre non vult: quis eſt ita hoſpes in ſcriptorum Eccleſiaſticorum libris, qui neſciat, v. c. Sabbatum dici figuram vitae coeleſtis, agnum paſchalem figuram Chriſti mortui, et multa alia ſimiliter? In quo illud animaduertendum eſt in primis, in omnibus iſtis formis loquendi id, quod ſub figura latet, non modo eſſe potius figura, ſed etiam rem ipſam et quaſi corpus, quocum id, quod figurae locum obtinet, vt vmbra cum corpore comparetur. Ex quo intelligitur, cum *Corpus Chriſti* nobis *in figura panis dari*, dicitur, id primo veritatem corporis Chriſti indicare, deinde etiam veritatem panis: neque illa verba aliud ſignificare per legitimam interpretandi rationem poſſe, quam cum adſpectabili et ſenſibili pane dari nobis inadſpectabile et non incurrens in oculos corpus Chriſti, quod tamen non minus verum ac proprium ſit, quam panis ipſe. Cum porro *Tertullianus* et *Gaudentius* panem *figuram corporis Chriſti* dicunt, primum id nullo modo prodeſſe Zwinglianae rationi patet, e verbis ipſis ante declaratis: *Muratorius* autem, in anguſtias redactus, mirabiliter ſe hinc expedit: primum rurſus tenebroſa iſta verba iudicans, deinde ea ſic poſt alios explicans, vt *Tertulliani* mentem eſſe dicat, panem in veteris Teſtamenti libris fuiſſe figuram, i. e. typum corporis Chriſti: quod eſt alieniſſimum. Conſilium diſputationis eſt, refellere *Marcionem*, qui in Chriſto verum corpus humanum fuiſſe negabat, vt nemo ignorat. In aliis argumentis vtitur hoc, quod ductum eſt ab Euchariſtia. In ea Chriſtum, ait, dixiſſe, hoc eſt corpus meum: quorum verborum non hunc ſenſum fuiſſe, vt, quod in manu eius viderint, eſſet corpus ipſius, ſed vt id, h. e. panis ille eſſet figura corporis,

 ſignum

ſignum viſibile latentis, et in oculos non incurrentis corporis. Iam, ſi Chriſtus verum corpus non habuiſſet, ſi iſta ſpecies mera et inanis corporis fuiſſet, panem ſignum corporis eſſe nullo modo potuiſſe. Nam profecto rei non poſitae in natura ſignum eſſe nullum poteſt. Iſtaec ſunt perſpicua et plana, vti ego arbitror, nec vllo modo obſcurus ille locus *Tertulliani* debet putari.

Afferuntur etiam, per occaſionem Liturgiarum Aegyptiacarum, loca *Origenis* atque *Cyrilli*, de quibus diſputare nihil attinet, cum tantum pertineant ad veritatem corporis et ſanguinis Chriſti, nec quicquam in iis inſit huc pertinens, quam formula *fieri corpus C.* cui iam dudum ſatisfecimus: eademque eſt ratio locorum omnium, quae in diſputatione aduerſus *Samuelem Baſnagium* c. XV. proponuntur. Itaque hic nobis liceret hoc caput finire, niſi liberet, vel tironum cauſſa, breuem, ſed eam euidentem et certam demonſtrationem ſententiae Lutheranae, ductam e libris Doctorum veteris Eccleſiae, proponere, atque ita TIBI, VIR VENERANDE, etiam diſciplinae noſtrae hac in parte rationem reddere. Etenim nimis longa eſt iſta diſputatio de veteris Eccleſiae ſententia, quam vt multi eam accurate, vel ipſis Patrum ſcriptis, vel libris iis legendis cognoſcere poſſint, in quibus de ea re eſt diſputatum, qui ſunt, vt ſcis optime, permulti, quidam etiam ſatis grandes.

Ad *veritatem* autem *panis* primum vti maxime ſoleo loco *Iuſtini* ſupra (p. 51.) commemorato, qui ſane eſt ita euidens, vt, ſi quis mihi hunc eripere poſſit, nihil iam eſſe, neque in diuinis, neque in humanis libris, tam euidens concedam, quod non eripi nobis ac peruerti poſſit, Scepticiſmum iam dominari in interpretando ſinam. Docere inſtituit *Antoninum*, apud quem defendit Chriſtianam religionem, quid de Euchariſtia ſentiant Chriſtiani. Hic eum diligenter hoc egiſſe, quis dubitet, vt plane ac perſpicue loqueretur, et verbis vteretur claris,

ris, et e consuetudine vulgari loquendi; quod maxime opus est fieri tum, vbi nobis disputandum est cum iis, qui sunt a disciplina nostra in quocunque genere alieni. Neque is fuit *Iustinus*, qui non hoc consecutus esset exercitationibus differendi, vt, cum id ageret, plane et perspicue loqui posset. Habemus ergo in isto loco primum disertam panis vinique mentionem. Non profanum panem, nec tale vinum sumi, ait, sed panem tamen et vinum; sicut Christus non *κοινὸς* et *λιτὸς ἄνθρωπος* fuit, sed, cum sic dicimus, homo tamen isque verus intelligitur. Habemus deinde *εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν*, *alimentum consecratum:* eo alimento intelligi panem, vinum et aquam, nemo Romanorum negat: hoc modo volunt, esse, v. c. panem, ex quo Eucharistia conficiatur, non e quo iam facta sit. Sed id non patitur *εὐχαριστηθεῖσα*, quae vox non nisi *consecratum* alimentum significare potest, vti paullo post *τὰ εὐχαριστηθέντα* sunt *consecratus* per preces, et laudes diuinas, *cibus* et *potus*. Hic porro panis consecratus, hoc vinum cum aqua consecratum, dicitur *alere carnes et sanguinem nostrum*, et quidem *κατὰ μεταβολὴν*, *per concoctionem*. Iam hic magnopere cupiam audire, quomodo panis et vini inanes species, sine substantia materiali, possint alere, h. e. augere sanguinem nostrum et carnes nostras? Immo si panis consecratus et sumtus concoquitur, et habet vim naturalem suam alendi, profecto verus panis sit necesse est. Nam Christi corpus et sanguinem descendere in ventriculos et concoqui, non erit ita insanus quisquam, vt dicat: et quod *Irenaeus*, IV, 34. v. 2. *carne et sanguine Domini ali carnem et sanguinem fidelium*, ait, id ibi per allegoriam dici, clarum est ex eo, quod verba *Paulli* Eph. V. 30. adiungit, vbi fideles ait esse *ἐκ τῆς σαρκὸς Χριστοῦ καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ*. Atque ita statim concidit inepta *Muratorii* etiam in hoc loco calumnia (p. 182.) cum verba *εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν εἶναι σάρκα καὶ αἷμα Χρ.* interpretatur, *non amplius esse panem*, sed carnem et sanguinem

Christi

Christi mala fide inserto verbo *amplius*. Hunc locum igitur *Iustini* etsi sufficere arbitror iuuentuti, quia est antiquissimus, et clarissimus, et sumtus e narratione Apologetae, et Professione fidei, Ecclesiae nomine edita, vbi nullis allegoriis tropisque, aut durioribus formis loquendi locus est, vt in Concionibus popularibus et libris Controuersiarum praesertim eorum, vel de Graecis vel Latinis, Patrum, qui eloquentiae vsu, vel adeo ostentatione ablati, aut disputandi ardore elati, subinde insolentius loquuntur: tamen ei adiungi non alienum est aliquem ex his, quae a deprauationibus *Muratorii* vindicauimus, velut *Augustini* illum: *Quod videtis panis est et calix: quod fides vestra intelligit corpus Christi et sanguis Christi - - - Panis ille, quem videtis in altari - - est corpus Christi;* aut *Theodoreti*, *symbola post consecrationem non recedere a sua natura*, *dicentis*, *sed manere in priori substantia et figura et forma.* Nam haec sunt perspicua, eaque si quis interpretando in alium sensum conuertere tentat, hoc ipso rem facit manifestiorem, cum nihil, quod non durum contortumque sit, proferri possit, quo nullum certius est falsae interpretationis et calumniae signum.

Iam in *Veritate Corporis et sanguinis Christi*, quam ex altera parte oppugnant ii, qui *Reformati* vocantur, vtor eodem *Iustino* auctore, iisdem, quibus ante dictum est, de caussis, et quia in narrationibus interpretandis non tam facile locum reperiunt argutationes: ὃν τρόπον, inquit Iustinus, Iesus Christus σαρκοποιηθεὶς, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν - - ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ Χρ. καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Atqui nemo hodie dubitat, quin filius Dei vera carne et vero sanguine indutus fuerit: vnde nec conuenit dubitare, quin *Iustinus*, atque adeo illorum temporum Christiani crediderint, verum corpus et sanguinem Christi in S. Coena sumi. Sed in hoc loco non minus misere se torquent illi, quam Romani Theologi. Et primo, quia illa verba ὃν τρόπον et οὕτως nobis fauent,

negant,

negant, ea ſemper perfectam aequalitatem rerum comparatarum indicare, idque exemplis plurimis firmant, *Albertinus*, *Grabius* ad *Iuſtini* locum ex ipſo *Iuſtino*, et alii: quaſi hoc quisquam dubitaret, et non omnes pariter negarent. At ea re nil in vtramque partem conficitur. Nam non quaeritur, an ſemper, ſed an nunquam adhibeantur rebus aequalibus, non vtcunque ſimilibus. Si autem aliquando, ſi poſſunt in rebus paribus adhiberi, quod nemo non ſtultiſſimus neget: an non talis ſit iſte noſter locus, videndum eſt. Frigidius eſt, quod *Grabius* ait, *Iuſtinum* carnis et ſanguinis per ἐνσάρκωσιν adſciti mentionem, non explicandae Euchariſtiae cauſſa, feciſſe, ſed vt oſtenderet, hunc totum ritum eſſe inſtitutum in memoriam σωματοποιήσεως. Immo naturam Euchariſtiae *Iuſtinus* explicare *Antonino* volebat, non finem: qui et a Chriſto ſeparatim expreſſus eſt. Similia legi plura ad eludendi huius loci vim prolata: in quibus et hoc numerandum, quod *Salmaſius* (l. c. p. 137.) ex hoc loco intelligi, ait, corporis Chriſti participes fieri tantum eos, in quibus ſit vera fides; quod ſtatuunt neceſſario, qui verum corpus Chriſti adeſſe negant: propterea quod *Iuſtinus* dicat, nemini licere accedere ad Euchariſtiam, niſi τῷ πιςεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν: quaſi ſit hoc conſequens, vt, qui doctrinam Chriſtianorum veram putet, in eodem ſit vera fides, qua Deo probamur, et quaſi non et nos Lutherani, qui et ab improbis corpus et ſanguinem Chriſti ſumi defendimus, cum alias intelligere nequeamus, quomodo rei profanati corporis et ſanguinis Chriſti dici a *Paullo* poſſint, neminem ad Euchariſtiam admittamus, qui non credat, veram eſſe doctrinam Chriſti, et, quod *Iuſtinus* addit, baptiſmo vſus ſit. Sed hae argutiae in hoc et aliis Patrum locis explicandis, vt ſupra dixi, indicia ſunt malae cauſſae, et falſae interpretationis. Ῥᾴδιον τὸ ἀληθὲς καὶ ἁπλοῦν, inquit *Lycurgus* Orator, error tortuoſus eſt, et artibus indiget. Sed, vt ad rem redeam, vnde intelligitur, illud, ὃν τρόπον, οὕτως

καὶ,

καὶ, in loco *Iustini* plus quam similitudinem qualemcunque, sed aequalitatem exprimere? Hinc, vt arbitror, quod inde ab *Iustini* aetate, perpetua serie, Doctores Ecclesiae, id quod satis constat, ex incarnatione Christi, naturam Eucharistiae, et contra ex hac naturam incarnationis explicarunt. Vnde necessario efficitur, vt, quemadmodum in posteriori ratione, veritatem corporis Christi adspectabilis ex veritate adspectabilis in Eucharistia panis, sic e veritate inuisibilis diuinitatis in visibili humanitate Christi, veritatem carnis et sanguinis Christi in Eucharistia voluerint intelligi. Non opus esse arbitror tam euidenti loco, tam antiquo, ita explicato et illustrato, alia posterioris aetatis, quae tantam auctoritatem non habet, addere. Posterior aetas de veritate corporis et sanguinis Christi ita loquitur, vt appareat, opinionem hanc, si non omnium, at multorum fuisse, vt Christi corpus et sanguinem statim adiungi pani et vino putarent, vbi ἁγιασμὸς, siue consecratio, per sacerdotem ante κοινωνίαν facta sit; vnde ἀνάκεισθαι, *iacere* corpus Christi in altari, dicunt frequenter. Is error abest ab nobis, qui incorruptae antiquitatis disciplinam conseruamus. Eius autem nullum est vestigium in *Iustini* verbis: immo contra est hic locus. *Non vt vulgarem panem* λαμβάνομεν, *edimus*, *sed eum esse putamus Corpus Christi* quando? Nempe cum edimus. Etenim istis posterioribus verbis possunt substitui haec, *sed vt corpus Christi* λαμβάνομεν, *edimus:* quod nemo, qui aliquid in interpretando videt, potest dubitare. Si quis posterioris aetatis locum desiderat, ei commendem verba ex *Anastasii*, Sec. VI. Scriptoris, ὁδηγῷ (c. 23.) qui est ita euidens, vt *Lutherus*, aut quisquam nostrorum non planius rem exprimere potuerit: quippe et ἄρτον ψιλὸν esse negat *Anastasius*, qualis vulgo vendatur, et ἀντίτυπον τοῦ σώματος Χριστοῦ, signum merum et figuram corporis Christi, qualis fuerit in Iudaeorum victimis cet. Sed non ignoro cauillationem dissentientium, qui, cum hic interpretatio in suam partem omnis prae-

praeclusa sit, in hoc loco initia ponunt deprauatae veteris et antiquae sententiae cum *Albertino* pag. 903. cum *Bingamus* nostram sententiam etiam in Chrysostomo agnoscat.

III. *Sacrificium verum ac proprium esse in Eucharistia antiquis, nec Liturgiis, nec S. S. Patrum scriptis firmatur.*

Quod seculi huius initio ex Orientalis Ecclesiae Liturgiis demonstrandum suscepit *Renaldotius*, veterem Ecclesiam in Eucharistia verum ac proprium sacrificium agnovisse, in quo sacerdos pro hostia immolaret Iesum Christum ad placandum Deum viuis atque mortuis, id ex Liturgiis vniuersae Ecclesiae docere instituit *Muratorius*, adiunctis etiam, vt in superiori disputatione, velut in subsidium, primae et antiquissimae Ecclesiae doctoribus. Negat se vniuersam illam controuersiam disputatione amplexurum: duo tantum sibi proposita esse: primum *ex antiquissimis omnium Ecclesiarum Liturgiis ostendere, perpetuum fuisse vniuersae Ecclesiae consensum, de vero et non imaginario sacrificio altaris:* deinde breuiter palam facere, *quam concordes sint cum S. Liturgiis Patres, qui primis Ecclesiae seculis vixerint.* Atque ita intellectum iri existimat, an iure veteres Liturgias suae opinionis testes atque auctores commemorauerit *Pfaffius* Vir Cel. in Disputatione scilicet, quam sibi visam negat, de *Oblatione Eucharistica Veteris Ecclesiae.* Intelligi sane a nobis et iudicari potest: sed vellemus ipse *Muratorius* Pfaffianum librum, in Germania valde obuium, sibi comparasset, vt ipse iudicare potuisset, et respondere ad ea, quae ibi dicta sunt. Sed melius fecit, cum cauit, ne istum librum videret. Magna et multiplici molestia se liberavit. Primum si librum vidisset, longe aliter suam sibi demonstrationem instituendam vidisset; quae nunc nihil est, nisi farrago locorum Liturgicorum, in quibus *sacrificii, hostiae,* *holo-*

holocausti, *immolandi* item, *offerendi* verba occurrunt: quasi hac sola commemoratione res confecta esset: ad multa deinde respondendi necessitas exorta esset, quae est misera et taedii plena in tam mala caussa. Sed nobis, in disputatione instituta, non tam videndum est, quid non dixerit, quam quid dixerit, idque accurate refellendum. In quo tenebimus hanc rationem, vt primum vniversae disputationis vitium demonstremus, deinde de singulis quibusdam vel Liturgiarum verbis, vel *Muratorii* dictis respondeamus.

Quod igitur ad primum attinet, parum diligenter fecit *Muratorius* in capite eo, in quod latinarum Liturgiarum testimonia congessit, quod nihil aliud, quam loca proposuit, in quibus ea, quae ante diximus, verba commemorantur. Qua in re dupliciter peccauit. Etenim nemo dubitat, aut nescit, in Liturgiarum carminibus ista verba frequentari: illa autem duo dubitantur: primum, an ea proprie vel tropice dicantur, quorum illud Romani, hoc nos contendimus: deinde vtrum sint in parte ea Liturgiae, quae proprie eam, quam consecrationem dicunt, continet, qua facta multi credebant, praesens esse verum corpus et sanguinem verum Iesu Christi, an in oblationis formula, quae consecrationem praecedit in Missae Canone, pertinetque sine controuersia ad naturale vinum et panem, et vtriusque ad Eucharisticum sacrum destinationem. Etenim si hoc est, non modo nihil prosunt caussae Romanae, quia in ista oblatione nondum adest corpus et sanguis Christi, etiam ex ipsorum sententia, sed etiam obsunt mirifice propterea, quod inde intelligi clare potest, ea verba tropice dici, nec ad corpus et sanguinem Christi pertinere, atque porro tropice accipi posse, etiam vbi in consecratione propria occurrant. Itaque debebat nouus ille sacrificii Eucharistici assertor hoc in primis docere, verba illa ab omni tropo libera esse. Sed grammaticas illas disputationes, vt omne interpretum vulgus facit, diligenter vitauit.

Sunt

Sunt enim impeditae, hac de caussa, quia vitium nimis facile apparet, nimis facile conuincitur: quod secus est, vbi rebus solis vtare, h. e. compendiorum et elementorum decreta et verba identidem repetas et inculces, quam Theologicam interpretationem imperiti appellant. Semel tamen huc se demisit in verbo *immolandi*, quod monet esse victimae et hostiae animatae, eoque vel ipsos ethnicos scriptores verum sacrificium indicasse: de quo post videbimus. In auctoritatibus porro ponendis debebat hoc delectu vti, vt e consecrandi formulis peteret omnes, nullas e *προσφορᾶς* carminibus, idque vel in singulis admoneret, vt lectoribus quaerendi molestia demeretur, et iudicandi facultas expeditior daretur. Quorum ille nihil pensi habuit, certe nihil fecit, et ipse satis habens Sacramentariorum nomina ponere, et lectores istis vagis indiciis contentos fore, nec quicquam vltra inquisituros sperans. In quo sane iniuriam fecit lectoribus, cum eos tam imperitos, nihilque in hoc genere videntes finxit: nam ipsum adeo tironem in hoc capite fuisse, vt, qua via modoque id tractandum esset, ignoraret, suspicari nos non sinit cetera viri doctrina.

Sed de singulis auctoritatibus, primum vnde ductae sint, deinde quam vim habeant, videamus. E *Leonino* igitur quae proponuntur, in quibus sacrificium et cognata verba insunt, omnes praeter duas sunt ex parte missae ea, in qua dona Christianorum ante consecrationem offeruntur, h. e. si latine loqui velis, Eucharistiae destinantur, per preces et laudes diuinas. *Gelasiani* Sacramentarii testimonia ex eadem parte, praeter vnum, omnia petita sunt. Nec aliunde sunt pleraque, quae e *Gothico*, *Francico* et *Gallicano* proferuntur, quibus similia plura ac prope innumerabilia ex omnibus Liturgiis, et his, quae Muratorianum volumen exhibet, et aliis, afferre et nos possemus. Nulla enim prope pagina est, vbi non in oblationis carmine hostiae, sacrificia, et immolationes oblationesque commemorentur: eiusque generis loca e

variis Liturgiis dudum collegerat *Pfaffius* in Disputatione de oblationibus §. 40. Iam haec testimonia in hac controuersia nullam auctoritatem habere, sed pro alienis repudianda esse, duobus modis planum fit. Nam primum, cum quaestio sit, an corpus et sanguis Christi per sacerdotem Deo immoletur pro peccatis viuorum ac mortuorum; ea immolatio non habet locum ante, quam sit consecratio, de Romanorum sententia, facta, post quam demum adesse corpus et sanguis Christi creditur. Vnde fit, vt, quicquid ante consecrationem de hostiis et sacrificiis dicatur, id nullo modo ad corpus et sanguinem Christi pertinere possit. Quomodo enim, quod non habeas, non adsit, immolare queas? Sed hanc rationem idem ille *Pfaffius* aliique praeclare explicauerunt. De altera ratione videbimus, quae proficiscitur a verbis ipsis, quae, plane demonstrari potest, perabsurde et per summam ac pudendam inscitiam, addo etiam impietatem, ad Christum referri.

Primum igitur comparatio formularum oblationis, quae sunt in Liturgiarum libris innumerae, docet, quae in aliis *hostiae*, *sacrificia*, *holocausta* etiam dicantur, easdem in longe pluribus, in eodem contextu, cum iisdem verborum attributis (*praedicata* schola vocat) vocari *dona* ac *munera* et *oblationes*. Deus rogatur, vt *suscipiat*, *respiciat dona*, *munera*, *hostias*, *sacrificia* cet. Ex quo per certas interpretandi leges conficitur, vt hostiae, sacrificia, dona et munera, sint res eaedem, habeantque haec verba prorsus eandem potestatem: et quae proprie *dona* et *munera* dicantur, eadem tropice *hostias* et *sacrificia* appellari. Atque ea forma loquendi, vt hostias vocarent dona Christianorum, quae et in Eucharistia consumerentur, quorumque reliquiae ad absentes, pauperes, aegrotos, mitterentur, recte se habet, et ducta est ex epistola extrema Paulli ad Philippenses. Enimuero *munera* ac *dona* nullo modo esse possunt corpus et sanguis Christi. Nam si essent, deberent profecto *donum Dei*

vocari,

vocari, qui Iesum Christum donauit hominibus eorumque saluti. Sed vocantur primum *dona* et *munera* in multitudinis numero, vt *hostiae* et *sacrificia*, deinde *dona et munera fidelium* p. 296. In Sacramentario *Leonino*, (e quo solo exempla commemoramus) *plebis* p. 348. *Ecclesiae* p. 337. *munera seruitutis nostrae* p. 363. *munera deuotionis*, pag. 376. quae stultissimus sit, qui de corpore et sanguine Christi capiat. Atque etiam omnia ista verba coniunguntur, quo modo synonyma solent, vt in Sacramentario Gregoriano: *vti accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sacrificia illibata*: vt eadem esse, nullo modo dubitari possit. Sed porro illa munera qualia crediderint veteres Liturgiarum auctores, videamus exemplis. P. 368. in oblationis carmine sacerdos ait: *Deus, qui, cum muneribus nullis indigeas, ipse nobis munera cuncta largiris, accipe propitius, quae de tuis donis tibi nos offerre voluisti: non solum nostrae reputans deuotioni, quae tua sunt, sed etiam cet.* et p. 370. *Offerimus tibi, Domine, munera, quae dedisti, vt et creationis tuae circa mortalitatem nostram testificentur auxilium, et remedium nobis immortalitatis operentur.* Videte o! Romani, munera illa, oblationes, hostiae, dicuntur munera Dei, creata a Deo in auxilium mortalitatis, h. e. ad vitam conseruandam. Calumniamini hic quantum vultis: nihil aliud nisi panem et vinum vllo modo hic reperiri sano cuiquam persuaseritis. Quam clara porro illa forma est, pag. 413 extr. in qua etiam *munera et hostiae* iunguntur: *Munera tua, Deus institutor, illustra, et per has hostias* (hostias et munera hic eadem esse, nemo sanus dubitet) *quibus te placari voluisti, sanctifica misericors immolantes.* Qui sunt illi, quos Deus sanctificet per illa munera et hostias? Nempe Christiani, non solus sacerdos. Ergo et Christiani immolauere, non solus sacerdos. Atqui Christiani nihil nisi panem et vinum obtulerant. Iam, *Sacrificium oblationis* Deus rogatur in Missali Gothico, *vt sua benedictione benedicat, et Spiritus S. sui rore perfundat,*

vt fiat omnibus legitima Eucharistia. Hoc sacrificium sine *βλασφημία* Iesus Christus intelligi potest? Non magis profecto quam illud in Sacram. *Leonis* p. 301. cum Deum rogat sacrificulus, *vt hostiam nostram martyris S. L. veneranda et beata commendet oratio:* sicut p. 332. ait: *oblationes fiant tibi placitae tuorum deprecatione*, p. 335. *placentium tibi precibus fiat grata deuotio.* Hostiae ipsae vbi occurrunt, vt in hoc, attribuuntur iis, quae qui credere possit, de Christo intelligi posse vllo modo, eum credam omnia, quamuis absurda, crediturum, p. 329. in loco a *Muratorio* ipso proposito, dicuntur istae hostiae imponi altari, *vt honoretur potentia diuina:* quod ad creationem non ad redemtionem pertinere, in qua amor potius Dei erga genus humanum intelligitur, quis non intelligit? Tum porro p. 359. *non* vult *munus aestimari nostris meritis:* quod ad Christum sine summa impietate et stultitia referri nequit. Ad haec si quis de coetu Romano potest respondere, sed non Muratoriana ista vaga ratione, verum presse, et per singulas partes, et ea diluere, hoc est, docere, *munera* et *hostias*, in his formulis per interpretandi leges, non esse eadem, deinde, quae istis muneribus et hostiis tribuuntur Christo conuenire: tum vero nihil aliud desiderabo, statim victas manus dabo. Sed addam locum insignem e Liturgia *Cyrilli* (ap. *Renald.* T. I. p. 42.) *sacrificia*, dicit sacerdos, *oblationes in gratiarum actionem eorum, qui offerunt laudem et gloriam nomini tuo sancto.* Diaconus interfatur: *orate pro illis, qui de suo sacrificia et oblationes fecerunt.* Tum pergit sacerdos: *suscipe ea super altari tuo spirituali, coelesti - - - sicut ad te suscepisti munera iusti Abel cet.* Sequitur alterum sacrificium laudis et placationis: *Ita quoque vota seruorum tuorum accepta atque cet.*

Sed quid fiet locis Liturgiarum iis, quae sunt ex ipso consecrationis carmine? cuius generis duo e *Leonino*, vnus e *Gelasiano* libro proferuntur, poterantque alia proferri in primis e *Gregoriano?* Primum eorum nulla vis

esse

esse potest propterea, quod sunt in praefationibus consecrationis, quam Romani in solis verbis Christi, *hoc est corpus meum*, ponunt, vbi nondum, de ipsorum sententia, est corpus Christi, nec adeo immolari potest. Atque etiam primus statim locus est ita alienus, vt appareat, *Muratorium* nil nisi verba singula spectasse, de sensu eorum assequendo ne cogitasse quidem. Verba sunt haec e *Leonis* libro (p. 303.) *Vere dignum: quis enim aut possit, aut audeat, a tua laude cessare, perpendens mirandae dispositionis effectus, quod de substantiae genere peccatricis immaculata hostia gigneretur, cuius, pro eiusdem naturae reatu, possis immolatione placari!* Est sane hic hostia, eaque Iesus Christus, est immolatio, est placatio Dei. Sed vbi ista immolatio facta intelligenda est? Scilicet in cruce. Sicut ista hostia non in altari per sacerdotem consecrando facta, sed de substantia peccatrice genita dicitur, sic et in cruce immolata intelligitur. In altero, ex eodem libro est *laudis hostia*, quam de Christo intelligi non posse, mox videbimus: intelligiturque vel ex altero tali loco e Sacramentario Gothico, vbi haec verba sunt: *Dignum et iustum est nos tibi laudes dicere:* hoc proprie: sequitur tropice: et *hostias immolare.* In alia porro praefatione, proposita e *Gelasii* libro, Christiani dicuntur *corpore C. et sanguine, quo a peccatis redemti sumus, ad vitam aeternam sacrificiis coelestibus pasci.* Bene. Sed corpore et sanguine C. vt coelesti sacrificio pasci nos, nemo dubitat: an sacerdos corpus et sanguinem C. immolet, id quaeritur: cuius rei nullum hic est vestigium. Et eius generis sunt cetera.

Sed Liturgiarum testimoniis *Muratorius*, velut bonus caussarum patronus, Ciceronis disciplina conformatus, interfatur subinde, adspergens aliquid callidae admonitionis, vnde vis et grauitas testimoniorum intelligatur. De his quoque videndum est. In Leonis libro dicitur *sacrificium immolari.* Recte, addo etiam *hostias immolari*

 dici,

dici, quod eſt maius, ſi quis velit pueriliter verba aeſtimare e Vocabulario triobolari. Quid ergo? *Immolationis autem voce*, inquit, *vel ipſi ethnici ſcriptores verum ſacrificium deſignarunt*, *uti ex eorum verbis*, *quae referre ſuperfluum foret*, *euincitur. Immolare enim ſupponit victimam*, *eamque animatam.* Non putaram, tam verſatum fuiſſe in iſtis ethnicis ſcriptoribus: eam latinitatem viri, eam interpretandi rationem animaduerteram! Sed non nulli ſapientiam, vt auari numos, clam habent, et occultant conſulto. Cur vero non et addidit, *hoſtiam* apud iſtos ethnicos de victima viua dici? Nam et hoc ita eſt. Sed quam vult eius tam rarae obſeruationis vim eſſe? Nempe hunc, vt in Miſſa viuum et animatum ſacrificium Deo per ſacerdotem fiat. Quod ille per ſe intelligi putat: adeo ne diſerte quidem poſuit. Sed quae eſt haec ratio interpretandi Liturgias ex ethnicis ſcriptoribus. Quaſi non planum eſſet, id quod antea monuimus, formas has loquendi eſſe e ſacris libris ſumtas, vbi beneficia Chriſtianis tributa dicuntur θυσίαι δεκταὶ et εὐάρεστοι τῷ Θεῷ, *hoſtiae acceptae*, *placentes Deo*, vetus latina habet: quae verba centies in Liturgiis, de illo hoſtiarum Liturgicarum genere, occurrunt: in primis e Pſalmi XLIX. verbis: *Immola Deo ſacrificium laudis;* quae verba ſaepe in Liturgiis ad oblationes panis et vini Euchariſtici accommodantur. Hic quaerere lubeat, an, quia *immolare ſupponit hoſtiam animatam*, apud Dauidem quoque *ſupponat*, ſitque laus illa, quam Deus ſibi immolari iubet, animal viuum et animatum? Sed nihil eſt tam ſtultum, quod non dicere audeant homines, cum fixum eſt, defendere errores. In *Leonis* libro p. 312. *munera Eccleſiae* dicuntur immolari. At ea certe munera ſunt panis et vinum, non animalia viua. Totum igitur hoc ineptum eſt ac puerile. At enim ſtulti ſunt *Proteſtantes*, qui, *cum in Miſſa Romana inueniunt* ſacrificium laudis, *non vltra pergunt. Sed ibi etiam requirant*, *ac inuenient* ſacrificium placationis, *quod etiam in Sacramentario Gelaſiano legitur*, *Gregoriano et Gothico.*

Haec

Haec *Muratorius.* Nimis impatientes in legendo fingit nos. Immo nos quoque *hostiam placationis et laudis* ex iis, quae prodidit, et aliis locis reperimus. Sed nos iidem veram istorum verborum vim requirimus: ipse autem cum suis gregalibus, vbi verba sacrificii et hostiae et immolationis et placationis reperit, non vltra pergit, nec requirit, qui per leges interpretandi sensus istorum verborum esse debeat. Bis hic peccauit *Muratorius:* primum, quod placationis verbum e vulgaribus Theologiae compendiis intellexit, deinde, quod consuetudinem et sententiam veteris Ecclesiae in oblationum formulis ignorauit, cum de rebus Liturgicis scriberet, et tot Libros Liturgicos ederet. Primum igitur ignorauit latinitatis vim, cum existimauit, *placationem* in hac formula necessario significare expiationem irae diuinae, peccatis humanis irritatae, et veniae impetrationem. Nihil tale cogit latinitas, quae *Deum placari* etiam dicit, cum aliquid fit, quod sit Deo gratum, vt preces, laudes, recte facta, *quod sit Deo placitum.* Itaque sacrificium laudis, idem placationis dicitur, quia Deo placet praeter omnes partes cultus religiosi, suntque *sacrificia placationis* Paulli *θυσίαι εὐάρεστοι.* Hoc ita esse, clarum faciemus locis ipsarum Liturgiarum. In Sacram. *Leonis* mens. Apr. n. 43. pag. 312 extr. oblationis formula haec reperitur: *Oblationes nostras*, i. e. Populi, Ecclesiae, vt alibi, *quaesumus*, *Domine*, *tua tibi dignatione fac placitas: quia nihil in nobis*, *quod placare te possit*, i. e. nos tibi placitos et nostra tibi placita reddere, *nisi*, *deprecantibus sanctis nos tua propitiatione praeuenias*, i. e. tua sponte nobis propitius sis, et sic nos et nostras oblationes tibi placitas esse sinas. p. 332. *Oblationes populi tui*, *Domine*, *quaesumus*, *Apostolorum tuorum passio conciliet*, *et quae nostris non aptae sunt meritis*, *fiant tibi placitae tuorum deprecatione iustorum.* Vnde et p. 335. *nostris meritis non est digna fiducia: placentium tibi precibus fiat grata deuotio.* Sed si maxime quis malit placationis verbum sensu scholae theolo-

theologicae accipi, tamen nihil efficitur. Nam nihil frequentius est in oblationibus, quam vt ista munera panis et vini, quia vsibus Eucharisticis et deinde pauperibus destinantur, prodesse dicantur ad remissionem peccatorum. P. 300. Sacerdos in oblatione orat, vt *munera, quae deferuntur, et medelam afferant et gloriam.* Ante p. 399. *huius oblationis obsequium ad placationem tui nominis nobis fac prouenire*, p. 312. *respice propitius munera, quae immolamus pro nostris offensionibus*, et sic centies. Atque hae formulae, etsi non satis exactae sunt ad subtilem Theologiae rationem et summam veritatem, quae talibus muneribus, et liberalitati nullam vim ad veniam peccatorum relinquit: tamen commoda interpretatione molliri possunt, vt nihil habeant, quod reprehendi possit: praesertim cum in ipsis libris diuinis quaedam non absimilia reperiantur loquendi genera, de quibus dicere non est necesse.

Illud quoque magnopere cupiam doceri ab Sacrificii huius Eucharistici defensoribus, quomodo, si hostiae et sacrificii nomine Liturgiarum auctores intellexere corpus et sanguinem Christi, quomodo, inquam, in Canone Gregoriano aliisque Liturgiis sacerdos rogare Deum possit, *vt illud sacrificium, illam oblationem benedictam, ratam, rationabilem facere dignetur, vt nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi filii, Domini Dei nostri I. C.* Nam profecto, si sacrificium, cuius ante mentio facta, est verum et viuum corpus I. C. perabsurdum est rogare, vt fiat corpus I. C. Multa huiusmodi disputari possent: sed et ab aliis dudum proposita, nec dum refutata sunt: et nos non totum hunc locum perfecte disceptare, sed Muratoriana refellere constituimus: quod nos quidem, quoad latinas Liturgias perfecisse confidimus: ad Graecas et ceteras Orientales progrediamur: quarum testimonia c. XVII. p. 202 sqq. edidit.

In iis autem principem locum obtinent ea, quae *S. Chrysostomo* tribuitur, et *Clementina*, quae vocatur, in Consti-

Conſtitutionum Apoſtolic. VIII. 12. Ex his igitur primum excerpta proponuntur a *Muratorio*, itemque ex ea, quae *S. Baſilio* tribuitur. Sed in hac parte diſputationis idem peccauit, quod in ſuperiori, proponendis locis ex oblationum formulis, quae conſecrationem praecedunt: in quibus nullo modo per ſacrificia intelligi poſſe corpus et ſanguinem Chriſti, ante vidimus. In iis autem, quae afferuntur e verbis ſacerdotis poſt conſecrationis formulam, λογικὴ λατρεία Deo dicitur offerri pro mortuis: ſed eam, quis dicat eſſe corpus et ſanguinem Chriſti, et non potius preces et ſupplicationes. Quod etiam in ſequentibus clarum fiet, et plane patet e loco Paullino (Rom. XII. 1.) vnde haec verba ſunt ducta. Nam quae in *Clementina* poſt conſecrationem commemoratur *Oblatio*, nulla alia eſt, quam quae ante conſecrationem fuit: itemque ſacrificium precum pro viuis et mortuis: ſequunturque preces ipſae. In Liturgia Graeca *S. Baſilii* (ap. *Renald.* T. I. p. 69.) poſt conſecrationem, inter preces, ſ. ſacrificium precum, etiam haec verba reperimus: Μνήσθητι, κύριε, τῶν τὰ τίμια δῶρά σοι ταῦτα προσφερόντων, καὶ ὑπὲρ ὧν καὶ δι' ὧν, καὶ ἐφ' οἷς αὐτὰ προσεκόμισαν. Hic clarum eſt commemorari eadem dona panis et vini, quae ante conſecrationem: et conſecrata aut nondum eſſe corpus et ſanguinem Chriſti, aut tantum in iis coniuncta putari. Dicit enim *haec dona*, digitoque demonſtrat: ea porro indicat eſſe non oblata a ſacerdote conſecrante, ſed a Chriſtianis allata, προσκομισθέντα: quod eſt συνώνυμον alteri προσφέρειν. Atqui corpus et ſanguinem Chriſti non attulere. Ad haec prorſus nihil eſt quod reponi poſſit, tanta eſt euidentia. Sed eadem ſunt in *S. Gregorii* Liturgia Gr. p. 108. Iam in Liturgia *S. Marci* p. 145. in praefatione *Vere dignum*, ſunt notatu digniſſima haec verba: δι' οὗ, (Ἰησοῦ Χριστοῦ) σοὶ σὺν αὐτῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι εὐχαριστοῦντες, προσφέρομεν τὴν λογικὴν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν ταύτην. Quid? an Chriſtus per Chriſtum a Sacer-

dote offertur Deo? Immo vero haec λογικὴ καὶ ἀναίμακτος λατρεία fit gratiis agendis Deo, et laudibus eius celebrandis: nam illud εὐχαριστοῦντες profecto est *gratias agendo:* quod Graeci, cum verbo vtuntur, aliter quam per participium exprimere non possunt. Enim vero quid sequitur! hanc λατρείαν, pergit, προσφέρουσι πάντα τὰ ἔθνη cet. ὅτι μέγα τὸ ὄνομά σου ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι· an quisquam potest haec de alia re quam de laudibus diuinis intelligere? quae etiam sumta sunt e Psalmis Dauidicis, vt patet e sequentibus: καὶ ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσφέρεται τῷ ὀνόματι ἁγίῳ σου καὶ θυσία καὶ προσφορά: quae vt Dauides de laudibus Dei dixit, ita hic intelligi clarum est. Sequuntur deinde deprecationes et supplicationes, et fit accessio ad consecrationem. Ibi p. 155. pr. ait sacerdos, πλήρωσον ὁ θεὸς καὶ ταύτην τὴν θυσίαν τῆς παρά σου εὐλογίας, διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ παναγίου σοῦ πνεύματος· et sequuntur verba institutae a Christo Eucharistiae καὶ ταύτην θυσίαν, ait, *etiam hanc victimam:* nempe alia, hostia laudum et precum praecesserat: et haec est altera hostia, oblatus et donatus panis cum vino per piam liberalitatem, corpus et sanguis Christi esse non potest, quia alienum est ab iis, quod rogat Deum, vt *per Spiritum S. ea victima impleatur diuina vi.* Speciem maiorem habet in caussa Romana locus e Liturgia *Chrysostomi*, qui etiam repetitur in Liturgia S. Gregorii Gr. (ap. *Renald.* T. I. p. 94. in Oratione veli) σὺ εἶ ὁ προσφέρων τε καὶ προσφερόμενος, ὁ δεχόμενος καὶ ὁ διαδιδόμενος. In Gregoriana plenius est: σὺ εἶ ὁ ἁγιάζων καὶ ἁγιαζόμενος, προσφ. τ. κ. π. ὁ δεχόμενος καὶ δεκτὸς, ὁ διδοὺς καὶ ὁ διαδιδόμενος cet. Sed hic locus intelligi potest ex alio in Liturgia Iacobitarum Syrorum, in quo haec sunt: *Deus, tu factus es sacrificium, et tibi sacrificium offertur: Suscipe hoc sacrificium pro.* qui locus (p. 205 extr.) stultissime a *Muratorio* adfertur pro caussa sua. Sermo est de Christo, qui factus est sacrificium pro nobis in cruce, et cui nunc sacrificia laudum et pre-

cum

eum offeruntur: quae rogatur, vt benigne accipiat. Male autem *Muratorius* verſionem latinam *offerris* corrigit *offereris*. Immo, *oblatus es*. E graecis Liturgiis pauca attulit *Muratorius*, plura e ceteris Orientalibus a *Renaldotio* editis: ſed ea nullius ponderis. Nam pleraque ſunt ex oblationis aut precum conſecrationem antecedentium formulis, quibus nulla talis ſacrificii, quale Muratorius vult, mentio locum habet; idque genus eſt a nobis iam ſatis confutatum. Profertur *Sacrificium rationabile*, *incruentum*: quo maxime confidebat in hac cauſſa *Renaldotius* (T. I. p. 302.) id eſſe in laudibus et precibus, ante dictum eſt, cum de Graecis agebamus. Sunt autem, id quod non parum valet ad cauſſam noſtram, eſtque capite primo admonitum, hae Liturgiae ductae e Graecis, atque ex his adeo intelligendae. Sed maxime noſter videtur confidere epitheto ſacrificii, cum *tremendum* Gr. φοβερὸν, φρικτὸν vocatur: in quo cum aliis inſcitiam mirifice prodit, cum ait: *haec ſola vox supereminentem maieſtatem ſacrificii Chriſtiani indicat:* nempe, quia eſt corpus et ſanguis C. *Ianus* ὁ μακαρίτης, diſputans de eadem re aduerſus *Renaldotium*, pag. 34. ait: *magis alienum ab hoc* (quod nos volumus intelligi) *ſacrificio videri poterat epitheton hoc. Sed* φοβερὸν *hoc loco idem haud dubie eſt*, *ac venerabile*, *ſ. cum reuerentia peragendum*, *quo ſenſu in eadem Liturgia Gregorii p.* 93. *de toto miniſterio ſ. cultu diuino dicitur*, τὸ γὰρ διακονεῖν σοι μέγα καὶ φοβερόν ἐστι. De poſteriori forte quis dubitet, quando et *Chryſoſtomus* de Sacerdotio III, 5. 7. e conſuetudine loquendi Graeca intelligit τὸ φοβερὸν τῆς διακονίας: prius veriſſimum eſt. Sed vellem grammatica ratione docuiſſet: ne, vt ipſe ſimpliciter adfirmavit, alii item ſimpliciter negarent: praeſertim cum ipſe intellexerit, in hoc verbo haerere etiam noſtros poſſe, aeſtimantes id verbum conſuetudine loquendi latina, et comparantes cum voce vernacula, vt fit ſaepe etiam a Theologis, in primis concionatoribus,

in

in hoc ipſo verbo, vt ſaepe audiui. Eſt autem in hoc verbo merus hebraiſmus, ductus e Pſalmo ſecundo, et frequentatus *D. Paullo* in epiſtolis: vnde per interpretes hebraiſmi imperitos venit etiam in latinos libros. Colere nos Filium Dei iubet *Dauides* ביראה, et laetari ברעדה: quod *Paullus*, de ſeruorum miniſterio, itemque de ſuo inter Chriſtianos, graece exprimit *μετὰ φόβου καὶ τρόμου*, vel *ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ*: quod eſt *modeſte*, *cum reuerentia*, vt docent *Amama* in Antibarb. Bibl. p. 446. *Camero* Myrothec. ad Phil. II, 2. et *Grotius* ad Ebr. XII, 28. et alii. Atque ſic etiam intelligendus in hoc verbo *Chryſoſtomus* de Sacerdotio VI, p. 306. *ὅταν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον καλῇ, καὶ τὴν φρικωδεστάτην ἐπιτελῇ θυσίαν* cet. *πόσην αὐτὸν* (ſacerdotem) *ἀπαιτήσομεν καθαρότητα, καὶ πόσην εὐλάβειαν.* Non bene *Bengelius*, *pleniſſimum horroris*, vt III, 4. p. 100. vbi tamen ſynonymum *φοβερὸν* bene *venerandum*. Sed alia loca videamus a *Muratorio* propoſita, quae quidem aliquid ſcrupuli iniicere alicui poſſint.

E Liturgia *S. Baſilii* Graeco Arabica (ap. *Renald.* T. I. p. 89.) affertur (p. 205.) hoc ſacerdotis poſt communionem orantis: *digni facti miniſtrandi altari ſancto tuo, qui tibi obtulimus incruentum ſacrificium* (haec duo verba omiſit *Muratorius*) *immaculatum corpus et pretioſum ſanguinem magni Dei et Saluatoris noſtri I. C.* Quae verba ſunt ſane ſpecioſa pro *Muratorii* cauſſa. Sed primo animaduertendum, eas non ad ſacerdotem proprie pertinere, ſed communi *τῶν κεκοινωνηκότων* nomine fieri: nec impedit verbum *λειτουργεῖν*, quod etiam de *κοινωνοῦσι* dicitur. Nam *λειτουργοῦντες* iidem dicuntur *καταξιωθέντες τῆς μεταλήψεως τῶν μυστηρίων.* Quae obſeruatio ſtatim tollit vim huius loci in iſta cauſſa, quae defendit, ſacerdotem (non *κεκοινωνηκότας*) ſacrificium facere immolando corpore et ſanguine Ieſu Chriſti. Formula deinde *obtulimus tibi incruentum ſacrificium*, *immaculatum C. et S.* hanc vim habet: obtulimus tibi panem, vinum, cum laudibus et precibus, quibus ſumendis accepimus corpus

et

et S. C. beneficio tuo. Simillima eſt haec forma verborum alteri, cum ſacerdotes dicuntur *conſecrare corpus et S. C.* pro conſecrare panem et vinum, quibus ſumendis deinde accipiatur corpus et ſanguis Ieſu Chriſti, in Liturgia *S. Gregorii* Alexandrina ap. *Renaldotium* T. I. p. 94. *dignum me fac*, inquit ſacerdos, *adſtandi ſanctae huic menſae et conſecrandi immaculatum corpus tuum, pretioſumque ſanguinem tuum.* In Graeco eſt ἱερουργῆσαι, quod eſt verbum ſacrificantium, et miror a *Renaldotio* non verſum eſſe *ſacrificandi*, quod rectum foret. Verum id quid ſit, ſtatim ipſe ſacerdos docet: *Dignum me fac, vt tibi offerantur dona iſta a me peccatore.* Dona autem iſta ſunt panis et vinum, a Chriſtianis allatum. In Liturgia Iacobitarum Syrorum, dum lauat manus ſacerdos, orat Deum, vt pure tractet ſacramenta, et *offerat ei ſacrificium viuum, ſimile ſacrificio eius glorioſo.* Sacrificium viuum, ex loco Paullino ſatis conſtat, eſſe λογικὴν λατρείαν, de qua ſupra vidimus. Id vult eſſe *ſimile* ſacrificio, quod Chriſtus ipſe obtulit, non *idem*, vt placet Romanis. Quae autem iſta eſt ſimilitudo? ipſe ſacerdos docet: *quod placeat diuinitati tuae.* Atque hae non ſunt imaginationes et arbitraria verborum et ſenſus ſupplementa, quae nobis hic obiicit *Muratorius*, ſed interpretationes e ſacris literis, et contextu, conſuetudine veterum loquendi, ſecundum leges veras interpretandi, ductae: contra quae non ſatis eſt declamare: demonſtratione exacta ad interpretandi leges opus eſt. Ex eadem Liturgia (ap. *Renald.* T. II. p. 22.) proponitur particula orationis, quae recitatur, cum margarita, h. e. particula panis conſecrati, mittitur in calicem: *Pater veritatis, ecce Filius tuus, hoſtia tibi placita - - hoc ſacrificium e manibus meis, vt mihi placatus ſis* cet. Haec ſi quis legat, haereat fortaſſe. Sed qui totam orationem perſpiciat, ſtatim expediatur. Et eſt hoc vel artificium impoſtorum, vel inſcitia ſemidoctorum, decerpere tales particulas, quae extra contextum ſpeciem accipiant. Etenim hic

non

non intelligi verum et proprium ſacrificium, quod ſacerdos immolet pro omnium peccatis, clarum eſt primum ex eo, quod id ſibi vult prodeſſe, ſumenti videlicet, vel *deprecanti:* deinde, quia de ſanguine ſic loquitur: *Ecce ſanguis effuſus ſuper Golgotham ab iniquis, qui interpellat pro me. Suſcipe deprecationem meam propter eum:* hoc eſt illud: *ſuſcipe hoc ſacrificium* cet. Atque ad hunc modum cetera Liturgiarum loca intelligenda ſunt, cum poſt conſecrationem ſimiles formulae verborum repeꝛiuntur, quibus ſacrificium refertur clare ad corpus et ſanguinem Ieſu Chriſti, neque aliquid eſt eiusmodi, quod ad dona fidelium referre iubeat, quae qualia ſint, ſupra demonſtratum eſt. Affert *Muratorius* e Coptica Liturgia locum, in quo ad fractionem Diaconus alta voce dicit: *Benedic, Domine, iterum per oblationem hanc ſanctam et ſacrificium propitiatorium, quod Deo Patri oblatum, ſanctificatum completum et perfectum eſt per illapſum Spiritus S.* Hic clarum eſt, intelligenda eſſe dona Chriſtianorum Euchariſtiae deſtinata, quia verba vltima non niſi impie ad Chriſtum referri poſſunt. Itaque male hic locus a *Muratorio* argumenti cauſſa propoſitus eſt. Sequitur alter Diaconi, ante communionem dicentis: *Virtutes coelorum ſtant nobiscum in medio ſanctuarii, et miniſterium exhibent corpori filii Dei, qui immolatus eſt coram nobis.* Hic clare immolandi verbum refertur ad Corpus Chriſti, ſicut in quibusdam aliis *Muratorio* commemoratis verbum offerendi aut ſacrificii: quibus locis quantumuis, poſt *Renaldotium* (T. II. p. 345.) tribuat, iactans etiam ſe, et nos (nouatores) prouocans, vt *contorqueamus hic, ſi poſſimus:* tamen eorum locorum nullus alius ſenſus eſt, niſi, vt corpus et ſanguinem Chriſti ſacrificium vocari dicamus, quia olim in cruce hoſtiam ſemet obtulit Deo pro peccatis, eiusque rei *memoria* de praecepto Chriſti, non iteratio, celebratur in S. Coena, per quam etiam fructus illius in aeternum valituri ſacrificii capimus, per remiſſionem peccatorum. Quod ſi quis nolet concedere,

cedere, eum rogabo, vt me doceat, quomodo intelligere me velit verba, quae e Missa *S. Basilii* afferuntur (p. 204.) sacerdotis in Sabbato ante Pascha post consecrata dona: *Rex regnantium et dominus dominantium progreditur, vt MACTETVR et detur in cibum fidelibus.* An Christus etiam in S. Coena a sacerdote crucifigitur et interficitur, atque ita proprie et vere, vt hostia, mactatur? Ceterum parum diligenter fecit *Muratorius*, qui testimoniis his Liturgicis, sine delectu et ordine positis, admiscuit etiam, quae potius ad veram corporis et sanguinis Christi praesentiam asserendam, quam veritatem sacrificii Romani in Eucharistia confirmandam pertinent. Et sunt alia, quae reprehendi in hac disputatione possint: velut cum (p. 204 med.) vituperat Protestantes, qui Iudaeis vera sacrificia concedant, et tamen hoc Eucharisticum improprium sacrificium esse pugnent: quo nihil ineptius dictum vidi. Nouum foedus habet et ipsum sane sacrificium verum et proprium, Iesum Christum, sed id sacrificium, si credere potestis *Paullo*, nec eo vobis potior est, Romani, scholae vestrae auctoritas, semel factum perpetuam vim habet, hoc ipso nomine praestantius Iudaicis, vt *Paullus* demonstrat. Eius autem *ἀνάμνησιν* celebramus in S. Coena: quod cum facimus, etiam in communionem istius victimae sanctae admittimur, edendo, bibendo de ea, et omnia per eam parta bona consequendo. Quid vultis amplius? Non his contentis nobis esse conuenit?

Illud autem mihi concedent omnes, nihil eorum me in hac disputatione fecisse, quorum reos agit alios *Muratorius*. Non de qualitatibus et ritibus veterum sacrificiorum et victimarum differui, vt per ea eluderem vim testimoniorum: quas quiuis, bona cum pace mea, cauillationes vocet. Neque ad suspiciones confugi, de interpolationibus et supplementis Liturgiarum, earumue antiquitate et *αὐθεντία*: omnia pro antiquis, genuinis, puris, vti voluit, probaui. Ex ipsis Liturgiis autem et consue-

confuetudine loquendi, vel e facris libris ducta, vel paullatim in Ecclefiam inuecta, et ex ipfis Liturgiis, cognofcenda, comparatione locorum fimilium, fecundum veras interpretandi leges, omnem difputationem repetii. In quibus, et in quo genere, fi quis me conuincere aberrationis poteft, eum libenter audiam. Reftat, vt de locis Doctorum veteris Ecclefiae pauca addamus.

Primum autem grauem dicam ignorantiae Dialecticae impingit *Buddeo*, *Pfaffio*, et aliis, magnus, vt Grammaticus et interpres, ita Dialecticus, qui, quod fcriptores Ecclefiaftici trium primorum feculorum facrificium Euchariſticum non commemorant, eum modum loquendi, a fimplicitate doctrinae antiquae abhorrentem, quarto demum feculo vfurpari coeptum, opinioni nouae locum feciffe exiftiment. *Si nemo nec Apoftolorum nec ceterorum per tria fecula Doctorum hoc facrificium commemorauit: an negauit ex iis quisquam?* Ita callide interrogat. *Eratne eis lex impofita, vt, cum Euchariftiam memorabant, etiam facrificii mentionem facerent?* Ad quae facile refpondeti poteft. Viri illi docti non ignorabant, filentii quae vis effet in monimentis fcriptorum. Non omne fane filentium eft eiusmodi, vt propter id folum aliquid pro falfo repudiemus. At fi filentium non eft vnius, aut paucorum, fed omnium, inque re, de qua tam faepe, tam clare loquuntur, cuius totam naturam et rationem ex inftituto explicant, quae eft eiusmodi, vt eam nullo modo tacere debuerint: ne tum quidem filentium illud valebit? De primo mox videbimus: alterum ne ipfe quidem negauerit *Muratorius:* tertium autem quomodo dubitari poteft ab eo, qui facrificio Euchariftico tantum tribuit? Hanc tantam rem omnes tacere? nec cuiquam verbum de ea excidere? cum pofteriores tam frequenter eius mentionem vfurpent. Non vero fimile eft. Quod fi probare velimus rationem Muratorianam, vt dogma alicuius momenti et a θεοπνεύςοις et a ceteris trium feculorum Ecclefiafticis fcriptoribus perpetuo filentio premi,

premi, et per traditionem conferuari poffit: omnia obtrudi nobis poterunt, quae pofterioribus in mentem venerint, quamuis abfurda, velut per traditionem quandam ad ipfos inde a Chrifto propagata. Atque illa traditio *Irenaei*, per quam dogmata quaedam non fcripta ad pofteros perueniffe vult *Muratorius*, A TE, VIR VENERANDE, ita confecta et abiecta eft in praeclara aduerfus *Maffuetum* difputatione; vt pudere debeat omnes, eius vltra mentionem iniicere, praefertim talem virum, qui in antiquis monumentis, graecis et latinis, bene verfatus videri voluit, vnde difcere potuit ac debuit παραδιδόναι et tradere, cum de dogmatis dicitur, femper vel difciplinam viui, vel libros mortui fignificare, cum autem de praeteritis rebus, inprimis memoria noftra maioribus, fermo fit, femper de monimentis literarum intelligi, nunquam de fama et fermone hominum. Itaque cum hiftorici aliquid tradi, vel traditum effe dicunt, id femper de aliorum hiftoricorum libris accipi debet: quando etiam *fama* ipfa de rebus antiquioribus fic dici folet apud *Liuium* et alios: nec id ignorat quisquam, ab idoneo magiftro literis graecis et latinis eruditus.

Enimuero non opus erat *Muratorio*, *illegitimas et abominabiles leges logicas* obiicere iis, qui ifta ratiocinatione vfi funt: fatis erat, recte demonftrare, falfum effe, quod fumtum effet de ifto trium feculorum filentio. Ea demonftratio quam male procefferit viro, facile doceri poteft. Sed huic demonftrationi aditum parat per obfervationem mirabilem, qua bonus *Paullus* perfpicui erroris coarguitur. Chriftum, ait, facerdotem effe fimilem Melchifedeco, auctore *Dauide*: facerdotem autem effe, qui facrificia adminiftret: Iam Chriftum vtique facerdotem et hoftiam fuiffe in cruce. Haec bene. Quid amplius? Sed ibi *facrificium non peregiffe*, vti facerdotem Melchifedeco fimilem deceret: itaque id facere in S. Coena: ibi et *facerdotium et facrificium exercere*, in confecratione panis et vini, et eorum oblatione: ibi *alterum*

tius sacrificium intelligendum esse. Et hanc obseruationem in primis teneri vult. Haec si vera sunt, profecto *Paullus* errauit, qui Christum non, vt ceteros sacerdotes, necesse habere, ait, sacrificare pro peccatis hominum saepe ac quotidie; *sed id fecisse semel, cum semet ipse immolaret* (Ebr. VII, 27.). Atque etiam ipsa Ecclesia Romana conuincitur erroris, quae Christum in S. Coena immolari dicit a sacrificulo: eoque putaui pertinere loca *e* Liturgiis a *Muratorio* allata. Nunc audio, non sacrificuli esse hoc, sed Christi ipsius: Sed hoc Theologi Romani viderint. Tota igitur obseruatio est commentitia et falsa, vt leniter dicam, vel hoc nomine, quod S. Eucharistia antecessit mortem Christi: vnde planum fit, non peractum ibi sacrificium in cruce coeptum. Dehinc sequitur locus *Malachiae* I, 10. comparatus cum locis *Iustini* duobus e Dialogo cum Tryphone, iam saepe a Romanis Theologis in hac controuersia allatus frustra; vt taedeat aliquid reponere, cum ipse nil responderit iis, quae contra dicta sunt a multis, in primisque praeclare a *Pfaffio* V. C. in eruditissimis ad *Irenaei* Anecdota notis p. m. 684. *Malachiae* quidem מנחה טהרה *καθαρὰν θυσίαν* tropice accipiendam esse, puer intelligat ex adiuncto solo. Non victimas enim modo puras per totum orbem terrarum faciendas praedicit, sed etiam מקטר *θυμίαμα*: et *Tertullianus* adu. Iud. (p. 211. ed. *Rigalt.*) sacrificia *Malachiae* diserte interpretatur de laude diuina, et corde contribulato; itemque apud *Iustinum* et *Irenaeum*: nam et hunc addit *Muratorius*: non modo *προσφοραὶ* fieri in S. Coena dicuntur, sed etiam a *Christianis*, noui Testamenti sacerdotibus ac Pontificibus, et quidem e *creaturis diuinis*, h. e. pane et vino, non a Christo, aut sacrificulo Clerico, nec de corpore et sanguine Christi. Sed de his non erat sermo ac disputatio. Itaque illa loca sunt aliena omnia: nec minus cetera. *Tertullianus* Christum vocat *nouorum sacrificiorum sacerdotem*, adu. Iudaeos l. c. Bene: sed *spiritualium*, *cordis contribulati*, vt dixi, *precum et*

laudum

laudum diuinarum: nam de his ibi sermo. Indignatione subinde opprimor, VIR VENERANDE, in talibus locis, quae nimis clare sunt aliena, qui alias facile dissensum fero, et imbecillitatem ingenii humani non ignoro. Profecto aut puer sit stultissimus, aut impudentissimus, qui in hoc loco sacrificium S. Coenae e mente Romanae Ecclesiae reperiat, et inesse aliis persuadere conetur, aut aliud dicat, aliud corde premat. Sed fortasse et *Muratorius* et alii gregales eius in legendis scriptis veteris Ecclesiae ita adficiuntur, vt ille apud *Horatium* Athenis felix homo, qui, cum in portum venisset, omnes, quae ibi essent, naues, et in iis merces, suas putabat, et mirifice laetabatur tantis diuitiis suis. *Sacrificiorum orationes* commemorantur ab eodem (de oratione p. 155.) *Rigaltius*, praeclarus *Tertulliani* interpres, intelligi admonet preces. Verissime. Et si quis quid ibi aliud videt, eum male videre certum est. At a *Muratorio* eo nomine male accipitur. Quo argumento? quia *Tertullianus* diserte sacrificia ab orationibus distinguit. Quomodo? *Sacrificiorum orationes* dicit, non *orationes*. Proh! hominum fidem. Si hoc non est nugari in re seria, quid est aliud? O quicunque iuuentutem docetis interpretari, huic homini vos in disciplinam committite, ab hoc discite interpretari. Diebus stationum quidam negabant *interueniendum orationibus sacrificiorum*, ne statio solueretur, quod fieret accepto corpore Domini. Quae sunt istae orationes sacrificiorum? nempe Eucharisticae oblationes, et cum iis coniunctae laudes diuinae et preces: quibus qui aderant, etiam Eucharistiae participes fiebant. Sed omnino, quae sacrificia Christianorum statuat *Tertullianus*, docet *Pfaffius* V. C. de Obl. Euch. §. 38. Post longam deinde et inutilem de altaribus disputationem, e quibus et ipsis argumentum rei propositae exprimitur, affertur locus *Origenis* e IV. homilia in Leuiticum: *Sacerdos, qui diuinis adsistit altaribus, aliis indumentis vtitur, cum est in sacrificiorum ministerio.* Qui locus nullum euidens argu-

mentum habet. Nam ſacrificiorum nomine poſſunt etiam intelligi preces, laudes diuinae, oblationes panis et vini, quae ſacrificia vocari a veteribus, qui neget, nihil ſciat neceſſe eſt, et eſt ſupra demonſtratum. Nec locus alter, e libris contra Celſum, illi aliquid roboris addiderit; in quo Chriſtus, vt ſummus Pontifex, *preces et ſacrificia noſtra Deo ſiſtere* dicitur, i. e. commendare, vimque iis addere: quod profecto alienum ſit, intelligere de ipſo, et de hoſtia corporis eius, a ſacerdote immolata: quae, ſi literis ſacris fides eſt apud Romanos, non indiget aliqua commendatione et deprecatione. Enimuero eae preces et victimae ſunt Chriſtianorum omnium, non ſacrificulorum modo, vt contextus plane declarat: quae profecto indigent commendatione ad dextram Dei ſedentis Seruatoris noſtri.

Hactenus nihil in ſcriptoribus trium priorum ſeculorum repertum, quod antiquitatem Romanae opinionis firmet: et reſtat vnus, qui ad teſtimonium dicendum producitur, *Cyprianus*, cuius verba ſunt ſpecioſiora. Sed hunc quoque nihil ſtatuiſſe diuerſum a ſuperioribus, inprimisque *Tertulliano*, vel illud arguit, quod hunc magiſtrum ſuum vocat, cuius diſciplinam diligenter ſequatur. Itaque ſi quid amplius dicere videatur, quam in iſtius libris de ſacrificiis Chriſtianorum traditur, id, pro ingenio hominis Africani, dictum durius, ſed lenius et e *Tertulliani* diſciplina explicandum videtur. Et primus quidem locus a *Muratorio* propoſitus eſt ex Epiſtola LXIII. ad *Caecilium*, in qua primum, *Chriſtus Deo Patri ſacrificium obtuliſſe*, dicitur, *idem quod Melchiſedecus, i. e. panem et vinum, ſuum ſcilicet corpus et ſanguinem:* deinde, *idem fieri in ſui commemorationem, praecepiſſe:* denique, *ſacerdotem vice Chriſti vere fungi, qui Chriſtum imitetur, et ſacrificium verum et plenum in Eccleſia offerre Deo Patri.* Huic autem loco ſimilia ſunt cetera, in quibus *Dominica ſacrificia* commemorantur, et *ſacrificium Chriſti* (ſermo autem eſt de S. Coena) et *Dominicae hoſtiae* (in S. Coena) *veritas*, et *ſacrificium pro Dormitione.* In his vnum illud reſpon-

responſione indiget, quod *Chriſtum* in Euchariſtia *Deo Patri ſacrificium obtuliſſe* dicit. Cetera, quae ſacrificium ad ſacerdotes referunt, expediet *Auguſtinus*, quem interpretem nemo Romanus repudiet. Eius ſunt in Libro X. de Ciuit. D. et c. Fauſt. XX, 2. haec verba: *Quod ab omnibus appellatur ſacrificium, ſignum eſt veri ſacrificii.* Ita profecto ſe res habet. Quia Euchariſtia habet ἀνάμνησιν Chriſti mortui, et ſacrificii eius in cruce peracti, propter ea paullatim coepta eſt tota Euchariſtia ſacrificium dici: eius initium factum arbitror in Eccleſia Africana, fortaſſe per ipſum *Cyprianum*. Nam Africani, id quod nemo neſcire poteſt, qui vel *Tertullianum*, vel *Cyprianum*, vel *Arnobium*, deguſtauit leuiter, tropos duros amant et allegorias, hyperbolas etiam, et inſolentes loquendi modos: quos ſi nos, frigidiori ſub coelo nati, noſtra loquendi conſuetudine aeſtimare vellemus, quid non interdum inde eruere poſſemus. Sed forte omnino eloquentiae turgidiori, quae iſta aetate, in Africa quidem maxime, ſed etiam in Graecia valuit, ea res tribui poteſt. Conſideret quis hunc locum *Chryſoſtomi* in Opere diſertiſſimo de Sacerdotio, III, 4. ὅταν γὰρ ἴδῃς τὸν κύριον τεθυμένον, καὶ κείμενον, καὶ τὸν ἱερέα ἐφεστῶτα τῷ θύματι, καὶ ἐπευχόμενον, καὶ πάντας ἐκείνῳ τῷ τιμίῳ αἵματι φοινισσομένους cet. An haec proprie omnia intelligi volumus? ſi κύριος τεθυμένος, καὶ κείμενος et θῦμα ita accipi debet, vt volunt Romani: age etiam τὸ ἴδῃς et φοινίσσεσθαι αἵματι proprie accipiant. At ſi haec improprie dicta fateantur, illa quoque ita intelligenda concedant neceſſe eſt. Oratorie hic loquebatur, vt ſaepe in iſto libro, *Chryſoſtomus*. Quod ſi vero quis deſiderat verum viri ſenſum cognoſcere, ipſum audiat in ſermone XVII. ad Epiſtolam *Paulli* ad Ebr. interpretantem perſpicue, non oratorie diſſerentem (p. 1872. ed. Sylb.) ὁ ἀρχιερεὺς ἡμῶν ἐκεῖνός ἐστιν, ὁ τὴν θυσίαν τὴν καθαίρουσαν ἡμᾶς προσενεγκών. ΕΚΕΙΝΗΝ ΠΡΟΣΦΕΡΟΜΕΝ ΚΑΙ ΝΥΝ, τὴν τότε προσενεχθεῖσαν, τὴν ἀνάλωτον. τοῦτο εἰς ἀνάμνησιν

 γίνεται

γίνεται τῦ τότε γενομένυ. τῦτο γὰρ ποιεῖτε, φησὶν, εἰς ἐμὴν ἀνάμνησιν. ΟΥΚ ΑΛΛΗΝ ΘΥΣΙΑΝ, καθάπερ ὁ ἀρχιερεὺς, ΑΛΛΑ ΤΗΝ ΑΥΤΗΝ ΠΟΙΟΥΜΕΝ, μᾶλλον δὲ ΑΝΑΜΝΗΣΙΝ ἐργαζόμεθα ΤΗΣ ΘΥΣΙΑΣ. Ad hanc igitur normam verba Doctorum veteris Ecclesiae, de sacrificio corporis et sanguinis Christi in S. Coena, interpretabimur, si bonorum interpretum munere fungi velimus.

Sed de primis istis verbis videamus, quibus *Christum* in Eucharistia *Deo Patri sacrificium obtulisse*, dicit *Cyprianus*. In eo autem sacrificium Christi non proprie dici, sic clarum fieri arbitror. *Cyprianus* non ignorabat, victimam viuam non immolari proprie, nisi caesa sit. Itaque nullo modo credere poterat, Christum a se proprie immolatum in Eucharistia, cum adhuc viueret, sed potius existimabat, Eucharistiam a Christo celebratam fuisse figuram veri sacrificii mox futuri. Hoc est corpus meum, inquit Christus, quod pro vobis, salute vestra, mox interficietur, i. e. immolabitur. Vt nostram Eucharistiam ἀνάμνησιν τῆς θυσίας γεγενημένης cum *Chrysostomo* statuebat, sic primam illam Christi, πρόγνωσιν et προδήλωσιν γενησομένης. Iniuriam faciunt sancto et erudito viro, qui eum aliter iudicasse, hoc est, nec sacrificii veri naturam tenuisse, nec verba Christi intellexisse contendunt. Quo ergo sensu dixit, *Christum sacrificium Deo Patri obtulisse?* Volebat conuincere erroris grauis Aquarios, qui, vino e S. Coena sublato, aquam vsurpabant. Vtebatur solenni illa Melchisedeci comparatione cum Christo, et ostendere instituebat, eum Christi figuram etiam in hoc fuisse, quod panem et vinum *obtulerit*, (sic diserte dicit §. 2. extr.) et hinc colligi existimabat, vinum in S. Coena esse debere, cuius imago sacrificium Melchisedeci fuerit. Non dicam errasse *Cyprianum*, qui panem et vinum Regis interpretatus sit de sacrificio, et הוציא *extulit*, sc. ex vrbe sua, Abrahamo et militibus, commutarit in *obtulit*, sc. Deo. Illud dico, sacrificium

Christi

Christi Eucharistiam vocasse, e consuetudine oblationum panis et vini in S. Coena, ob quas tota Eucharistia sacrificium appellata, neque ei in mentem venisse, corpus Christi proprie immolatum a Christo, aut immolari a sacerdotibus. Clarum igitur est, *Muratorium* e trium primorum seculorum libris nullum idoneum testimonium protulisse, quo sententia Romana de sacrificio Eucharistico confirmaretur. E sequentibus seculis nil proferre lubuit *Muratorio*, quorum scriptores et saepius et crassius de illo sacrificio locuti sunt, et magis apte ad Romanae Ecclesiae sententiam, vt fatentur nostri quoque eruditi Theologi. Sed omnia illa dicta e *Chrysostomi* formula, ante proposita, intelligi debent, neque de iis quicquam dicere opus est.

Absoluta est de sacrificio disputatio: sed ad duo praeterea aliquid respondendum, quae in Muratoriana disputatione dicta sunt. Impios vocat maiores nostros, per occasionem Cyprianici loci, qui aquam e S. Coena proscripserint: negatque ferendam temeritatem nostram, qui aut ignorantiae aut praeuaricationis accusemus primae Ecclesiae Patres, qui Dominicam hanc et Apostolicam traditionem vocent, vt aqua vino admisceatur. Maledicus est, qui nobis affingit iniurias istas in viros sanctos. Nemo eruditus nostrae formulae Theologus neget, veterrimam hanc consuetudinem fuisse, quae apud *Iustinum* memoretur: nec *Lutherus* dubitauit. Immo diu haesit dubius, vtrum aquae vsum relinqueret in Eucharistia, an tolleret. Ad extremum vini verbo stare, et merum vinum adhibere decreuit. Non hoc nomine impietatis accusandi sumus; nec ego exprobrem Romanis aquae vsum. Immo credo, Christum aquam admixtam vino dedisse Apostolis, et Apostolos idem fecisse, cum omni vetere Ecclesia: idque crederem, si nullum eius rei vestigium in libris Christianorum scriptorum superesset, sola hac verissima inductus caussa, quod nemo fere olim in Asia, aut Graecia, aut Africa, aut

Italia, vinum bibit merum, sed semper aqua mixtum, et quidem ita, vt fere plus aquae esset, quam vini. Οὐ φέρει τὰ τρία, Graecum est de vino non satis bono aut generoso dictum, h. e. cuius vni sextario non terni sextarii aquae admisceri possent, salua saporis suauitate. Intemperantis hominis putabatur, merum bibere: quod est a Christo et Apostolis alienissimum. In vini ergo verbo veteres semper aquam admistam intelligunt. Sed tamen recte fecisse *Lutherum* in aquae vsu tollendo existimo: propterea, quod aqua in vino Eucharistico non aliam ob caussam fuit, quam quod mos esset, vinum non aliter bibere, quod apud nos secus est, qui vinum sine aqua bibimus, sine turpitudinis nota: neque vllo modo dubitari potest, quin, si his in terris Christus vixisset, et Eucharistiam instituisset, merum daturus fuerit. Itaque mihi semper ridiculus visus est *Wagstaffii*, *Bretti*, aliorumque Britannorum conatus, aquae vsum in Eucharistia reuocare tentantium, quem male abolitum ab veritatis Euangelicae instauratoribus putabant, miratusque sum, eos non et hoc postulasse, vt accumbentes acciperemus corpus Dominicum: inprimis cum etiam frangi velint panem in Eucharistia *Caluini* sectatores: quia a Christo fractus est: quasi nesciremus, id non factum alicuius rei significandae caussa, sed quia cultris in coenis non vtebantur, vt nunc, Orientis populi.

In principio huius disputationis de sacrificio Eucharistico, mirifice se iactat *Muratorius* in eo, quod *I. E. Grabius*, vir antiquitatis Ecclesiasticae peritissimus, agnouerit sacrificii antiquitatem, minimeque probauerit, id e Protestantium Ecclesiis per *Lutheri* et *Caluini* errorem esse sublatum, sed reuocari voluerit, in notis ad *Irenaei* IV, 32. in quam partem multos claros in Britannia Theologos procliues fuisse satis constat, vt illo ipso loco tradit *Grabius*. Sed non erat, quare tantopere gloriaretur hoc nomine *Muratorius*. Etenim longe aliud sacrificium est, quod Britannis placet: illud videlicet, quod est in

panis

panis et vini oblatione, cum laudibus diuinis et supplicationibus, quod in Liturgiis latinis frequentatur: incruentum sacrificium corporis et sanguinis Christi, cuius haec vis sit, vt Christus a sacerdote immoletur, nec agnoscunt, vt opinor, nec probant: quod, cum multis aliis rebus, discere potuisset ex eo, contra quem disputat, Ven. *Pfaffii* libro, si eum legisset. Quamquam ne hac lectione quidem opus erat. Clarum enim est, nullum aliud a *Grabio* sacrificium intelligi, quam de quo *Irenaeus* dicat: quod quale sit, h. e. quam discrepans ab eo, quod defendit *Muratorius*, ante demonstratum est.

IV. *Adorationem Eucharistiae Liturgiarum et Patrum Eccl. auctoritate non firmari.*

Tam manifesta est nouitas Adorationis Eucharisticae in Ecclesia Romana, vt praeclare est a TE, VIR VENERANDE, demonstratum, ab instituta panis et calicis post consecrationis formulam eleuatione, cuius nouitatem agnoscit ipse *Muratorius*, agnoscique ab omnibus eruditis Catholicis p. 227. adfirmat, inuectoque transsubstantiationis commento orta, vt mirum videri possit, *Muratorium* eius antiquitatem defendere tentasse. Sed quid ille non tentauerit, qui, vt ante multis exemplis vidimus, mira felicitate an impudentia, quicquid vellet, vbique reperire potuit. Vsus autem est in aditu demonstrationis cauta aliqua et callida praemunitione. *Vt etiam pusillis satisfiat* p. 228. med. (quos pusillos vocet, et quomodo, non satis latine scio, vt assequi possim) *animaduerti vult*, quidnam? haud dubie aliquid eiusmodi, quo perspicua res fiat, e quo, tanquam e principio, tota demonstratio ducatur? Quid ergo? *mirum esse, qui ab hominibus non ineruditis, ob adorationem C. et S. Domini in Missa ad eorum eleuationem lis moueatur.* Sane qui hoc animaduertat ac teneat, is facile capiet demonstrationem subiectam, eiusque vim sentiet. Iam proponitur res

 demon-

demonstanda: Quamuis noua sit eleuatio, tamen adorationem non esse nouam, sed semper vsitatam fuisse. Adorationis autem nomine intelligi animi submissi obsequium, quod Deo praestetur: quod vt ipsum sufficiat Deum adoranti, tamen etiam gestibus corporis declarari posse, vt genubus flectendis, procumbendo in genua, etiam sola capitis inclinatione: eosque semper inter homines viguisse. Sed qui gestus maxime sit vsurpandus, Ecclesiam praescribere posse. Haec vere disputantur. Sed quorsum? quid id ad propositam caussam? Nempe vt, quia adorationis verbum raro in Liturgiis occurrit, omnibus locis vti possit, vbi inclinatum caput, aut genuum flexio commemoretur: quae loca ille omnia, pro admirabili sua interpretandi solertia, qua e quolibet eruere potest quidlibet, ad adorationem eam, quae nunc valet in Ecclesia Romana, vltimae antiquitati adferendam conferet. Sed nihil proderit homini ista philosophandi calliditas, praesertim cum ea iam vsu crebro patefacta et abiecta sit. Et cum *Muratorio* visum sit, demonstrationi Liturgicae praemittere talem philosophiam; nobis quoque aliquid vniuerse dicendum videtur.

Adorationem, et προσκύνησιν, et similis potestatis verba in Liturgiis et Ecclesiasticorum scriptorum libris de Eucharistia occurrere, de eo nunquam dubitatio aut disputatio fuit apud intelligentes. Itaque si quis nihil aliud, quam verba ista in re Eucharistica vsurpata olim, exemplis ostendat, vt dudum *Bellarminus*, *Perronius* aliique fecere, operam perdit et famam doctrinae. Nam verba illa non necessario aut semper pertinent ad honorem eum, qui diuinae naturae debetur, sed cuiuscunque honoris ac reuerentiae significationem possunt habere, vt etiam pueri norunt. Atque etiam satis constat, orientales gentes procliuiores fuisse occidentalibus ad procumbendum in terram, etiam in humanis honoribus, eamque consuetudinem nunc quoque in multis nationibus vigere. Itaque ipso fatente *Bossueto*, p. 234. callidissimo isto Liturgiae Romanae defen-

defenſore, et *Muratorio*, adorationes factae in Euchariſtia ante conſecrationem, cum panis et vinum, et vaſa adferrentur. Nam quod hic inter *adorare* et *venerari* diſcrimen facit, id eſt ab antiqua Latinitate alienum, quae *venerari* libenter de Deorum honore vſurpat. Neque vero quisquam noſtrum intercedat, ſi in accipiendo pane et vino, h. e. corpore et ſanguine Chriſti, quis adoret, ita ſcilicet, vt, cum preces ac ſupplicationes ſolennes facimus, h. e. non propter panem in corpus conuerſum, aut neceſſario, (nam Chriſti quidem diſcipuli, cum e Chriſti manibus acceptum panem ederent, non adorarunt;) ſed reuerentia in Deum et Ieſum Chriſtum Seruatorem, cuius corpus ſumitur, idque etiam ſi, vt *Caluinus* voluit, corpus Chriſti verum non ſumeretur, tamen recte fieret, fierique poteſt in omni Dei cogitatione, ſed, vt dixi, non neceſſario. Etenim ſi ob praeſentem Deum et Chriſtum procumbendum eſt neceſſario, ſemper in terra proſtrati iacebimus, cum ſemper adſit, ſimusque in conſpectu eius. Nihil horum aut quaeritur, aut in dubitationem adducitur. Sed an adoratio ea, quae Deo propria eſt, quam ſolam Theologi in arte ſua ac diſputationibus intelligunt, fieri poſſit, ac debeat, vel in Euchariſtia, cum nondum accipias, vt verbis ſacrificuli, *hoc eſt corpus meum*, velut fulmine proſternare, tanquam ille panis nunc eſſet repente Deus adorandus, aut extra Euchariſtiam cum panis, ſuper quem iſta verba pronunciata ſunt, conſpicitur vſpiam, ea quaeſtio eſt, hoc diſputatur inter Theologos: an talem adorationem vetus Eccleſia vſurparit, probarit, hoc nunc diſputandum erat, hoc quae indicarent clare, loca proferenda erant. Talia an ſint Muratoriana, iam videbimus.

Atque initio quidem in Liturgiis ſuſpiciones ferit quasdam ex eo, quod nullum ex antiquis Sacramentariis habere nos dicit, in quo rubricae, ſeu ritus omnes legantur, in Miſſa olim vſurpati: vnde multum lucis ad dignoſcendam antiquitatem adorationis in Euchariſtia detra-

ctum

ctum sit. Vult enim homines suspicari, adorationem tamen factam, etsi in Liturgiis non clare commemoretur. Cui rei nos silentium *Iustini Martyris* opponimus, qui omnes ritus Eucharisticos narrat, etiam surgendi consuetudinem in precibus Eucharisticis, nec vllo modo taciturus erat adorationem, si tum vsitata esset. Sed tamen satis perspicuum huius ritus vestigium superesse ait. Id impressum videt in vtroque *Ordine Romano*, post alios a *Mabillonio* edito, in quorum altero *) *Pontifex vel Diaconus inclinato capite salutare sancta dicitur.* (in Mus. Ital. T. II. p. 8 med.) *adorare* autem in altero (ibid. p. 43.) vnde sumsit ac repetiit *Amalarius* in Ecloga ad h. l. a *Baluzio* in Append. Capitularium et *Mabillonio* l. c. editus. Enimuero quam non bene discernat rerum vestigia diuersarum, plane demonstrabimus, et totum hoc Liturgicum argumentum dissoluemus. *Sancta* in vtroque loco esse Eucharistiam, quod sumit *Muratorius*, demonstranti *Mabillonio*, Commentar. in Ord. Rom. p. XXXVI. facile concesserim, h. e. panem εὐχαριστηθέντα, vt *Iustinus* vocat, siue consecratum antea, in superiori Eucharistia, nec consumtum in distributione, sed residuum: eaque res ipsa nobis in vltima huius disputationis parte plurimum aduersus *Muratorium* proderit. Nam et vsus loquendi Graecorum, vnde Latini duxere, et loca, in quibus id verbum reperitur, satis euidenter rem arguunt. Sed adorandi verbum hic non habere eam vim, quam disputatio praesens desiderat, clarissimum est. Nam in loco altero, qui est huic par, in *Ordine Primo*, synonymum ei ponitur *salutare:* quod verbum esse quidem honoris habendi, sed non necessario diuini, permultis eiusdem ordinis locis patet. Nam et altaris latera salutant Diaconi

*) *Primum* vocat *Muratorius* apud *Cassandrum*, *Hittorpium* et *Mabillonium*. Sed est primus modo apud hunc: apud illos est secundus, et primus contra, qui est apud *Mabillonium* secundus.

coni (p. 8.) et Pontifex falutat altare, cum ad id afcendit ad accipiendas oblationes (p. 11 extr.) quod infanus fit, qui de adoratione, quam Theologi dicunt, capiat; et *falutatur Pontifex*, *Ord. R.* III, p. 54. 55. Itaque etiam in Cruce adorare et falutare permutantur (p. 23. et alibi) Tum honos habetur et reuerentia quaedam pani, qui ex fuperiori εὐχαριστίᾳ aliquid fanctitatis habere videtur. Omnia autem fancta quocunque modo, falutantur et adorantur inclinato capite, vt ex omnibus Ordinibus patet, ipfe etiam Pontifex, vt ftatim docebimus. Nec prodeft *Muratorio*, quod haec *Sancta* etiam vocantur corpus Domini (p. 26.) quod fi ille vidiffet, in capite vltimo, commemorare non neglexiffet: retinent enim nominis honorem ex priftina confecratione. Atque etiam modus illius adorationis ita clare exprimitur, vt dubitare non liceat, falutationem fuiffe, qualem tribuere etiam homines hominibus folent, velut nos facerdoti, e cuius manu accipimus panem vinumque in S. Euchariftia. *Pontifex inclinato capite adorat vel falutat Sancta.* Ipfe *Muratorius* pro documento adorationis per totum Canonis tempus durantis affert verba eiusdem *Ordinis Primi* Mabillonimi, quibus Epifcopi, Presbyteri, Diaconi, et Subdiaconi *inclinati* dicuntur *permanere*, durante Canone, in Miffa Pontificali p. 48. Enim vero ifta capitis inclinatio in Liturgia eft nihil nifi honos, reuerentiam quamcunque demonftrans, vt multis Ordinum locis patet. Nam, vt ante dixi, *Prior fcholae fe inclinat Pontifici:* (p. 9.) *Quartus fcholae dicit inclinato capite ad priorem fcholae, vel fecundum, fiue tertium: Domini iubete:* (p. 55.) *Pontifex veniens in tribunal Ecclefiae inclinat caput contra altare*, quo tempore nondum ibi funt Sancta. Et talia funt in Ordinum libellis permulta, quae pudorem incutere debent iis, qui ex locis ante prolatis cum *Muratorio* exfculpere adorationem propriam velint. Atque etiam hoc aueam fcire, quare folus Pontifex, vel Diaconus adoret, nufpiam in rituum Euchariſticorum, qui in his Ordi-

Ordinibus exponuntur, enumeratione, populus? At hoc ipſum erat, quod quaerebatur, an adoratio talis religioſa fuerit conſecrati panis et vini, qualis nunc in Euchariſtia Romana vſurpatur, vt ad verba, *hoc eſt corpus meum*, omnes procumberent. Cur porro in *Ord.* II. p. 48. vbi, quid Pontifex et Presbyteri et Diaconi faciant per Canonem, diſtincte traditur, nemo quisquam ad illa verba proſterni dicitur: niſi quod, ſtante pontifice conſecrante, ceteri Eccleſiaſtici ordinis homines omnes ſunt inclinati, inde a principio precum oblationis.

At in Graecis Liturgiis, nominatim ea, quae *Chryſoſtomo* tribuitur, etiam populo προσκύνησις clare tribuitur, facta conſecratione, oſtenſoque populo pane conſecrato, firmante etiam, *Anaſtaſii Sinaitae* narratione in Orat. de Sancta Synaxi, (ap. *Caniſium* T. I.) Sed et *Renaldotius*, qui tanta cura rem Liturgicam tractauit, et *Muratorius* parum diligenter illum locum conſiderarunt, nec eum vniuerſa Liturgiae Orientalis ratione contulere: quod ſi feciſſent, haud dubie intellexiſſent, τὸ προσκυνεῖν non pertinere proprie ad panem et vinum conſecratum. Age igitur rationem προσκυνήσεως in Liturgia Orientali paucis exponamus. Vt omnis cultus diuinus, et priuatus, et vero etiam in primis publicus, duabus rebus continetur, quarum prima et ſumma eſt in laudibus diuinis, et memoria beneficiorum diuinorum, in primis eorum, quae per Chriſtum data ſunt, cum gratiarum actionibus celebranda; altera in precibus et ſupplicationibus pro nobis et aliis: ita Liturgia Euchariſtica, in quam apud veteres omnis prope cultus Dei publicus concluſus erat, haec duo habet. Iam in parte priori, quae eſt laeta et hilaris, ſtant Chriſtiani erecto vultu, e Liturgiae Orientalis formula: in parte altera, quae debet habere ſubmiſſionem animi, triſtitiam e peccatorum et indignitatis conſcientia, προσκυνοῦσι, inclinantque capita. Hoc iam teſtimoniis confirmabimus. In Liturgia *S. Baſilii* Graeca p. 65. in principio oblationis (προσκομιδῆς) quae

quae est in laudibus diuinis, Diaconus iubet Christianos sedentes surgere: οἱ καθήμενοι ἀναστῆτε· quod fit eodem loco in Liturgia *Gregorii* p. 100. Atque ita stant per totum consecrationis Canonem, vsque ad verba populi, σὲ αἰνοῦμεν, σὲ εὐλογοῦμεν, in vtraque Liturgia. Tum Diaconus (p. 68. 100.) proclamat: κλίνατε Θεῷ μετὰ φόβου: quod idem est cum τῷ προσκυνεῖν: sicut ante *inclinare capita*, idem facit *Muratorius* in verbo adorandi. Enimuero hic nondum, e mente Orientalium, adest corpus et sanguis Christi. Quorsum igitur iubentur adorare? Quia incipiunt hic preces sacerdotis, primo pro panis et vini ἁγιασμῷ, deinde pro κοινωνήσουσι, et denique pro omnibus viuis et mortuis: καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε, pergit sacerdos. Diaconus etiam postea iubet τὰς κεφαλὰς κλῖναι (p. 77.) et sequitur deprecatio, item eodem modo (p. 79 et 85. 105. 119.) Atque ita plane est in Liturgia *Chrysostomi*, Sacerdos Diaconus προσκυνοῦσιν, et similiter totus Christianorum coetus. Quare autem? ob deprecationis submissionem: λέγοντες μυστικῶς τρὶς, ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι ἁμαρτωλῷ. Ergo Deum adorant, submisse deprecantes peccatorum veniam. His autem dictis surgunt, et Diaconus non proclamat κλίνατε, cum vult facere ὕψωσιν ἁγίων, sed πρόσχωμεν *attendamus*. Et tamen ex his verbis efficere volunt miserabiles interpretes, hostiam consecratam eleuatamque, adorari solitam fuisse in Ecclesia Graeca, solo verbo nixi, omnium aliarum rerum, quae in legitima interpretatione spectari debent, negligentissimi atque securi. Non igitur hoc dubitationis oppono, quod nolebat *Renaldotius* pag. 266. quod antiquiores libri non habeant, quae in recentioribus reperiantur. Habeant per me omnes. Verba ipsa aliud sonare, quam isti volunt, doceo.

Est autem simillima ratio eorum, quae e Liturgiis Syrorum et Coptorum proferuntur. *Renaldotius*, ceteris paullo diligentior in hac etiam parte, qui etiam reprehendit gregales suos, qui omnem inclinationem capitum

aut

aut γονυκλισίαν ad adorationem hostiae referant, in vtraque de hac re disputatione T. I. p. 269. et T. II. p. 214. is igitur nullum in ipsis Liturgiis antiquis repertum locum proposuit, e quo adoratio intelligeretur: sed aliorum de ritibus scriptorum testimoniis vsus est, de quibus statim videbimus. At multo oculatior fuit *Muratorius*. Nam e Liturgia Syrorum ea, quae *Gregorio* tribuitur, profert locum eum, vbi post consecrationem Diaconus clamat: *Adorate Agnum, Verbum cet.* et addit: nil referre, vtrum statim, ab consecratione, i. e. verbis *hoc est corpus meum* adoratio fiat, vt a Romanis, an ante κοινωνίαν, vt apud Graecos: satis esse, adorationem vsurpatam fuisse. Primum multum interest ad quaestionem eam, quam supra posuimus: deinde, quis neget, adorandum esse I. C. cuius corpus et sanguis sumitur. Immo omni tempore est adorandus pia mente, nedum eo tempore, quo tam arcte nobiscum coniungitur. Sed ipse sensisse videtur imbecillitatem huius testimonii. Itaque se repente a Liturgiis transfert ad scriptorum Ecclesiasticorum auxilia, quibus et ante, in hac ipsa disputatione, vsus erat.

Sed horum scriptorum, qui et ab *Muratorio* et a *Renaldotio* testimonii caussa commemorantur, non eadem ratio est. Quidam sunt antiquiores, sed ita, vt inferiores tertio quartoque seculo sint omnes; quidam valde recentes, e seculis multa iam barbarie et superstitione inquinatis, et mole caeremoniarum nouarum oppressis. Iam, qui ex his consuetudinem antiquae et incorruptae Ecclesiae cognoscere velit, is idem faciat, ac si e *Cerimoniali Constantini*, quod nuper in hac vrbe editum est, discere velit ritus aulae Romanae, qui sub *Augusto* ac *Tiberio* fuere. Tales autem sunt Renaldotiani omnes, et e Muratorianis, *Theodorus Studites*, *S. Maximus*, *Pseudo Dionysii* Scholiastes, *Lucas Iunior*, homines, etiamsi planissime dicant, quod iubentur, nullo modo audiendi. Sed nec hi, nec locupletiores, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Theodo-*

Theodoretus, *Cyrillus*, *Renaldotio et Muratorio* pariter commemorati, dicunt, quod caussidicus volebat et sperabat. Adorari in S. Eucharistia Christum et corpus eius dicunt, siue, vt diserte *Cyrillus a pronis*, *inclinatis adorationis in modum*, *summa cum reuerentia et veneratione*, vt *Hieronymus* ait, sumi. Nam vt, quemadmodum *Renaldotius* bene docet, γονυκλισία inclinatio capitis et corporis, quae est adoratio visibilis et corporea, fit etiam *ad suscipiendam benedictionem sacerdotis* (T. II. p. 213 extr.) sic haec adoratio et veneratio pertinet ad suscipiendum ore corpus et sanguinem Christi, et benedictionem adeo diuinam. Atque *Chrysostomus*, cuius ipsius locus profertur ex sermonibus in Epistolam Paulli primam ad Corinthios (p. 537. 538.) nihil aliud postulat, nisi vt summa cum εὐλαβείᾳ ad corpus Christi edendum accedamus, ne temere vescentes iram Dei prouocemus. Quid hoc, quod nos quoque postulamus, commune habet cum illa Romana hostiae adoratione?

V. *Castigationes Disputationis de Ritibus Eucharisticis quibusdam. C. XX. XXI.*

Profligatae sunt maximae et grauissimae Disputationis nostrae aduersus *Muratorium* partes. In quibus si nobis, vt speramus, res non infeliciter cessit: multo minus, in his veluti reliquiis, conatus noster irritus est futurus. Primum autem dicendum est de *Confessione Peccatorum*, quam Romani etiam Angelis et ceteris Coelitibus fieri volunt. Nam hanc quoque e Liturgiis tentat *Muratorius* aduersus eos defendere, qui soli Deo eam confessionem deberi, et in vetere Ecclesia fieri solitam, contendunt. *Bingamus* in Orig. Eccl. XV, 1. Gallicani Officii Confessionem vetustam attulerat, qua ostenderet, eam olim ad Deum solum pertinuisse. Noster ad hoc nihil: ceterum se repente confert ad rubricas illas, quibus etiam in superiori disputatione vsus fuerat, eaeque

 cum

cum desiderentur in exemplaribus antiquis Liturgiarum, negat sciri posse, quibus verbis in aliis Ecclesiis Confessio facta sit. In quo mihi venit in mentem illud *Ciceronis* aduersus *Gratium*, in defensione *Archiae*: *Est ridiculum, ad ea, quae habemus, nihil dicere: quaerere, quae habere non possumus.* Habet disertum antiquae Confessionis exemplum, quae soli Deo facta sit: ad id nihil dicit: in aliis Ecclesiis quid factitatum sit, ob rubricarum defectum negat sciri. Quid desideras, quae non sunt, et non potius vteris oblatis? Non credibile est, si in Gallicana Ecclesia, quae est veterrima, soli Deo confessio facta est, in ceteris quoque eandem consuetudinem fuisse? Quid dixisset *Muratorius*, si quis ad vnum illud e Liturgiis exemplum, quo adorationem Eucharisticam firmare tentabat, nihil aliud respondisset, nisi hoc vnum: non possumus ob rubricarum defectum scire, quid in aliis Ecclesiis fieri sueuerit? Mirabiles sunt homines: vt quidque commodum est, ita dicunt. *Renaldotius* negat aequum esse, aduersarios Ecclesiae Romanae repudiare ritus eius Eucharisticos, nominatim adorationem hostiae, ob rubricarum in antiquioribus exemplaribus defectum: *Muratorius* confessionem coelitibus in Eucharistia factam credibile putat, ob eundem defectum. Sed quid opus rubricis? *Satis est, nihil esse in ista Confessione, quod cum disciplina Ecclesiae Rom. non conueniat.* Quomodo? Quia est in illa disciplina locus de Sanctorum Inuocatione. Enimuero in hoc erroris grauis arguitur Ecclesia Romana. Arguatur vero: *Legitimis rationibus, et consensu Ecclesiae priscae niti, infra demonstrabimus.* De eo igitur videbimus illo in loco. Sed vide mihi lepidam et callidam diuisionem confessionis: sentit enim homo non obtusus, durum et absurdum esse, homines hominibus mortuis confiteri peccata: *Aliter Deo confitemur*, inquit, *aliter Sanctis: illi, vt parcat, his, vt pro nobis orent.* Quasi constet confessionis nostrae scientiam ad Sanctos in coelo peruenire. Atque etiam profert formulam confessionis

ex

ex *Hittorpii et Morini* collectis, ex qua fit confeſſio Deo Patri, Ieſu C. et Spiritui Sancto, *coram S. S. Angelis et coram omnibus Sanctis.* Miror hoc vnum exemplum prolatum eſſe, idque eiusmodi, cui facile reponi poſſit hoc: aliud eſſe coram Sanctis et Angelis confiteri, quod et am *Paullus* fecit, aliud Angelis et Sanctis? cum et plura ſint et magis ſpecioſa, in Libellis Poenitentialibus, velvti iis, qui *Morini* operi de Poenitentiae Sacramento ſubiecti, aut in *Caniſii* Lectionibus (T. II. P. II) editi ſunt: in quibus etiam reperitur formula confitentis (ap. *Morin.* p. 176.) *Deo et Sanctis ſuis:* item alia confitentis *coram Deo S. Chriſto* et *Sanctis:* ibid. a. p. 13. a. Sed ne ſic quidem aliquid profeciſſet *Muratorius*. Nam et antiquitas libellorum iſtorum in dubitationem vocatur a doctis hominibus, vt Morinianorum a *Baſnagio* (in praef. ad *Halitgarii* libellum Poen. T. II. Lect. Caniſ. P. II.) et poſterior aetas paullo aliter confeſſionem peccatorum dixit, quam antiqua; quae hebraicae conſuetudinis tenax, pro deprecatione, veniae impetrandae cauſſa, dixit. Nam verbum הודה vt gratiarum actionem ſignificat in commemoratione beneficiorum, ſic deprecationem veniae habet, cum peccatorum mentio adiuncta eſt. Ex quo Graeci dicunt προσδέξασθαι τὸν ἐξομολογούμενον, pro veniam dare deprecanti, vt in libello Poenitentiali *Ioannis Ieiunatoris*, ſi quidem auctor eſt, p. 77. apud eundem *Morinum.* Et de tali confeſſione quaeritur in hac diſputatione: eaque eſt antiqua vis verbi, ea confeſſio ad vnum Deum pertinet. At poſterior et recentior aetas dixit etiam confiteri peccata iis, quibus teſtibus et in quorum conſpectu, vel praeſentia, deprecatio fieret, vnde et *coram altari*, et *reliquiis Sanctorum* in libellis iſtis *confitentes* inducuntur, non minus inepte, quam coram coelitibus.

Alter ritus, cuius defenſio ſuſcipitur, eſt vſus candelarum inter Euchariſtiam: quem etiam *Brunus*, propter *Hieronymi* auctoritatem, negantis clara luce in ſacris

Christianorum accendi lumina, inferiorem aetate *Hieronymi* putabat, nisi cum Euangelium legeretur, in quo omnis Orientis Ecclesias luminibus accensis vsas, ad laetitiam significandam, idem *Hieronymus* auctor est. Non est nobis consilium, eam controuersiam tractare copiosius. Neque enim nos vsum candelarum, vel in S. Eucharistia, vel in sacris publicis, per dies Dominicos et festos, repudiamus. Illud existimamus non satis verum esse, quod *Muratorius* in hac disputatione ait: *sine luminibus profecto peracta non fuit postrema Saluatoris coena:* quamquam vulgo nostris hominibus idem videtur, qui hanc pueris rationem reddere candelarum ardentium in Eucharistia solent. Homines antiquorum coenas nostris moribus aestimant. * At apud veteres in coenis nulla lumina, nisi in tempestiuis. Nam coenae aliquantum ante solis occasum factae, inprimisque Paschales tota amplius hora ante solis occasum agitatae: vnde plus satis temporis, duae saltem, vt opinor, nostri moduli horae, ad comedendum Paschalem agnum, antequam luminibus opus esset. Immo aut memoriae antiquae vsurpandae caussa lumina adhiberi coepta, quod primis temporibus, saeuientibus in Christianos tyrannis, per noctis tenebras et silentium conuentus facti Christianorum, et Eucharistia ad lumina celebrata, vel laetitiae caussa, quam et nunc luminibus accensis testari mos est. Quorum vtrumlibet teneas, nihil habent lumina in Eucharistia accensa, quo prudentis animus offendatur.

Sequitur *Oblatio*, quam a *Luthero* abolitam, et abominationis verbo infamatam, adeo indignatur, vt superbiam et furorem, et impotentiam, et temeritatem, et omnia, ei exprobret. Haec tanta mala omnia comprimi posse putat, vnius *Clementis Romani* testimonio, qui quae dixerit, ea, vt ab ipsis Apostolis profecta, probanda esse. Quid ergo est in *Clementis* testimonio? Omnia *Clemens* ait (in Epist. I. p. m. 52.) eo ordine agenda esse, quem prae-

praescripserit Dominus, et προσφορὰς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι oportere, quo ordine et quo tempore iusserit. Quae sunt istae προσφοραὶ καὶ λειτουργίαι? *Noli somniare*, inquit, *esse dona pauperum.* Nemo nostrum hoc somniat. Neque enim nos ita felices sumus, vt ea, quae velimus, somniemus. *Muratorii* et gregalium ista felicitas est. Optimum putamus, interpretem audire *Clementem* ipsum, qui paullo post, ἕκαστος ὑμῶν, inquit, ἀδελφοὶ, ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω θεῷ, ἐν ἀγαθῇ συνειδήσει ὑπάρχων, μὴ παρεκβαίνων τὸν ὡρισμένον τῆς λειτουργίας αὐτοῦ κανόνα cet. Ex quibus verbis clarum est, προσφορὰς καὶ λειτουργίας esse τὰς εὐχαριστίας, laudes Dei cum gratiarum actione, quas tropice προσφορὰς appellat, quia cum Iudaicorum sacerdotum munere comparat munus antistitum Christianorum, non sacrificia propria, cum et laicis λειτουργίαν, sed diuerso κανόνι, h. e. finibus diuersis, tribuat. Sed si maxime προσφοραὶ essent de S. Coena accipiendae, nihil profecto lucraretur *Muratorius*. Itaque lubentes volentesque largimur, in ceteris locis, quae proferuntur, in Canonibus iis, qui Apostolici dicuntur, et Conc. Nic. I. Can. 18. et Conc. Arelat. Can. 15. *oblationis* et *offerendi* verba dici de S. Coena. Etenim tota Eucharistia ab illa parte, quae ad oblationes panis et vini pertinebat, quae erat magna istius sacri in vetere Ecclesia, vt ex Liturgiis patet, pars, nomen accepit, vt a laudum diuinarum celebrandarum, et gratiarum agendarum solennitate Eucharistia dicta est. Neque vero est, quod tantopere irascatur *Luthero*, ob sublatam ex Eucharistia oblationem. Nam priscae illae et propriae προσφοραὶ, quae et προσκομιδαὶ vocantur, ab afferendo, hae ergo προσφοραὶ piorum dudum vsu abolitae erant: quae improprie et falso dicebatur oblatio ipsius Christi corporis et sanguinis, pro peccatis quotidianis viuorum, et praeteritis mortuorum, eam quomodo non tollendam putaret, quam aduersam sacris litteris, abhorrentem ab antiquitatis integrae vsu, et impietatis,

securitatis improbae, et licentiae peccandi matrem ac nutricem cognouerat?

Aequior nobis est in controuersia ea, quae pertinet ad genus linguae, quod in Liturgia adhibetur. Non improbat vernaculae vsum, nec rationes, quibus inducti maiores nostri eam in Liturgiam receperint: sed eum iudicii inopem iudicat, qui in consuetudinem Romanae Ecclesiae inuehatur, seruantis linguam veterem. In quo mirabilibus rationibus vtitur. Maiestatem, ait, conciliari sacris a latina lingua, in qua instituta fuerint. Praeclaram maiestatem, quae est sine sensu et intelligentia! Hac Deum delectari credibile est, qui solos animi motus ab bene intellectis rebus diuinis natos spectat? Immo nulla sacris maiestas est vera et Deo digna, nisi e diuinae maiestatis et beneficiorum diuinorum magnitudine intellecta et plane cognita, quaecumque aliis rebus sensibilibus mouetur, puerilis est, et a sanctitate Christianorum sacrorum abhorrens. Atque etiam falsum esse patet, in lingua latina instituta esse sacra Eucharistica: et si maiestas vera accedere potest Eucharistiae e linguae eius vsu, in qua instituta est, Syriaca vtendum erit, qua Christus vsus est, aut Graeca: in qua etiam Romae ab initio Eucharistiam agitatam esse, cum aliis rebus minime dubiis doceri potest, tum, quod Graece Christianis, qui Romae essent, non latine scripsit Paulus. At versionibus vernaculis vti, per indulgentiam Ecclesiae, possunt imperiti latinae linguae. Audio: sed quorsum istas ambages? quae et ipsae habent incommodi plurimum, praesertim apud plebem, quae comparare latina cum vernaculis nescit.

Bingamus instituerat facere in Origg. Eccl. XV. 3. 25. quod, vt supra diximus, pluribus fecerat ante *Blondellus*, vt ex ipso Missae Canone ostenderet, veteres a μεταμορφώσεως opinione alienos fuisse, et quidem e. c. ex eo, quod post consecrationem Deus rogatur, vt *dona oblata propitius accipiat, vt quondam munera Abelis, Abrahae, Melchi-*

Melchisedeci: vnde clarum est id, quod nos quoque ante docuimus, post consecrationis formulam tamen adhuc panem et vinum superesse, propterea, quod istae preces in sacrificium C. et S. C. nullo modo conueniant, cui nec *donorum* verbum, nec comparatio cum humanis sacrificiis apta sit: item *vt haec dona per manus S. Angeli perferantur in conspectum diuinae maiestatis:* cum Christus sedeat iam in coelis ad dextram Dei: denique quod *Deus dicitur per Christum omnia illa bona* (eadem autem sunt, quae ante *dona*) *semper creare*, *sanctificare*, *benedicere* cet. ex quo nos quoque supra demonstrauimus, consequens esse in μεταμορφώσεως opinione, vt corpus et sanguis Christi semper per Christum a Deo creetur. In his diluendis partim protrita dudum affert *Muratorius*, partim mirabiliter se implicat ipse. Dona et data primum ait, (p. 125.) esse victimam coelestem, corpus et sanguinem Christi, quod in iis sit incomparabile beneficium: mox dona (i. e. panem et vinum) in rem diuinam conuersa: ad extremum, vota et preces offerentium C. et S. C. p. 252. de quibus etiam intelligenda esse loca reliqua: non victimam corporis et sanguinis Christi cum sacrificiis Abelis, Abrahae, comparari, sed vota et preces Christianorum, cum precibus illorum; has perferri ab angelis in Aram coelestem: denique per *bona*, quae Deus per Christum creet, sanctificet cet. esse intelligenda beneficia Dei, vt fructus terrae aut panem et vinum, per quae Eucharistia conficiatur. Sola commemoratio rerum tam repugnantium, et pro libidine confictarum, refutationis vim habet: praesertim lectis iis, quae capite tertio disputata sunt. A principio totius Liturgiae dona sunt panis et vinum, et mox repente, quia ita lubet *Muratorio*, sicut e carne piscis, cum placet istis rerum arbitris, ex iis fit corpus et sanguis Christi, et cum aliter videtur, votum et supplicatio, et rursus vbi satis profuere, alimenta humana, quae ab initio fuerant. Nullus Vertumnus tam varias figuras sumit, quam huic verbo imponuntur. Non, si non

statutum esset, quauis ratione malam caussam defendere, nec plane perfricta esset frons, fateri necesse esset, haec dona post consecrationem esse eadem, quae ante toties *haec dona* dicta erant: haec ascendere ad Deum cum precibus et gratiarum actionibus, vt illius Centurionis *Cornelii* eleemosynae et preces ascenderant ad Deum, vt preces suas *Dauides* velut nidorem victimarum ascendere cupiebat: denique haec bona esse eadem illa dona a piis oblata, quae sunt prius bona Dei (Psalm. L. 10 sqq.) quam fiant dona fidelium, quibus Deus, quamquam ipsius ante fuerant, tamen delectatur. Haec sunt plana, haec vnicuique primum totam Liturgiam vno tenore legenti, et a praeiudicatis opinionibus integro, nec afferenti secum iam et certo, quid in verbis esse velit, sed verum sensum e natura verborum, et structura orationis indaganti, in mentem veniant necesse est.

Illa etiam bella ratio est, propter quam existimari posse negat, Ecclesiam optare, vt proprie Christi corpus de altari in coelum per angelos feratur. *Hoc sine miraculo, eoque perenni*, inquit, *fieri nequit*, *et quotidie cernuntur coelestia dona ex altari terreno non dimoueri.* Verissime. Sed quis ista dicit? Nempe is, qui nos non audit, cum negamus, panem et vinum in corpus et sanguinem Christi conuerti, sublata priori substantia, quod *id sine miraculo*, *eoque perenni fieri nequeat*, et *quotidie cernamus*, *panem*, *et vinum non tolli*, *sed permanere.* Hoc non iniquum, non impudens videatur? Par iniquitas est in eo, quod, vt vidimus statim, ipse verba Canonis tropice interpretatur, cum autem nos pariter oblationis, et sacrificii, et cetera similia verba tropice interpretanda dicimus, in eoque sequimur consuetudinem loquendi sacrorum librorum, et veterum Ecclesiae Doctorum, manibus pedibusque repugnat. Sed hoc est commune vitium omnium, qui nihil minus in docendo ac disputando spectant, quam constantiam, nec certis ac perpetuis rationibus reguntur, sed casu et temere feruntur, quo libido impellit. Itaque

quod

quod hodie rectum, verum, aptum, certum, perspicuum est, cum ipsorum opinionibus defendendis prodest; idem, cras, immo eadem die, altera statim hora, pravum, falsum, alienum, dubium et obscurum est, cum obest. Cuius generis multa exempla commemorare possem, si hic locus esset. Sed nobis cum *Muratorio* iam res est, a cuius doctrina celebrata talis inconstantia valde est aliena.

VI. *Supplicationes Coelitibus in Ecclesia Romana, et pro mortuis fieri solitas recte in Augustanae Professionis Formula repudiari, nec firmari antiquis Liturgiarum formulis.*

Quoniam Liturgiae Eucharisticae pars est commemoratio mortuorum, primum eorum, quos *Sanctos* vocant vulgo, deinde horum, qui *fideles*, famuli ac serui Dei, appellantur: hoc quoque sibi negotii sumsit in hac Disputatione *Muratorius*, vt et Liturgiam aduersus *Bingamum*, eiusque interpretationes et reprehensiones, et consuetudinem Ecclesiae Romanae vniuersam vel supplicandi Sanctis, vel precum faciendarum pro mortuis, aduersus Augustanae Confessionis placita explicando confirmandoque defenderet. Quem locum etsi molli articulo tractat, omni modo moderans rem, ne quid offensionis habeat: tamen ne sic quidem aliquid proficit, multisque nominibus nobis reprehendendus videtur. Sed quoniam in hac disputationis parte quaedam sunt, ad *Bingamum* proprie pertinentia in eo, quod Liturgiae rationem non satis accurate perspexisse videtur, ea, quoniam consilium nostrum non attingunt, nec disputatio nostra attingat.

Iam primum *Muratorius* negat, aut in Liturgiis pro omnibus mortuis preces fieri, aut veteres Ecclesiae Doctores fieri voluisse. Nam eos, qui sint coelo recepti, non indigere precibus nostris, cum summa felicitate fruantur. Itaque pro iis nunquam preces factas: sed eorum tantum cum laude et Dei et ipsorum fieri mentio-

 nem

nem in Liturgia, vt eorum exemplo incendatur pietas. Atque huc pertinent ea, quae p. 263. e latinarum Liturgiarum carminibus teſtimonia proferuntur. Itaque intelligendum eſſe, preces fieri tantum pro fidelibus vita functis, qui nondum in coelum atque in chorum coelitum ſint a Deo recepti. Pro his autem preces fieri ſolitas, et Liturgiarum omnium teſtimoniis, et S. S. Patrum antiquiſſimorum auctoritate firmari. Iam, quod ad ſupplicationes ſanctis fieri ſolitas attinet, eas negat pertinere eo, vt Dei maieſtati, aut Chriſti dignitati fiat iniuria. Nam nec ab ipſis beneficia peti, nec in iis ſpem beneficiorum impetrandorum collocari, quorum illud Deo proprium eſſe, hoc Chriſto: verum vt vtile ſit, vel de noſtra Lutheranorum confeſſione, commendare ſe precibus piorum, dum ſint in viuis, ita nihil impedire putat, quo minus nos precibus mortuorum, qui in coelo ſint, et apud Deum gratioſi, commendemus. Sed vtraque haec ratio, quamquam moderata et lenis, tamen maxima vitia habet: quae age breuiter aperiemus.

Ac illud quidem ei demus, quod ait, pro coelitibus ſupplicationes nunquam factas eſſe, quod etiam pugnare *Renaldotium* video, in notis ad Liturgiam *Neſtorii* p. 645. nixum ſatis diſerto *Auguſtini* teſtimonio: quamquam et Neſtoriana illa Liturgia, et aliorum loca, videntur aduerſari, propterea quod, ſi quid eiusmodi in Liturgiis reperitur, pariter eodemque modo explicari poteſt, quo ſupplicationes pro ceteris fidelium mortuorum intelligendas docebimus. In altero autem capite, de precibus pro fidelibus vita functis, vitium permagnum hoc eſt, quod non firmauit Liturgiarum et Patrum teſtimoniis id, quod maxime quaeritur. Etenim noſtri vbi cum Theologis Romanis de hoc genere precum diſputant, quaerunt de precibus iis, quae proſint mortuis hanc in partem, vt eos liberent a purgatorii ignis cruciatibus ac ſuppliciis, impetranda eorum peccatorum venia, quae in illa Vtopia luere dicuntur: has ſine auctoritate, immo vero contra

prae-

praecepta sacrarum literarum, et antiquioris et incorruptae Ecclesiae inuectas pugnant. Has igitur, tam fructuosas viuis, i. e. sacerdotibus et monasteriis preces debebat *Muratorius* diuinorum ecclesiasticorumque librorum auctoritate defendere, si gratiam ab suis inire, si contra nos aliquid efficere volebat. Sed bene fecit, quod ab ea re se abstinuit, quae nullam facultatem habet. Quamquam quid dico, abstinuit? immo verbis disertis illam rem se agere negauit, in principio disputationis. Mox prodidit satis mentem, et omissa purgatorii cruciatus mentione, defendit preces factas pro mortuis hactenus, vt iis prosint hanc in partem, vt ad felicitatem coelestem perueniant. Hoc vero est, quod nullo modo Liturgiis antiquis et SS. Patrum testimoniis firmari, clare ostendam.

In Liturgia Gregoriana haec sunt verba: *(qui nos praecesserunt et dormiunt in somno pacis) Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas, deprecamur.* Haec verba magnifice ostentat *Muratorius*, haec neminem non videre existimat, pro vita functis, nondum gloria coelesti donatis, duntaxat dici: comparatque locum *Tertulliani* notissimum et saepe in hac caussa iactatum, e libro de Monogamia (p. 682.) vt a *Millesio* ad *Cyrillum*, et aliis, itemque formulam precum pro mortuo in Constit. Apost. VIII. 41. vbi rogatur Deus, vt eum collocet in sinu Prophetarum et Apostolorum cet. Vellem addidisset, vbi eas animas piorum putaret esse, pro quibus fiant deprecationes. Sed quamquam non addidit; tamen quia Ecclesia Romana nullum alium locum intermedium inter coelum, sedem Dei Angelorumque, et Orcum agnoscit, nisi Purgatorium, ibi illas fidelium animas statuerit necesse est, pro quibus preces fiant. Quod falsissimum esse, et a TE, VENERANDE DEYLINGI, in praeclaris *Cyrilli* Vindiciis §. 25. 26. demonstratum est, et nos breuiter demonstrabimus.

Est

Eſt autem duplex ratio iſtorum locorum interpretandorum. Prima, quae maxime mihi arridet, et in locum Liturgiae propoſitum ſatis conuenit, haec eſt, vt iſta precantes fidelium felicitatem laetis ac piis ominibus proſequantur, Deumque rogent, vt eam ipſis augeat, et ſumma cum ſuauitate frui ſinat: quod nihil habet abſurdi. Atque ego ſaepe olim audiui, talibus ominibus ac precibus proſecutos ſacerdotes pie mortuos in iuſtis funerum. An quis dubitet, eos, qui, vt hoc vtar, in pace et otio viuant, tamen Deum rogare poſſe, vt ſibi pacem, otium, tranquillitatem indulgeat ac praeſtet? Si in praeſenti pace ita precamur, atque adeo, vt det pacem Deus, quis nos reprehendat, niſi quid rideri velit? Neque hoc alienum eſt a *Tertulliani* loco, ſi modo inſpiciatur recte. *Feminam*, ait, *pro anima mortui mariti orare*, *et refrigerium ei adpoſtulare*. Sed addit, quod non omittere in hoc loco commemorando debebat *Muratorius*, addit, inquam, *et in prima reſurrectione conſortium*, *et offert annuis diebus dormitionis eius*. Dico, qua ratione poſterius hoc intelligendum, *adpoſtulat marito in prima reſurrectione conſortium*, eadem et priora illa capienda eſſe de anima eius. Iam, nunquam putauere veteres, nemo Chriſtianus vnquam ſomniauit, precibus noſtris effici poſſe, vt aliquis particeps fiat primae reſurrectionis: contra credidere omnes, qui ſanctam vitam ad extremum egerint, eos, vi mortis Chriſti et promiſſionis diuinae, primae illius reſurrectionis participes fore. Quorſum ergo adpoſtulat mulier marito pie mortuo primae reſurrectionis conſortium? Nempe amoris teſtificandi cauſſa, vt mortuum beneuola memoria, et felicitatem eius piis ominibus proſequatur. Hoc quidem ita euidens eſt, vt profecto nihil commode contra dici poſſit. Itaque callide ſolent haec verba omittere, cum ſuperiora illa commemorant. Ex quo efficitur, vt etiam, cum *refrigerium animae* mortui *expoſtulat*, nihil aliud facere videatur, quam, quod ante dixi, hoc eſt, laetis et beneuolis ominibus

feli-

feliciſſimam eius inter coelites conditionem proſequatur. Nam verbum *refrigerii* ſi quis opponat nobis, idque recreationem a cruciatu aliquo arguere, dicat, quod foret contrarium interpretationi noſtrae, foedam verbi ignorantiam prodat. Ἀνάψυξις, quam *refrigerium* interpretantur Latini ex Act. Apoſt. III. 19. eſt, vt viri doctiſſimi demonſtrant, felicitas, atque, vt dies ἀναψύξεως eſt feliciſſimum tempus, ſic locus ἀναψύξεως ſedes beatiſſima. Atque etiam ſi verbum vel graecum, vel hebraicum (נחמה) vnde graecum expreſſum eſt, ad ſuperioris conditionis triſtitiam aut miſeriam referatur; tamen nulla alia, niſi ea, quae eſt in hac mortali vita, intelligi debet. Nam et παράκλησις, quae pariter de coelitum felicitate, ex eodem hebraico verbo dicitur, eſtque ἀναψύξει plane συνώνυμος, ad ſolam vitae humanae miſeriam refertur, vt e Lucae XVI. 25. patet.

Quod ſi tamen quis, verborum tenacior, putet eſſe aliquid amplius in iſtis verbis, vel Liturgiae, *locum indulgeas*, vel *Tertulliani*, *adpoſtulat refrigerium:* tamen nihil lucrabitur, neque aliud quicquam efficiet, niſi id, quod minime placere video *Renaldotio*, T. II. p. 104. ſed placet diuino *Eraſmo* ad c. XV. primae ad Corinthios epiſtolae Paullinae, vt ea verba pertinere dicamus ad opinionem, quam veteris Eccleſiae Doctores multos, inque his inprimis *Tertullianum* defendiſſe conſtat, e libro de Anima, Apologetico, contra Marcionem tertio et quarto, in primisque de reſurrectione carnis, cum dicerent, animas piorum non ſtatim a morte in coelum euolare, ſed venire in locum inferiorem coelo, non vt ibi purgentur a reliquiis peccatorum, vt volunt Romani, ſed qui ſit, vt ait in quarto c. Marc. (p. 560.) *temporale animarum fidelium receptaculum, in quo delineetur futuri* (h. e. coeleſtis felicitatis) *imago:* ſiue vt in tertio (p. 499.) *poſt decurſum vitae in ſinu Abrahae refrigerium.* Enimuero primum locus is, in quo futurae felicitatis eſt delineatio et adumbratio, quomodo poteſt aliquem cruciatum habere talem,

talem, qualem ignis purgatorius habet? Deinde ille *locus refrigerii* f. *refrigerium*, contingere putabatur ftati a morte, *poft decurfum vitae.* Vnde fit, vt etiam in hac fententia verborum, preces pro mortuis nullae aliae effe poffint ex iftorum mente, quam quas defcripfimus ante, bona omina potius vel congratulationes, quam preces, quas proprie dicimus. Nam in locum eum fidelibus aditum per preces parari, nemo ne fomniauit quidem. Atque has preces inuentas effe nullam aliam ob cauffam, quam, vt honore profequerentur memoriam mortuorum, eosque vel ipfos fibi caros fuiffe, vel virtutes eorum fibi amabiles, et imitatione dignas videri, teftarentur, vel ex eo patet, quod pro verbis, *vt animae famuli tui profit haec oblatio*, alibi eft, *vt illis* (fc. fanctis) *proficiat ad honorem.* Itaque *Auguftinus* bene *non praefidium falutis, fed humanitatis officium* in iftis precibus ponit: quamquam ille interdum fui oblitus, fcilicet in re nugatoria, vt rectiffime *Erafmus* vocat, et humani inuenti, durius loquitur. Sed ea loca ex his verbis, aliisque *Tertulliani* et *Cypriani* iudicanda, in quibus eas preces et oblationes εὐχαριστικὰς faciunt, non ἱλαστικάς. Nam quod difcrimen facit *Muratorius* precum pro *Sanctis* h. e. in coelum receptis, et *fidelibus*, quos Sanctos non putat, fcilicet, et purgatorii ignis cruciatibus addicit, vt illis profint ad honorem, his ad falutem, id etfi confentaneum eft difcrimini *Auguftini*, et aliorum quorundam Doctorum veteris Ecclefiae fomniis, qui Martyres non in locum refrigerii, fiue Paradifum, fed ftatim in coelum afcendere putabant, praecipui fcilicet honoris ac praemii aliquid, velut Agonothetae diuinitus conftituti, Martyribus tributuri: tamen ftultiffimum eft, quippe prorfus a facrorum librorum difciplina abhorret, et tamen nihil prodeft Purgatorio, fi mentem veterum fequimur, qui animas fidelium, non in coelefti quidem illa et fumma felicitate, fed felicitate tamen collocant. Atque haec de precibus pro mortuis.

Preces

Preces autem eae, quae fiunt mortuis, in choro Sanctorum apud Deum agentibus, etsi molliter explicantur ac defenduntur a *Muratorio*, vt supra dixi, tamen et ea ratio habet vitia maxima. Primum est, quod nulla nititur auctoritate diuina, sine qua nihil in sacris rectum est, aut probari potest. Nam quod *προσευχαὶ τῶν ἁγίων*, e Ioannea Apocalypsi, commemorantur, primum, vt supra diximus, libri sacri ignorant discrimen Sanctorum et Fidelium: deinde quod iis adsignatur coelum, non est, vt ego arbitror, qui in illo libro me nihil magnopere intelligere scio, non est, inquam, illud, quod proprie, et in sermone communi, vocamus, sed quod Prophetae dicunt, Ecclesia Christiana, regnum Christi inter homines; vt sancti illi Ioannei commode de viuis intelligi possint. Quanquam quis negauit, aut dubitauit, coelites supplicare Deo pro salute generis humani, pro Ecclesia, sanctis hominibus: immo id facere credimus, sed, vt sancti homines viui, atque adeo multo magis, sua sponte et non rogati. Itaque nec opus erat, hoc testimoniis sacrorum librorum firmare, nedum vti locis alienis: qualis est vel maxime alter e secunda *Petri* Epistola (I. 15.) vbi ne vestigium quidem precum talium. Curaturum se *Petrus* dicit, vt post mortem suam possint *τούτων μνήμην ποιεῖσθαι*, *harum rerum meminisse*, sicuti nunquam viuus neglexerit, eos *ὑπομιμνήσκειν περὶ τούτων*, *admonere earum rerum*, i. e. praeceptorum de studio pietatis et virtutum Christianarum omnium. Quid haec habent commune cum isto genere precum, de quo nobis est disputatio? Quid autem? Hoc non viderit *Muratorius*, etsi non *ἀκριβῶς* doctus graecas literas, attamen non adeo rudis, vt hoc videre non potuerit? praesertim postea quam huius loci auctoritas in hac quaestione dudum repudiata est a nostris. Immo nihil aliud in Theologorum Romanorum libris repererat, aut ei loco in ea re vsurpando e puerili disciplina adsuetus erat, cuius commendatione si quid ingeniis humanis persuasum est, haud facile vitium eius

agno-

agnoſcitur. Sed maximum vitium in ea re hoc eſt, quod non demonſtrat id, quod maxime poſtulatur, quomodo earum precum ſcientia ad coelites perueniat, vt iis commoti faciant libentius, quod etiam non rogati faciunt, vt pro nobis ſupplicent Deo: quod ſecus eſſe, cum viuorum precibus neceſſitates noſtras commendamus, in promtu eſt. Ita profecto res habet. Quamquam multa in ſingulis Diſputationis huius Liturgicae partibus falſa, aliena, interdum prorſus nugatoria, dixit, vt vidimus: tamen non ſuſtinuit hanc rem attingere, cum nec nugas Theologorum ſuorum commemorare auderet, vt opinor, nec aliud melius ipſe haberet.

Sed, quoniam conſilium *Muratorio* fuit, Liturgiarum antiquiorum teſtimoniis confirmare opinionum rituumque Romanae Eccleſiae antiquitatem, exſpectabam hic talia teſtimonia, quibus appareret, Sanctis ſupplicatum eſſe, vt Deum nobis ſuis precibus placarent. Enim vero ea plane nulla ſunt prolata, nec e Liturgiis antiquis et incorruptis, nec e SS. Patrum antiquiorum libris. Proferuntur ſane loca plurima Liturgiarum latinarum, p. 258. ſed iis nihil aliud conficitur, nec conficere velle videtur *Muratorius*, quam morem fuiſſe, laudare Deum Sanctorum et Martyrum cauſſa, eumque rogare, vt eorum precibus commotus bene faciat viuis. Sed repente, quaſi hoc iam clarum eſſet, (p. 259 med.) *confugium ad Sanctos coelo potitos* commemorat, idque a nobis improbari queritur. Quod quis non videt eſſe ſophiſtae, quam rem ſerio agenti et legitime demonſtranti ſimilius?

VII. *Pani conſecrato poſt Euchariſtiae ſolemnia male honorem haberi.*

Si pani conſecrato, inter ipſa conſecrationis ſolemnia, male honos προσκυνήσεως habetur, neque Liturgiarum ille antiquarum, et veteris Eccleſiae auctoritate firmatur: multo minus profecto probari poteſt ea ratio poſt Euchariſtiae

riſtiae ſolemnia. Itaque tota haec diſputatio, de honore Euchariſticarum reliquiarum et panis conſecrati extra Euchariſtiam, ſuperuacua et inutilis debet videri. Sed ne partem aliquam Diſputationis Muratorianae praetermiſiſſe, aut ei non occurrere potuiſſe videamur, patere, VENERANDE DEYLINGI, me eam quoque excutere, et quid in ea vanitatis ſit, paucis demonſtrare. Eſt autem haec diſputatio apud *Muratorium* duplex. Nam primum, C. XXIII. de adſeruatis reliquiis Euchariſtiae diſputat, deinde C. XXIV. de honore pani conſecrato poſt Euchariſticum ſacrum habito, eiusque proponendi locis ſacris et in ſupplicationibus ſolemnibus circumferendi conſuetudine.

Cum in vetere Eccleſia pii homines plurimum panis vinique afferrent in Euchariſtico ſacro, idque omne precibus et laudibus ſacerdotis conſecraretur: fieri non potuit, quin aliquae, interdum magnae, reliquiae fierent. Nam et hoc ſpectabatur ab iis, qui afferebant, vt eſſet aliquid reliquum, vnde abſentibus, pauperibus inprimis, mitti poſſet: eaque erat liberalitas quaedam, quam Deo gratam eſſe credebant, vt Liturgicae formulae planiſſime docent. Itaque nihil ab initio aliud factum reliquiis iſtis, quam vt mitterentur Chriſtianis iis, qui ſacro Euchariſtico adeſſe non potuiſſent. καὶ ἡ διάδοσις καὶ μετάληψις, inquit *Iuſtinus*, ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. Atque huic beneficentiae iungebatur alia pecuniaria eodem tempore, i. e. diebus Dominicis, qua viduae, pupilli, aegroti, aliique, aliqua neceſſitate preſſi, iuuarentur, eodem *Iuſtino* auctore. In ea re ſubinde aliquid mutatum eſt, ſed ita tamen, vt primis ſex ſeculis non diſcederetur a diſtributione reliquiarum, nec id negare ſuſtinet *Muratorius*. Sed labente diſciplina antiqua, paullatim alii mores inuecti ſunt; quam boni ac probabiles, diſputare nihil attinet. In quibus maxime tolerabilis fuit hic, vt reliquiae panis ſeruarentur in templis: quod arbitror factum reuerentia quadam, et opinione ſanctitatis alicuius, quae pani e con-

secratione adiuncta videretur. Sed eius adseruationis nullum aliud consilium fuit, nisi vt eius panis vsus esset, cum iterum Eucharisticum sacrum ageretur. Neque panis ille adseruatus est eo, quo nunc fit in Ecclesia Rom. modo; sed in loco eo, vbi cetera supellex sacrorum seruabatur; et inter illam supellectilem, *secretarium* vocant Ordines Romani. Id ipsum fatetur *Muratorius*, vsus loco *Humberti*, Sec. XI. scriptoris: de qua re post plura dicemus. Sed siue superstitio, quae istis reliquiis impie abuteretur, siue caussae quaecunque fecere, vt, quibusdam locis, reliquiae plane igni, aut alio quomodo abolerentur.

Hinc exoritur grauis et magna difficultas *Muratorio*, et omnibus *μεταμορφώσεως* defensoribus. Negant enim eius aduersarii, eos, qui panis consecrati reliquias, post solenne Eucharisticum, abolerent, credidisse, panem in corpus Christi fuisse per consecrationis carmen conuersum, sublata omni panis substantia. Ex hac difficultate se expedire dum conatur *Muratorius*, et parum subtilem et accuratum disputatorem se praestat, et multis se modis ipse impedit. Nam nec factum negare audet: quomodo enim neget, in tam claro *Hesychii* testimonio, atque etiam *Humberti*, testis sui? sed vel paucorum eum morem fuisse contendit, vel parum reuerentiae corpori Christi habentium: nec concludendi modum vitii arguit, vel conuincit: certe in eo ita fluctuat et errat, vt appareat facile, quantopere hic laborarit. Etenim primum (p. 137 sqq.) nihil aliud agit, nisi vt late de veritate corporis et sanguinis Christi in S. Coena disputet, proferendis locis SS. Patrum, qualia in superiore disputatione, qua hoc proprie agebatur, protulerat: quae sunt omnia ab hoc loco aliena, suntque argumenta quaerentis effugia, et certo loco, pede collato, dimicare detrectantis. Sane fatemur nos, hactenus falsam esse *Albertini*, *Bingami*, ceterorumque earum partium Theol. rationem, ex *Hesychii* verbis intelligi posse existimantium, veritatem corporis Christi in S. Coena creditam ab iis non esse, qui ea consuetudine

abolendarum Eucharisticarum reliquiarum vterentur. Etenim hoc modo intelligitur, quod nostri Theologi defendunt, idem veteres illos credidisse, corpus Christi tantum adesse, cum panem in ipso sacro sumimus atque edimus, et dum edimus, neque quicquam sententiae nostrae contrarium ex illo instituto intelligitur. Id secus est in ratione ea, quae panem prorsus abolet, et in substantiam corporis Christi consecrando conuertit. Ea si vera est, profecto infandae impietatis rei agendi sunt ii, qui igni aut alia vi aboleuere consecratum panem: eaque impietas ita conspicua est, ita in oculos incurrit, vt nullo modo latere veteres istos potuisset. Tandem (p. 279.) ad rem redit, postquam (p. 272. 273.) leuiter, velut per prolusionem, tetigerat, et conciliare institutum illud cum *μεταμορφώσει* tentat. Id quomodo ei successerit, age videamus.

Caussam ergo moris illius ait fuisse hanc, quod *sacrati panis species post aliquot dies mucorem et corruptionem contrahant, et aqua, tineis, muribus, alioue modo vitientur.* Quibus paria sunt, quae supra, (p. 272 extr.) dixerat, non ignorasse illius moris auctores, *species quidem Eucharisticas destrui, sed nihil inde offici incorruptibili Domini corpori.* Hem! quid audio? *Species*, i. e. ea, quae schola *accidentia* barbare vocat, in quibus nihil est substantiae, nulla materia: esset enim verus panis: haec igitur species inanis mucorem ducit, aquam bibit, tineis muribusque pabulum praebet? Philosophos esse mures illos necesse est, qui cibum tam metaphysicum expetant, et accidentibus sine materia pascantur atque alantur. Profecto si hoc non ridiculum est, nihil vnquam, quod ridiculum sit, nec vidi, nec audiui. Immo vero, o! bone *Muratori*, si post sacrum, in capsula, aut quocunque receptaculo, esset verum corpus Christi, non contraheretur vitium tale, quod non esse nisi in concreta materia potest: quod illud vitium contrahi potest, euidens est, tum non adesse Corpus Christi. Quomodo porro credi potest, ignem destruere species, quae materiam non habent? cum eius vis de-

ftruendi fit in diffoluendis concretae fubftantiae partibus? Sed vehementer in tota ifta ratione fallitur *Muratorius*. Nam primum reliquias illas aut in puteum coniecere ftatim, ante quam iftius vitii periculum effet. Deinde poterant, vt alii fecere, in proximo Euchariftiae facro vti: atque ita feciffent haut dubie, fi in iis effe etiam poft facrum crederent verum Chrifti corpus. Profecto ita eft, vt ante dixi: fuperftitiofa aliqua opinione decepti putabant, non decere, panem eum, qui rei facrae deftinatus per εὐχαριστίαν fuiffet, profanis vfibus feruire, et vt cibum vulgarem abfumi: aut, quod fupra innueram, timebant fuperftitionem hominum, quae illo pane improbe abuti coeperat, vt factum conftat a *Gregorii Nazianzeni* forore, quae eo vfu erat, vt morbum depelleret. Itaque etiam in pane tantum iftud vfurpatum, vt aboleretur, non in vino, quod talibus fuperftitionibus non ita aptum erat, et ftatim bibendo abfumebatur.

Sed vide mihi aliam non minus bellam rationem. Veteres, ait, ex illo ipfo vitio, quod contraxiffet panis, collegiffe, *corpus Chrifti a pane illo receffiffe*: atque ob hanc cauffam fibi religioni non duxiffe, abolere eum. Hic quam multis modis fe implicat. Primum ita confingitur prorfus noua μεταμόρφωσις. Nam fi Chrifti corpus receffit, profecto aut illa fpecies inanis vna euanefcere debuit, quod nulla fubiecta effet materies, cui ineffet, aut panis materia debuit rurfus redire, et illam fpeciem deftitutam a corpore fuftinere: quod fine vi diuina fieri potuit. Huius autem rei, fine omni idonea cauffa et auctoritate, confingendae quod ius eft? Omnia commentis explebimus, fi talium confingendorum licentia concedatur. Sed ante, in priori ratione, dixerat, abolitas effe igni reliquias, quod *poffent* vitium contrahere: quod committere, fcilicet, parum decorum videbatur: nunc propterea id factum, ait, quod ex illo vitio intelligerent, corpus Chrifti receffiffe. Quae funt prorfus repugnantia. Nam fi hoc eft, exfpectare femper debuere, dum putrefactio appareret. Enim vero, ita non potuit caueri, ne putrefieret. Atque hoc etiam cadit tantum

tulit in eam rationem, cum vitium concipit panis a situ et humore. Quid? mures et tineae etiam tum demum impetum faciunt, cum discessum illum et seiunctionem factam intelligunt? Profecto tota res est falsa et nugatoria.

Atque etiam in eo parum eleganter disputat *Muratorius*, quod docere instituit testimoniis antiquorum scriptorum, panem consecratum in multis Ecclesiis adseruatum post Eucharistiam esse. Nam id nec *Albertinus* aut *Bingamus*, nec quisquam negauit. Immo posteaquam recessum est ab antiquissima illa primae et incorruptae Ecclesiae consuetudine distribuendarum comedendarumque reliquiarum, adseruari coepere; idque concedimus factum esse in plerisque Ecclesiis, ob reuerentiam quandam, superstitiosam illam quidem, sed tolerabilem tamen, consecrati panis, vt nunc etiam fit apud nos, cum aliquid superest e pastillis, nec numerus accurate initus est. An post sacrum, et extra vsum, adesse creditum sit corpus Domini, id quaeritur: id illa demonstratione non conficitur: immo id credidere nullo modo, qui istas reliquias vel igni absumerent, vel in puteos abiicerent, atque ita vsibus humanis subtraherent.

Sed tamen illas ipsas panis εὐχαριστηθέντος reliquias *viuificum corpus* appellauit, quis? Antiqua et incorrupta Ecclesia, et priorum seculorum aliquis doctor magnae auctoritatis? Non. Quis ergo? Obscurus aliquis et ignobilis seculi VI, si tamen, auctor, qui inducit feminam dicentem Abbati: *Accipe mihi sacrum vas viuifici corporis et sanguinis Christi, tantis mysteriis dignum* p. 273. Hoc ergo auctore credemus, veterem Ecclesiam omnem semper statuisse de reliquiis Eucharisticis ita, vt Romanis placet? Nullo modo. Nam nec necessitas vlla nos cogit hoc concedere, vt illa verba in hanc sententiam accipi debeant, in quam vult *Muratorius*. Panis ille, vt *Chrysostomus* ait, per consecrationem liberatus nomine panis, non modo corpus Christi appellatus est, cum sumeretur, sed etiam eius nominis honorem in vulgari consuetudine

loquendi retinuit post sacra solemnia. At reuerentiae plurimum habitum est istis reliquiis in vetere ecclesia. De hoc iam, quale sit, et quid id prosit Ecclesiae Romanae, videamus.

In hac autem altera disputationis parte (C. XXIV.) maxime res est *Muratorio* cum *Lutheri* sectatoribus, qui extra vsum negant esse cum pane coniunctum corpus Christi. Sed in hoc non magis, quam in superiori, nobis satisfecit. Ac prima quidem totius istius capitis pars est plane aliena, nec vllius vtilitatis in caussa proposita. Nam reliquias Eucharisticas alio missas, quod clarum esse ait multis SS. Patrum testimoniis, scimus ipsi: sed vt supra diximus, ea res pertinuit ad vsum, vt comederentur, et ita vel benefieret pauperibus, vel beneuolentia, et communio cum iis et coniunctio vtcunque indicaretur. Hoc igitur vt doceret, non desideramus: hoc autem demonstrandum erat, eos, ad quos missae essent, accepisse, vt verum corpus Christi, et adorasse eas: quorum nihil factum videmus.

Iam quod reliquiae, quamquam primis seculis factum non est, illatae in Pastophorium, vt vocat auctor Constitutionum Apost. VIII, 13. aut *Secretarium*, (Ord. Rom. I, p. 8. II, p. 23.) siue quo alio nomine appellatus iste locus fuit, siue in ipso altari repositae et adseruatae sunt, id ipsum quoque nil *Muratorii* caussae prodest. Nam totum hoc pertinet, non ad eam consecrati panis post Eucharisticum sacrum venerationem, quam hodie vsurpat Ecclesia Romana, sed ad reuerentiam eam, quam supra descripsimus, et ad vsum in proximo Eucharistico sacro. Id clarum est e loco *Humberti* supra commemorato a *Muratorio*: *Si quid e sancta et venerabili Eucharistia superfuerit - - in pyxidem mundam recondunt*, et *sequenti die communicant ex ea populum.* Cui nos addemus alium ex Ordine Rom. II, n. 35. p. 23. vbi describitur praeparatio Eucharistiae in Missa Pontificali: *Presbyteri duo - - intrant Secretarium vel vbi positum fuerat corpus Domini, quod*

quod pridie remansit, ponentes eum in patena: et subdiaconus tenet ante ipsos calicem cum vino non consecrato, et alter subdiaconus patenam cum corpore Domini cet. Hic locus planissime docet, corpus Domini esse nil aliud, quam panem consecratum: deinde non propositas fuisse istas reliquias, vt spectarentur, adorarentur, sed in sacrario conditas in pyxide (Ordo I. p. 8. vocat *capsam*, *conditorium*) denique cum eximerentur e pyxide, non adoratas esse, nisi quod Pontifex accedens missae celebrandae caussa, caput inclinauit: in quo nullam adorationem intelligendam esse, supra docuimus. Reliqua omnia sunt superstitione inutili contaminata, quae, vbi semel adseruatio reliquiarum inualuit, mox in Ecclesiam irrepsit.

At *Cyrillus* Alexandrinus (Epist. ad Colosyrium adu. Anthropomorph.) reprehendit eos, *qui dicere audeant, Eucharistiam nullam sanctitatem accipientibus conferre posse, si de altero in alterum diem seruetur.* Audio. At id non habet hanc sententiam, vt seruatus panis interea, dum seruaretur, corpus ipsum verum Christi manserit, aut omnino fuerit: sed vt ille panis, etiamsi non iterum consecraretur solenni ritu, tamen in altero Eucharistico sacro, vbi ederetur, corpus Christi adiunctum haberet. Nam profecto panem illum, ab consecratione adseruatum, non iterum consecratum esse, etiam superior ille Ordinis Romani locus videtur indicare. Atque per illum ipsum morem nobis videtur sparsum esse aliquod semen opinionis de *μεταμορφώσει* Eucharistica, et venerationis superstitiosae, vnde paullatim ipsa adoratio religiosa nata est. Neque enim vbi incipit superstitio, ibi desinit. In principio fere est inconsulta pietas, paullatim fit foeda impietas: praesertim vbi huic nascenti lolio fotus et alimenta accedunt a disputationum calore, a pertinacia, superbia, aliisque talibus vitiis, itemque ab ignorantia barbarieque: vt factum est in hac ipsa re, de qua agimus. Nam *Muratorius* ipse docet, post Berengarianam controuersiam, nihil antiquius fuisse Ecclesiis (h. e. Clericis) quam reue-

rentiam erga augustum hoc Sacramentum quotidie et quouis modo augere: hinc natum Festum corporis Christi, propositionem panis sacrati in altaribus, circumgestationes, et similia: in quibus quoniam confitentem habemus *Muratorium*, nulla res disputatione indiget. In his tamen nullam mentionem facit adorationis, quae fit, cum consecratus pastillus, inclusus capsae, gestatur per publicum, et ad quemuis eius conspectum homines procumbunt. Sed eam rem fortasse putauit confectam supra, quo capite de Adoratione consecrati panis actum est. Quamquam quae ibi dicta sunt, facile huc accommodari possunt: hic caussam suam deteriorem fecit *Muratorius*. Nam cum superiori capite (XXIII.) innuerit, recedere corpus Christi a panis specie posse: profecto incertos ac dubios reddidisse videri potest gregales suos: qui definire non audebunt, quando illa discessio fiat, atque ita in periculo erunt, ne subinde meras species, siue panem reducem adorent. Sed cum tota illa res sit nugatoria, vix attinet, de ea aliquid addere. Et quamquam adhuc restant quaedam passim etiam in his capitibus sparsa, in quibus aliquid dici contra possit: tamen, quia non coniuncta sunt magnopere cum caussa ea, quam disceptamus, ea praetermittere lubet. Atque etiam et ipse satietate iam defessus sum refellendi ea, quae tam nulla cum specie dicuntur, et TV, VIR VENERANDE, legendi. Itaque hic finem faciam scribendi, nunquam autem TVI colendi, TVAEque doctrinae, virtutisque admirandae. Quod si quid in hoc libello a me scriptum inueneris, quod TVO in hoc genere acutissimo iudicio probetur, tum vero me operae pretium fecisse, et magnum inprimisque suauem huius mei laboris fructum cepisse arbitrabor.

BREVIS

BREVIS

REPETITIO ET ADSERTIO SENTENTIAE LVTHERANAE DE PRAESENTIA CORPORIS ET SANGVINIS IESV CHRISTI IN COENA SACRA

DE PRAESENTIA CORPORIS ET SANGVINIS I. C. IN COENA SACRA

PRAEFATIO.

Superuacuum laborem fufcepiffe videamur, et fortaffe plus periculi in publicum, quam vtilitatis habiturum, cum dogma Ecclefiae noftrae de praefentia corporis et fanguinis I. C. in Coena facra explicare et vindicare inftituimus. Nam quaeftio eft ea, quae multis multorum literis explicata, et acerrimis faepe controuerfiis agitata, vix aliquid nouae lucis accipere poffe videatur: tempora autem noftra funt eiusmodi, vt, in difputatione illa et controuerfia reuocanda, cauffae noftrae valde metuendum videatur: quippe homines etiam noftri ita inclinauere ad licentiam de myfteriis religionis Chriftianae iudicandi, eademque fuis interpretationibus aptiora faciendi ingenio humano, et prope penitus tollendi, vt verendum fit, ne, fi controuerfia haec rurfus agitari vehementius coeperit, plures difcedant in partem eam, quae rationi humanae expeditior eft et mollior, quam quae Scripturae Sacrae auctoritatem feuerius defendit. Enimuero cauffas inftituti noftri habuimus, ita et ab vanitate alienas, et ab ftudio controuerfiae ferendae, vt eas nos cuiuis, non nimis iniquo iudici, facile probaturos confideremus.

Ac primum nos et e fcriptis multorum noftrae aetatis, et fermonibus, ipfa denique fama, accepimus, praefentiam corporis et fanguinis Iefu Chrifti in Coena facra

ita

ita coeptam esse explicari, vt re, et vi vera praesentiae sublata, merum nomen relinqueretur, eamque rationem ita serpere et propagari per disciplinam doctorum, vt verendum sit, ne paullo post miretur Ecclesia nostra, se prope totam Zwinglianam factam esse. In quo etiam aliud maius periculum proponitur doctrinae sacrae veritati, vt posthaec demonstrabimus. Ei igitur malo occurrere, quantum in nobis esset, voluimus, partim cauendo iis, qui vel nondum imbuti essent tali opinione, et adhuc abessent ab erroris pertinacia, partim admonendo hos, qui bona fide errorem talem tenerent, putantque se cum *Luthero* in hac caussa sentire, cum re vera ab eo longe discesserint. Quod nos sperauimus perfecturos esse, si sententiam veram Ecclesiae nostrae cum suis rationibus breuiter repeteremus, et nouis rei explicandae modis refellendis, firmaremus.

Nec vero illud nos parum ad hoc scribendi consilium impulit, quod non modo in parte ea, quae veritatem praesentiae, vel praesentis in Coena sacra corporis et sanguinis I. C. palam oppugnat, repereramus subinde, qui vel sententiam nostram labefactare conarentur rationibus iis, quae speciem habere possent apud parum peritos rerum, vel totam rem nullius momenti esse ad summam religionis defenderent, atque ita negligentiam caussae vniuersae inducere tentarent; sed etiam inter nostros extiterant, qui vel palam a nobis dissentiendo, vel suspiciones serendo, labefactarent animos multorum, aut saltem in graues et molestas dubitationes coniicerent. Enim vero, vt, in certa pace arma mouere, vel superuacuum vel iniquum est; cum alii mouere, studium securitatis tuendae et honestum et necessarium videri debet: ita nobis quoque licere, et honestum videri debet, in illo aliorum conatu, subinde circumspicere munimenta caussae nostrae, ea conseruare, firmare, augere, et aduersus vel vim vel insidias defendere.

Sed

Sed cum caussam ac defensionem doctrinae publicae, omninoque veritatis, cum ceteris Ecclesiae doctoribus, tam multis tamque praeclaris, communiter sustineamus, non proprie hanc veluti prouinciam attributam habeamus; eam hoc tempore, et in hac parte, suscipere non venisset in animum nobis, qui praesertim aliis sat multis et magnis oneribus premebamur laborum vel publicorum vel priuatorum, nisi eam nobis imposuisset multorum bonorum voluntas, etiam ignotorum, qui sibi scrupulos iniectos faterentur cum aliunde, tum ab Heumanniana professione et indemonstrabili demonstratione, quos sibi, etiam nostra opera, eximi cupere, tota hac caussa a nobis explicanda, et eo, quo instituimus, modo, disceptanda. Cupiebamus etiam fidem a nobis datam (in *Bibl. Theol. T. V. p.* 157.) Viris bonis exsoluere, qui per talem aliquam occasionem sibi satisfieri voluissent. Omnino semper hoc factum est salubri instituto maiorum, vt magna illa capita doctrinae, per tales Exercitationes interdum repeterentur, inculcarentur, noua luce, si fieri posset, perfunderentur: idque institutum etiam nunc publica lege sancitum in Academiis nonnullis durat.

Illud autem in principio rogamus lectores nostros, vt nobis, praesertim in parte ea, quae habitura est demonstrationem dogmatis ipsius e Scripturis, liceat nostro delectu et modo vti in argumentis vel vsurpandis vel tractandis: quam libertatem et aequam et iustam esse, et semper vsurpatam ab doctoribus Ecclesiae praestantissimis, nuper a nobis est demonstratum, cum de libertate doctoris, praesertim in caussis ad religionem pertinentibus, differebamus. Atque nos ea libertate vtemur, vt semper, hoc est, modeste et sine reprehensione aut insectatione aliorum, quibus et ipsis suam in tali genere libertatem concedimus. Satis est veritatem bene defendi: nec eius defendendae vbique vna rata forma est aut esse debet. Neque vero nobis consilium fuit, congerere omnia, quae dogmatis huius confirmandi caussa ab aliis allata sunt,

sunt, sed vt nos, pro ingenii nostri modo, putemus posse facillime et planissime defendi, ostendere. Itaque sua quisque argumenta, quibus in docendo solet vti, nobis non inuitis, salua poterit et idonea existimare. Atque haec nobis de consilio nostro institutoque dicta sunt. Ad rem ipsam veniamus.

TRACTATIO.

I. Primum igitur defendimus, ipsum corpus Christi et sanguinem adesse sumentibus, et sumi vescendo et bibendo, non modo cogitatione ac fide, eamque appellamus praesentiam vtriusque veram, et quae proprie dicitur, hoc est, substantiae, quam *non* cogitatio credentis efficit; nam ea est perpetua et in potestate credentis, nec opus habet sacramento aut actione edendi ac bibendi; *nec* actio modo Christi spiritualis et salutaris in mente fideliter sumentis symbola; nam et haec perpetua est in fidelibus per verbum Euangelii ad fidem alendam, et per eam tranquillandum exhilarandumque animum pium: sed quae contingit per benignam voluntatem Christi, promissione eius diserta declaratam, sine qua eius spes esse non posset, et per quam Sacramentum est constitutum. Talem ergo praesentiam, siue hoc genus praesentiae defendi Ecclesiae nostrae doctrina publica, partim diserta Confessionum nostrarum verba testantur, vt *Apologiae A. C. art.* 10. quod in Coena sacra *vere* et *substantialiter* adsint corpus et sanguis Christi, et vere *exhibeantur cum* illis rebus, quae videntur, *pane et vino:* conf. *Form. Concord. art.* 7. vbi diserte *substantialis praesentia* commemoratur: partim aduersae partis professio, quae se, ait, praesentiam, quae contingat per fidem in animo, sitque operantis in animo Christi, concedere, substantiae nullo modo. Quamquam in hoc quoque sunt faciles nonnulli, voluntque substantiae praesentiam agnoscere videri, sed quae sit in efficientia corporis et sanguinis Christi,

Christi, non autem in ἀδιαστασίᾳ, quam solam proprie praesentiam appellari, alteram autem, quae efficientiae est, figurate, liquidum est. Sed de hoc post haec diligentius dicendi locus dabitur.

2. Iam huius talis praesentiae, ipsiusque adeo corporis et sanguinis Christi, in Coena sacra, promisso ipsius propositae, veritas et proprietas, quomodo intelligatur ac demonstretur, videamus. In eo autem, cum dubium esse non debeat, quin primum locum teneant verba instituentis Coenam sacram Christi ipsa; ab iis initium faciunt omnes, qui hanc demonstrationem recte suscipiunt: quorum nos rationem nostro modo sequemur. Nam qui verborum Christi ipsorum nullam in hac demonstratione rationem habendam dicunt, non minus perite faciunt, quam qui legis alicuius, edicti, decreti, testamenti, pacti, sensum non ex ipsius verbis petendum dicant, si quis super iis dubitationem mouerit cupiditate aliqua vel prauitate commotus. Qui autem iis loca alia adiungenda esse defendunt, nihil aliud, si recte sentiunt, dicant necesse est, quam verborum Christi interpretationem fieri comparandis aliis locis Scripturarum, per quae verborum potestas intelligi possit, et firmari iis, quibus intelligatur, Apostolos ipsos verba Christi non aliter intellexisse: quod est commune totius interpretationis biblicae. Est autem genus argumenti duplex, alterum generale, quod ab indole vniuersa orationis ducitur, alterum a verbis ipsis et contextu verborum.

3. Et in illo quidem maxime in promtu solet esse hoc, verba ea, quia testamenti sint, proprie intelligi debere ac sine figura, vt sint clara, nec ambiguitate sua et obscuritate fallant audientes. Id etsi recte intellectum, non est inane; tamen parum valuisse, aut elusum esse exceptionibus aduersariorum, non est mirandum. Nam et tropica oratio potest esse clara et perspicua, estque non minus vsitata vulgo, quam propria, denique ea non abstinuit, etiam imperitam plebeculam docens, Iesus Christus.

Sed,

Sed, vt opinamur, mens maiorum nostrorum fuit haec, quam alibi explicauimus, vt negarent, tropis et figuris, praesertim durioribus et inusitatis, vti solere, qui hoc agant, vt facile et sine ambiguitate pateat, quid sentiant; in quo genere sunt non modo testatores, sed et legislatores, iudices, item vel maxime doctores, cum agunt hoc, vt doceant, vt explicent aliquid, non modo obiter et per occasionem aliquam, et velut aliud agendo, attingant; maximeque, cum aliquid primum tradunt, idque graue et magnum, et quod bene intelligi ab omnibus velint, aut posthaec non sint rursus tradituri. Nam haec sunt consentanea sensui communi et vsui, nec vocari in dubium possunt ab aduersariis, immo vltro conceduntur, et in interpretando subinde adhibentur, velut *Bocharto*, *Placaeo*, *Perizonio*, quos in *Interpr. Nov. Test.* commemorauimus *p.* 57. et aliis. Enimuero ista omnia conuenire in verba Coenam sacram instituentis Christi, in promtu est, nec habere dubitationem potest. Etenim oratio Christi habet praeceptionem et explicationem instituti noui, eiusque magni, quod volebat et bene intelligi et teneri; eaque tum vtebatur primum, nec erat postea vsurus, instante morte et discessu e terra.

4. Ac nos non ignoramus, in ea re locum esse posse exceptioni huic, *extra quam si* figura ante cognita vsu sit, vt obscuritati aut ambiguitati locum non faciat. Neque nos sumus ii, qui eius aequitatem non agnoscamus. Enimuero, quae sit huius exceptionis in hac caussa vis, non intelligimus. Nam si quis dicat, et sic dici scimus, notam fuisse discipulis Christi hanc figuram VI, 51. 53 e sermone Christi, a Ioanne litteris tradito, in quo *edere carnem Christi et bibere sanguinem eius*, figurate dictum esse, nemo ambigat, itaque potuisse in hac oratione et in docendo adhiberi figuram hanc, et ex illo ipso sermone a discipulis intellectam esse; eum multis modis falli dicamus, nec quid sit id, de quo in hac caussa quaeratur, satis tenere. Etenim non dubitatur, an

an edere carnem et bibere ſanguinem Chriſti per figuram dici poſſit de iis, qui per fidem ampleɛtuntur Euangelicam doɛtrinam, et morti eius pro peccatis hominum acquieſcunt: ſed quaeritur hoc, an ea verba ita intelligi poſſint ac debeant, primum tum, cum panis veſcendus, corpus Chriſti, et vinum bibendum, ſanguis eius dicatur, et veſci et bibere iubeantur, quia panis ille ſit corpus Chriſti, vinum autem bibere, quia ſit ſanguis Chriſti, vt eſt in ipſis Chriſti verbis: quod ſecus eſt in illa Chriſti apud Ioannem oratione, et cauſſa, cum neque panis edebatur, neque vinum bibebatur. Nec porro quaeritur, an ita haec intelligi poſſint in oratione, quae manifeſte tota ſit figurata, nitaturque praecedente commemoratione cibi naturalis, quo melior cibus, isque ſpiritualis commendetur, vt eſt apud Ioannem: ſed an tum, cum nihil tale praeceſſerit, vnde intelligi poſſit, figurate haec dici, quod negamus. Atque hic ille ipſe eſt ſcrupulus, qui vrebat *Zwinglium*, cum ei eſſet a Scriba Ciuitatis inieɛtus; qui non requirebat exemplum Scripturarum, in quo verbum *eſſe* ſignificandi vim haberet: quis ita imperitus ſit vel Scripturarum vel omnino ſermonis humani, vt de eo dubitare poſſit, atque eius rationis exemplum petere? quamquam in talibus vis ſignificandi non eſt in verbo *eſſe*, quod nullam niſi coniungendi praedicati cum ſubieɛto vim habet, ſed in ipſo praedicato: immo hoc quaerebatur, an vſpiam in Scripturis ſic diceretur abſolute, h. e. extra parabolam et allegoriam, aut cum nulla allegoria vel ſimile quid praeceſſiſſet, in cuius explicatione, quod figurate diɛtum erat, accipit interpretationem, quae cum verbo figurato per verbum *eſt* copulatur. Atque ex hac dubitatione ſe tum expedire *Zwinglius* non poterat, vt ipſe narrat in *Subſidio Euchariſtiae*, et inde *Chemnitius* noſter in *Annotat. hiſt.* ad calcem *Fundam. S. Coenae* §. 144. nec ſe poſt inde potuit explicare; quippe exemplum, quod ea cauſſa attulit, pariter eſt ex interpretatione cerimoniae paſchalis, h. e. rei figuratae: quo genere nihil proficitur.

Atque, vt id hoc loco addamus, ex eodem genere sunt omnia, quae ab aliis post eum allata sunt; in quibus maxime solet vsurpari illud Paulli, 1 *Cor.* 10, 4. ἡ δὲ πέτρα ἦν Χριστός, *illa autem rupes erat Christus.* Nam ibi est applicatio narrationis, exempli caussa propositae, ad rem praesentem. Enimuero, quis non videt, illam orationem instituentis Coenam sacram Christi nihil praecessisse huiusmodi, ex quo pateat, figuratum sermonem haberi, aut esse interpretationem alicuius figurati verbi, sed, quid sit id, quod tradatur, doceri.

5. Ac ne quis dicat, cibi paschalis sumtionem praecessisse, a quo transitus factus sit, vt in illo Ioanneo sermone, ad figuratam orationem, quae agni melioris carnem et sanguinem sumi iuberet, vt in illo, per fidem: primum clarum est, non primi velut actus conuiualis, h. e. sumti paschalis agni, continuationem esse in institutione Coenae S., in qua commemoratio fiat alius et melioris agni, sed nouum actum, cuius pars altera etiam post coenam suscepta sit: deinde, si nihil aliud agebatur, quid opus erat, panem et vinum dare, quo sine illa interpretatio et de meliori agno per fidem vescendo oratio fieri poterat, vt illa apud Ioannem de meliori pane. In ipsis potius agni carnibus distribuendis dixisset: haec est caro mea. Sed haec vniuerse de proprietate verborum Christi dicta sunto. Ad argumenta alia veri corporis et sanguinis Christi, praesentiaeque propriae, veniamus.

6. Quorum primum genus est, quod ex ipsis verbis I. C. eorumque contextu sumitur. Ac nescimus, an magnum argumentum sit in ipsa fluctuatione eorum, qui verba, hoc est corpus meum, tropice interpretantur: aliis tropum in subiecto, aliis in copula, aliis denique in praedicato quaerentibus: praeiudicium certe non leue facit pro caussa nostra, quae ab illa inconstantia longe abest. Proprie autem arguit et indicat proprietatem verborum et praesentis corporis et sanguinis I. C. quod ea

ea negata, et figura admissa ea, quam defendunt aduersarii, frigida existit et parum digna Christo tautologia. Quid enim efficitur illis verbis, si tropice accipiuntur, nisi, in pane et vino esse figuram et cogitationem Christi necati, cum fide et grato animo vsurpandam: et sic intelligi volunt. Enimuero id est pariter in clausula orationis. Neque enim ἀνάμνησις illa est alia, quam cogitatio memor Christi necati, cum fide et grata mente recolenda. Quippe sic dici ἀνάμνησιν in Scripturis, talibus in rebus, clarum est, non de simplici commemoratione, sed quae coniuncta sit cum aliquo religioso motu et actu animi et reminiscentia. Ἀνάμνησις quidem ἁμαρτιῶν, *memoria* vel *commemoratio* peccatorum in sacrificio, *Ebr.* 10, 3. haud dubie est, quae coniuncta sit cum dolore et deprecatione fidelium, qualem ipse *Philo de Victimis* agnoscit. Et eam ἀνάμνησιν ac memoriam proprie sic referri ad mortem Christi, plane docet Paullus ex illis ipsis verbis et praecepto Christi 1 *Cor.* 11, 26. demonstrans, mortem Christi pro nobis pie et religiose cogitandam esse; quam esse vim verbi καταγγέλλειν et similium in Scripturis, per hebraismum, cum de religiosis actibus dicitur, ex 1 *Petr.* 2, 9. clarum est, vbi ἐξαγγέλλειν τὰς ἀρετὰς τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς, *commemorare* virtutes eius, qui nos traduxerit ad salutis veram cognitionem, iubemur, i. e. grata memoria et praedicatione prosequi. Nec vero illa clausula habet explicationem verborum, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus; quod est inuentum Bataui, iuuare volentis *Zwinglium*, cum se expedire non posset ex ea, quam diximus, difficultate, saepe post frustra iactatam ab Reformatis in illa disputatione (*v. Arnaud Perpetuité de la Foi T. II. p.* 120.) incognitum vniuersae antiquitati. Nam forma orationis ipsa, et explicatio Paulli 1 *Cor.* 11, 26. docent, in iis esse praeceptum de modo illius Sacramenti rite vsurpandi, non explicationem verborum superiorum.

7. Nec hoc contemnendum argumentum videtur, quod Christus, iubens omnes bibere, hanc caussam addit, quod vinum porrectum sit sanguis suus. Τῦτο γάρ ἐςι τὸ αἷμά μυ: *nam hic est sanguis meus.* Neque enim id alio pertinere potest, quam, ne quis detrectet bibere, per caussam satietatis, vt fit. Enim vero, si nihil aliud in sanguine Christi intelligendum erat, quam figura sanguinis per mortem fundendi, et cogitatio imminentis mortis, non tollebatur excusatio praetermittendi calicis: quippe ea cogitatio et ante oblata erat sermonibus Christi, et poterat sine potu vini vsurpari: vnde aliud firmamentum caussae nostrae exoritur, de quo post dicemus.

8. Qui negant proprietatem verborum Christi et veritatem corporis et sanguinis in Coena sacra, solent hoc, vt inprimis speciosum argumentum, vsurpare, vt dicant, si res ita sit, vt nos velimus, a discipulis Christi verba intelligi non potuisse. Vnde enim intellexisse, cum in omnibus sermonibus Christi nihil simile occurrat? Nec aut a Christo de ea re monitos, esse ad intelligendum praeparatos, aut ipsos admiratos esse rem talem, et interrogasse quicquam. Sed tropicam rationem iis notam fuisse e sermone, quem saepe commemorauimus. Fatemur, Christum vsum esse phrasi, cuius verus sensus discipulis notus esset, quia tradebat rem nouam, nec ipse explicabat verborum sensum, nec discipuli de eo interrogabant, quod solebant facere, cum haererent. Si autem constitit iis de sensu verborum, vt primum ea audiuerant, eum tenuerunt vel e superiori aliquo sermone Christi, vel e libris Testamenti veteris, quorum sermo iis erat vsu frequenti et certo cognitus. Atqui illo modo non cognouerant. Nam sermo ille apud Iohannem non huc et ad hanc caussam pertinet, propter eas caussas, quas ante commemorauimus, et dissimilitudinem rerum: quippe ibi non edebant aut bibebant, in quo Christus carnem filii hominis edi aut sanguinem bibi diceret. Ergo relinquitur, vt e Testamenti veteris et Mosaico

Mosaico sermone vim horum verborum tenuerint. Et verba ea sunt manifeste sumta e secundo Mosis 24, 8. vbi sacrificio solenni sancitur foedus, cui, vt veteri, a Christo, Coenam sacram instituente, opponitur nouum et melius, sacrificio corporis sui sanciendum. *Hic est sanguis foederis* (quo sancitur foedus) *quod pepigit vobiscum Deus super cunctis verbis his:* idque bene monet Auctor Scholiorum in Epistolas Paulli, quae inter *Ambrosii* opera eduntur, *Hilarii Diaconi* esse putant, et ea verba ad interpretandum confert ad 1 *Cor.* 15, 25, 26. Ad horum igitur verborum formam cum Christus in re simillima, et superiori illi (τούτῳ) respondente, diceret, *hic est sanguis meus*, sanguis, *quo nouum foedus*, i. e. promissio Euangelii, *sancitur:* aliter intelligere non poterant, quam nos volumus, nisi monerentur et docerentur Christi interpretatione; nec aliter intellexisse patet ex eo, quod nihil interrogant. Ergo, vt illa verba Mosis proprie dicta sunt, sic et haec ita intelligi debent; nec absurdum est *Arnaldi*, *Perpetuité de la Foi T. II.* et *Bossueti* in *Expositione Doctr. Cath. n. X. p. m.* 70. *ed. tert.* postulatum, si figurate accipi voluisset verba sua Christus, (aliter quam dixisse constabat Mosen) monere debuisse discipulos: et id ferre debent hoc aequius, qui, (vt *l'Abbadie* in *Epist. IV. de S. Coena*) postulant praeparationem talem et admonitionem necessariam fuisse, si Christus proprie accipi verba sua vellet: quod sane alienum erat postulare, cum forma illorum verborum esset nota. Sed illud postulatum accipit vim maiorem et necessitatem in nostra hac ratione, per quam intelligimus, discipulos Christi, illi formulae adsuetos, saltem procliues esse debuisse ad proprietatem verborum amplectendam, nec de figurato sensu iis, sine admonitione, in mentem venire potuisse. Nam quod aiunt, per formulas in epulo paschali vsitatas, et a Magistris Iudaeorum proditas, velut: *hic est panis, quem patres nostri comederunt in deserto cet.* praeparatos esse animos ad figuratum sensum intelligendum, omni-

noque in verbis Christi esse illarum formularum imitationem, quo valde inclinant recentiores Reformatae Ecclesiae Theologi: primum, incerta est tota illa magistrorum traditio, saltem hactenus, vt, illas formulas Christi aetate vsitatas et ab ipso vsurpatas fuisse, pro certo adfirmare non liceat: nec eae proprie ad paschalem agnum pertinebant, aut praeceptum diuinum habebant: nec denique similitudo formularum dat certam caussam colligendi, alteram factam esse ad imitationem alterius; praesertim cum habeamus formulam haud paullo certiorem, a qua Christi verba ducta esse, ita euidens est, vt contra dici nihil possit, mirandumque sit, eius ignorantiam tantam vel fuisse, vel simulatam esse, vt eam nunquam, quod quidem sciamus, in hac controuersia tetigerint.

9. Sed alia argumenta sunt sententiae nostrae, quae partim ratiocinando ex locis Scripturarum ducuntur, ad Coenam S. pertinentibus, partim e natura rei ipsius, et principiis communibus vtrique parti. Et e primo quidem genere maxime vsitatum est, quod e verbis Paulli 1 Cor. 10, 15. repetitur, vbi panis ille Eucharisticus *κοινωνία τῦ σώματος τῦ Χριςῦ* dicitur, *communicatio* vel *participatio corporis Christi:* quamquam in iis plerique nostrorum (*κατὰ ῥητὸν*) diserte inesse dicunt id, quod defendimus, et illam communionem interpretantur *coniunctionem panis cum corpore Christi.* In quo nobis liceat ab iis discedere, salua argumenti vi; cum illam interpretationem, vt nobis videtur, nec linguae rationes satis ferant, nec contextus orationis Paullinae, saltem non ea euidentia sit, vt apud aduersarium acrem et acutum valere satis possint. Idemque videtur iudicandum de antiquiori nostrorum interpretatione, quae sumtionem corporis Christi cum pane intelligit. *Form. Conc. p.* 847. *ed. Rein. Panis quem frangimus cet.* i. e. *qui panem edit, corpus Christi edit:* quae est interpretatio *Chemnitii Fund. S. Coenae c.* 9. et ipsius *Lutheri Confess. mai. p.* 885. (T. IV. *Altenb.*) qui tamen melius et pressius ad communitatem sumtionis

vel

vel boni ſumti et accepti refert: tanquam in verbis Paulli eſſet, *communio panis eſt comm. cet.* Sed argumentum, quod ex eo loco perſpicue ducitur, huiusmodi eſt: Si, qui pane Euchariſtico veſcuntur, adducuntur in communionem corporis Chriſti: (nam hunc ſenſum etiam aduerſae partis Theologi faciunt, et hunc ſaltem admittere debent, nec improbat hanc interpretationem *Calouius* ad h. l. ſi recte intelligatur:) ore ſumant corpus Chriſti neceſſe eſt, non per figuram, et ſpiritu modo per fidem. Nam ſi hoc eſſet, fideles tantum ad illam communionem peruenirent, quod ipſi volunt ac defendunt, non omnes pariter, qui panem ſumunt. Enim vero omnes ex aequo, ſecundum Paullinam rationem, in communionem corporis et ſanguinis Chriſti perueniunt, qui ſumunt. Vnde efficitur, vt falſum ſit, quod ab illis ſumitur, verum, quod nos defendimus. Sed ex mente Paulli, omnes ſine diſcrimine veſcendo ac bibendo in communionem quandam corporis Chriſti venire, id ſic intelligitur. Primum oratio Paulli et admonitio, quae commemorata corporis Chriſti per panem Euchariſticum communione firmatur, ad omnes Corinthios, qui ſe Chriſtianos ferrent, ex aequo pertinet, non modo ſanctos et fideles, ſed etiam, et multo magis, ceteros; de eoque dubitari non poteſt, tota diſputatione Paullina aduerſus eos, qui conuiuia e carnibus victimarum obirent, clamante. Nam quis dubitare poteſt, partem eorum maiorem fuiſſe de numero hypocritarum, quam vere fidelium et ſanctorum: nam minae illae Paullinae profecto non fidelibus proponuntur, ſed hypocritis, his certe maxime. Et hos tamen ipſos ab ea licentia deterret Paullus hoc argumento, quod per Euchariſtiam fiant participes corporis et ſanguinis Chriſti. Quid? quod clare v. 17. quia omnes ex eodem pane veſcantur, omnes eiusdem corporis eſſe docet, nempe per participationem eiusdem corporis Chriſti in Coena ſacra. Quae ratio tota inanis eſt et frigida, ſi impii et hypocritae ſolo pane veſcuntur, non vna per-

 cipiunt

cipiunt ore corpus Dominicum; cum, animo et fide non percipere, in promtu sit.

10. Sed aliud graue argumentum nobis praebet eadem Paulli disputatio, in qua (1 *Cor.* 11, 27.) eos profanati cum graui culpa corporis et sanguinis Christi reos facit, qui indigno modo sumserint panem vinumque Eucharisticum, h. e. non eo, qui v. 26. exprimitur. Nam, vt ex eo loco veritas panis et vini in Eucharistia intelligitur, sic pariter veritas corporis et sanguinis Christi, et vtriusque praesentia talis, qualem defendimus, demonstratur. Ac primum, intelligi profecto non potest, quomodo, qui non edit verum corpus Christi, sed merum panem, qui tantum significationem Christi pro nobis mortui habeat, quomodo ipsum Christi corpus violet ac profanet? quomodo magis profanet, eo, qui signo crucis inter precandum per meram consuetudinem, sine pia cogitatione, vsus, aut, verbum Euangelii de salute per mortem Christi speranda sine vera fide ac sensu pio audit et legit? Improbe facere omnes, palam est, sed violati et proprie profanati corporis Christi reos nemo dixerit; nec sic loquuntur Scripturae. Ergo, quod est consequens, intelligi debet in pane et vino Eucharistico aliquid amplius figura et signo. Id autem esse ipsum corpus et sanguinem Christi, vincunt sequentia; in quibus Paullus seuere pronunciat, eum sibi perniciem edere ac bibere, qui indigne sumat: quod ipsum grauius est, quam pro abusu, aut peruerso vsu signi meri, per arbitrium constituti. Enimuero causa adiungitur haec, *quod non discernit corpus Christi.* Id vero nostro quidem iudicio, rem dirimit. Quid enim est, *μὴ διακρίνειν τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου*, *non discernere corpus Domini*, nisi, corpus Domini ita edere, vt cibum profanum et vulgarem, quod fit, cum sine fide et religione sumitur. Nam verbum discernendi, hoc quidem in loco, est e significatione discernendorum ciborum secundum legem Mosaicam: in qua *non discernere cibos* dicuntur, qui puris et profanis ac lege

lege vetitis pariter vescuntur, nihilque discriminis faciunt; qui cibos profanos et vetitos lege ita comedunt, vt legitimos et pro legitimis. Neque id *non discernere* proprie refertur in illa phrasi ad iudicium animi, sed ad ipsum actum edendi promiscue. Ex quo profecto fit, vt edamus ipsum corpus Domini. Quomodo enim vt cibus promiscuus sumitur, si omnino non sumitur, aut quomodo possumus corpus Christi ab alio vulgari, corpus alente cibo discernere et religiosius sumere, si prorsus non corpus ipsum, sed eius vmbram modo et signum accipimus; si hypocritae, de confessione aduersae partis, omnino nihil praeter merum panem accipiunt? Dixisset potius, qui indigne edat de pane, nihil nisi pane, non corpore domini, vesci, et nullum fructum capere, siue, profanare panem, qui per εὐλογίαν, sanctitatem aliquam acceperit. Profecto, quo diutius ac diligentius hunc locum consideramus, ita magis firmatur animus noster in sententia Ecclesiae nostrae, et, vt nihil durius dicam, in re sancta et ad religionis sanctissima mysteria pertinente, plane sensus nostri repugnant, cum fingere conamur, Paullum nihil aliud dicere voluisse, quam hypocritas nihil praeter inane ac sine re signum accipere, quod iis nihil prosit ad confirmandam et augendam fidem, quam omnino nullam habeant; id autem illis verbis expressum esse, *edere ac bibere perniciem, corpus Domini profanare, et pro cibo vulgari sumere.* Ac nos non ignoramus, quid hic dicatur elabendi caussa: profanantur Symbola corporis et sanguinis Christi, inquit Reu. *Beckius* in *Synops. Theol. p. 292.* Audimus. Sed primo, hic sensus profecto nemini in mentem veniat, primum legenti, nec iam imbuto Zwingliana sententia; quod est argumentum falsae interpretationis inprimis graue: deinde, abusus hic estne tantus, vt propterea edat sibi perniciem, et non discernat corpus Domini? An ergo etiam, qui paschalem agnum, vt symbolum Christi mactandi pro peccatis, sine fide et pietate edebant, perniciem edebant, et non discer-

 nebant

nebant Christum et sacrificium pro peccatis nostris? An etiam, qui cibum quemlibet sine precibus piis et gratiarum actione accipit, sibi perniciem edit, quia non discernit donum Dei, quod cum precibus et gratiarum actione sumendum erat 1 *Tim.* 4, 5.

11. Et haec quidem argumenta ducta sunt e testimoniis Scripturarum: ad ea veniamus, quae a rei natura petuntur, hoc est, e natura communi Sacramenti. In quo vtemur principiis tantum iis, in quibus consentientes habemus, qui in caussa summa a nobis discrepant. Primum igitur fatentur nobiscum, in Sacramento *aliquid accipi*, *bonum aliquod inuisibile*, vnde fructum capere spiritualem possint, qui recte vtantur: idque eiusmodi, vt sit Sacramento proprium donum ac beneficium: foret enim alias inane et superuacuum Sacramentum ipsum. Hoc autem constituto, quaeramus, quid accipiatur in Coena sacra, praeter panem et vinum, si non accipitur verum corpus et verus sanguis Christi, e nostra sententia? Profecto, secundum Reformatorum rationem, nihil accipiunt, neque qui recte, neque qui male vtuntur Sacramento: non hi, quia mera symbola accipiunt, de ipsorum confessione. Nam bonum, quod accipiatur, ponunt in perfectione et corroboratione fidei; quae in eos non cadit. Nec plus accipiunt recte vtentes ac fideles, quicquid illi dicant. Nam sibi dant ipsi id incrementum, non in Sacramento ac per Sacramentum ipsum proprie accipiunt. Quomodo enim volunt fidem augeri per hoc Sacramentum? Nempe cogitatione fideli mortis Christi et gratiae Dei propter illam. At cogitationis talis suscipiendae nihil sane praeter admonitionem nec habent symbola, nec habere possunt, per naturam suam. Cogitatio tota est hominis, a qua, quia corroboratio fidei nascitur, eam homo fidelis accipit a se. Ergo sicut fideles extra Sacramenti vsum, quacunque re, vt dicto aliquo doctoris, aut signo crucis vel imagine Christi, admoniti, suscepta tali cogitatione pia firmant sibi et augent fidem, non a cruce et imagine acci-

accipiunt; ſic nec in Sacramento aliter fieri, ſecundum illam ſententiam, poteſt; nec quicquam erit diſcriminis, niſi hoc, quod illa ſymbola panis et vini, a Chriſto inſtituta ſunt, haec ab hominibus, quod ad rem ipſam nihil refert.

12. Atque ita porro etiam perit penitus ea, quam *Vnionem* vocant *ſacramentalem*, agnoſcuntque ac defendunt nobiscum, qui contra nos ſtant, ſed profecto tantum nomine, non re, vt facile intelligi poteſt. Nihil eſt mirabilius, vt mihi videtur, in tota eorum ſententia, quam illa *Vnio*, quam dicunt, cum pleriſque noſtrum, fieri in conſecratione, vt nuper is, quem diximus Reu. *Beckius p.* 287. At in promtu eſt, coniunctionem corporis Chriſti cum ſymbolo panis fieri, ſecundum eorum opinionem de praeſentia corporis et ſanguinis Chriſti, ab ſumentis fide, non factam eſſe a Chriſto, aut fieri a ſacerdote conſecrante. Nam fides, ſecundum eos, facit praeſens corpus Chriſti, nec id proprie iungit fides cum ſymbolo panis, ſed admonitus a ſymbolo, vt alias a cruce aut alia figura, id iungit menti ſuae; cogitatione ſua ſpiritualiter veſcendo. An hic vmbra eſt vnionis, quae ſymbolum panis et corpus Chriſti intercedat?

13. Denique etiam hoc eſt inter conceſſa de Sacramentis, vt *vim* aliquam habeant et *efficaciam* ſalutarem. Nam queri ſolent nobiscum hoc nomine contrariae ſententiae defenſores, quod eos dicamus, Sacramentis nullam vim et efficaciam relinquere; cum fateantur, iis tribui clare in Scripturis, et ſine ea merum luſum fieri: immo in eo capite plane ſe, aiunt, nobis conſentire. Enimuero, cum veniunt ad explicandam illius efficaciae naturam, totam tollunt, ſolum nomen relinquunt: nec aliter ſinit fieri eorum de natura Sacramenti ſententia. Nam veram quidem efficaciam et vim agnoſcere nemo poteſt, niſi hanc, quae eſt ei rei, cui tribuitur, inſita, haeretque in eius vel vniuerſa natura, vel parte aliqua. Vbi igitur eſt talis efficacia, eorum ſententia probata? In ſymbolis panis aut vini? Nequaquam. Nam in iis nihil

nihil est nisi admonitio aliqua ex instituto Christi cognita. Haec vero non est illa efficacia salutaris, quam nos defendimus re, illi verbo. Et haec est omnibus hypocritis cum vere piis communis; quod secus est in efficacia propria Sacramenti. Quod si ipsum corpus Christi verum cum sanguine eius adest, habemus, in quo efficaciam ponamus, quod efficaciam habere possit insitam. At si non adest, vbi haerebit, quando nihil praeter illa symbola relinquuntur. Non certe in ipso Sacramento, qua est diuinae institutionis. Ergo amandabitur ad sumentis cogitationem piam: ea sola dabit Sacramento efficaciam: nam ea sola firmat in illa ratione fidem: si planius dicas, ea habet efficaciam et vim augendae fidei, non Sacramentum, quod nihil aliud, quam admonuit Christianum, vt fidem cogitando excitaret.

14. An vero, quaeso omnes Christianos, Sacramentorum reuerentia quadam imbutos, placet Sacramentum Christi, quod ipsum nullam vim habeat, sed ad summum accipiat aliquam ab homine? quae pendeat ab eius cogitatione? Non profecto, nisi me fallunt omnia. Ac videamus, quae porro consequantur. Nam si nulla alia vis est in illo Sacramento, quam talis admonitionis: quorsum institutum dicemus a Christo? An aliud in eo quicquam erit, quam *ἀσθενὲς καὶ πτωχὸν στοιχεῖον*, *tenue et leue elementum*, vt Paullus ritus V. T. vocat, *Gal.* 4, 9. hoc est, exercitationem admonendi, comparatam infantiae Christianae Ecclesiae, qua non sit opus adultis, h. e. fidelibus, qui adsueti sint melioribus et virilibus exercitationibus legendi et cogitandi Euangelii, nec indigentibus tali admonitione? Quis vero iam reprehendat Socinianos, qui, ab illa Zwingliana opinione profecti, et, quid consequens esset, percipientes; nullam illius Sacramenti vsurpandi necessitatem esse contendunt, et liberum cuique relinquunt, vti eo velit nec ne? aut quis iam indignetur Fanaticis, qui se carere posse hoc Sacramento iactant, laetarique se dicunt, quod ita profecerint, vt sibi

sibi non opus sit Eucharistiae Sacramento? Nam nihil horum absonum est, aut ab veritate et aequitate abhorrens, si in eo mera est significatio corporis et sanguinis Christi. Enimuero, cum ista prorsus abhorreant ab sensu Christiano, sintque dedecori Sacramento sanctissimo; efficitur, rationem nostram potius esse probandam, quae vim, et dignitatem, et necessitatem Eucharistiae non modo saluam relinquit, sed etiam commendat et illustrat; immo, sine qua dignitas eius et vis salua esse nullo modo potest.

15. Fuerunt, qui magnum argumentum et firmamentum caussae nostrae peti posse dicerent ab epulis, post sacrificia fieri solitis, de carne victimarum. Est autem haec ratio Coenae sacrae comparandae cum illis epulis a *Cudwortho* vel inuenta, vel inprimis exornata in libello de *Vera Notione S. Coenae*, quem latine versum *Systemati intellectuali* subiecit cum notis suis *Moshemius*. Existimabat ille, Coenam S. respondere imitatione quadam epulis iis, quae ex carnibus victimarum fieri solerent apud Iudaeos atque etiam Gentiles. Eas porro existimabat hanc vim habuisse, e mente vtrorumque, vt per eas homines venirent in communionem eius Dei, cui sacrificium factum esset, quod etiam firmari putabat disputatione Paulli 1 *Cor*. 11. Id inuentum placuit quibusdam non modo Britannicis Theologis, nuper etiam *Warburtono*, Episcopo Glocestriensi, in libello *de natura Eucharistiae*, sed etiam de nostris, eruditissimis Theologis, *Gottfr. Oleario*, *Pfaffio*, *Iano* cet. qui hinc putabant effici, vt qui Coena S. fruerentur, carnem ipsius victimae pro nobis mactatae ederent. Sed ea ratio recte repudiata est a *Moshemio* in praef. ad Cudworthianum libellum, argumentis sane idoneis; quae ibi legent, qui velint. Nobis addere liceat ab eo bene disputatis haec duo. Primum res sunt valde dissimiles. Nam e victimis Iudaicis, quae non totae comburerentur, particulas tantum reliquae carnis comederunt, vel ipsi, qui victimas obtu-

obtulissent, vel conuiuae plures, ad quos sacrificium non pertineret: in Coena sacra totam corporis victimam accipimus vescendo. Deinde tota ratio earum epularum profecto non est satis intellecta, estque omnino eiusmodi, vt Coenae S. nullo modo apta sit. Etenim, vt ab epulis gentilium incipiamus, eae nullam coniunctionem habuere cum religione: sed quoniam victimarum pars tantum solebat immolari, exta fere et adeps, vt notum est e poetis graecis et latinis, ceterae carnes reddebantur iis, qui animalia mactanda dedissent. Eas porro carnes licebat sibi seruare omnes, ad vsum familiae, etiam, si absumi recentes non possent, sale conditas seruare ad vsum ceteri temporis, denique etiam vendere, vel per partes pluribus, vel vniuersas laniis, a quibus venderentur in macello, quod etiam Paulli verbis intelligitur 1 *Cor.* 10, 25. Sed moribus Graecorum hoc sordidum putabatur et illiberale; vnde ab *Theophrasto* in partibus illiberalitatis ponitur *Charact.* 22. Itaque locupletes, liberalius et honestius viuere soliti, earum carnium partes donabant amicis, itemque epulas faciebant, in quibus earum pars absumeretur: quod intelligitur loco *Xenophontis Mem. S. II*, 9, 11. Nec coniunctionem harum epularum cum religione arguit locus Paulli 1 *Cor.* 8, 10. vbi epularum talium in delubro actarum est commemoratio. Nam primum, id non perpetuum fuisse indicat alter locus 10, 27. vbi profecto non est sermo de epulis in delubro, quod in iis sine indicio constabat, e victimis carnes praeberi: deinde, ibi epulas tales in porticibus instituebant, quibus domi locus commodus non esset; in iis autem etiam alia humana agi solita esse, satis constat. Et, quod gentiles ad eas epulas etiam inuitabant amicos e Christianis, a quibus Deos suos sciebant contemni, id profecto clare docet, eas nihil coniuncti cum religione habuisse. Apud Iudaeos autem tales epulas religiosas fuisse, nullo literarum sacrarum testimonio doceri potest: sed e partibus victimarum iis, quae sacri-

ficanti-

ficantibus redditae essent, conuiuia facta sunt, vt dies sacrificii per laetitiam honestam et liberalem transigeretur. Itaque argumentum, quod ab iis epulis ducitur, vim habere nullam potest.

16. Sed multo minus probandum est argumentum, quod nonnulli ab ipsis sacrificiis gentilium repetunt. Nam in sacrificiis iis, quibus, vt opinor, foedera sancirentur, morem hunc fuisse, vt sanguis victimae patera exceptus circumferretur gustandus his, quos inter foedus patratum esset. Ad huius autem moris imitationem referendum esse Coenae sacrae calicem, quem diserte foederis noui Christus appellet, sanguine suo sanciendi; cum ex altera parte constet e victimae foederalis carnibus comedisse, qui foederis sanciendi essent participes. Mallemus vtique abstinuisse Viros doctos et defendendae veritatis, quod laudamus, cupidos, ab huius rei commemorandae et ad firmandum dogma Ecclesiae nostrae conferendae consilio, quam eius rationis refellendae necessitatem nobis imposuisse. Nam, vt alia mittam, certe inter Iudaeos, quibus omnino nefas esset, sanguinem gustare, talem morem non fuisse, et, si aliarum gentium fuerit, ab eo rei a Iesu institutae explicationem petere, parum religiosum videri; tota res profecto est commentitia. Omnibus enim populis abhorrens ab humanitate, vt est, ita visum esse satis constat, sanguinem recens fusum e venis bestiarum bibere: nec vllum in graecis latinisque scriptoribus extat ritus talis, quod ego cognouerim, vestigium. Atque ego memini me audire dogmatis Zwingliani asseclam, qui foederum priscorum ritu ad id firmandum abuteretur. Nam in illo foederum per victimam sanciendorum actu, aiebat, pateram vini circumlatam esse bibendi gratia, vt eo potu foederis participes fierent; idque vinum datum esse loco sanguinis, quem gustare nefas esset moribus humanis. Ad eum igitur modum Christum nos ad communionem foederis, victima corporis sui, perpetrati

adduci

adduci voluisse vino bibendo, in quo esset figura sanguinis sui, quod id vice sanguinis daretur. In quo saltem illud verum erat, quod de vino ab immolantibus sumto dicebatur: sed alterum totum a veritate alienum, vinum loco sanguinis fuisse. Nam vini vsus fuit in parte necessaria sacrificii talis, multorumque aliorum, nec quicquam habuit coniunctionis cum sanguine: quippe caesa victima et fuso ad aram sanguine, accedit demum vini libatio, per quam guttatim funditur primum e patera vini pars in victimam caesam, posthaec autem circumfertur patera, vt degustetur vinum pariter ab sacrificantibus, vt factum est etiam in aliis sine victima libationibus religiosis. Quid hic igitur est similitudinis cum Coena sacra? et si esset tamen: quid id ad Coenae sanctissimam cerimoniam? in qua Christum sumsisse exemplum ab sacrificiis impiorum, sine iniuria in ipsum et eius institutum, dici non potest. Mittant ergo veritatis adsertores totum hoc genus argumentorum, quae e ritibus gentilium captantur, satisque habeant vti Scripturis, et iis recte ac diligenter explicandis veritatem firmare; quae non destituent recte tractantem, vt antea demonstratum est.

17. Sed duobus illis legitimis generibus argumentorum, quibus supra vsi sumus, addi solet tertium, quod ab consensu antiquitatis arcessitur. Nec id profecto leue et contemnendum videri debet. Quamquam video, nonnullos secus iudicare, siue inscitia antiquae doctrinae, et quia, quod quis ignorat, ad id contemnendum procliuis est, siue potius, vt interpretor, inconstantia et leuitate iudicandi. Nam ita sumus plerique: cum commodum est, extollimus, quod alio tempore, cum secus vel est, vel videtur, deprimimus; vt fecit in eadem re *Dallaeus*, vir antiquitatis Christianae scientissimus: qui cum antiquitatis testimoniis premebatur, toto libro vsum Patrum in Controuersiis religionis impugnauit, et quantum in ipso fuit, depressit: vicissim, cum eum in pari caussa deprimerent aduersarii eius, *Adamus* et *Cottibaeus*, plane contra-

contrariis argumentis eius vim asseruit et vindicauit: *Repl. aux livres d'Adam et Cottiby P.* 1. cui libro prope principatus inter cetera viri opera debetur. Antiquitas ipsa profecto stulta fuit, quae tanti fecit consensum seculorum priorum, si in eo nulla vis est ad illustrandam veritatem; stulti *Flacius* noster, *Gerhardus*, *Bebelius*, et alii egregii viri, in demonstrando consensu Ecclesiae nostrae cum antiquitate vltima: stulti nostri omnes, qui tanto studio inuentum, inprimis *Zwickeri*, acerrimi Socinianorum, impugnauere testimoniis antiquitatis, cum, seculis prioribus, aliter de Christo sensisse Ecclesiam, demonstrare tentasset, quam Nicena synodus sanxerit: stulti *Claudii*, *Albertini* et multi alii, qui integris, etiam magnis voluminibus, et magno doctrinae apparatu, *Nicolium* primum, deinde *Arnaldum*, *Perronium* aliosque, repressere, transsubstantiationis dogmati consensum antiquitatis asserere conantes: stulti denique omnes, qui nouitatem dogmatum Romanorum demonstrare conati sunt, *P. Molinaeus*, *Dallaeus*, *Hunnius*, etiam noster nuper *Deylingius*. Sed abest longe ab his tot praeclaris viris haec tanta iniuria, nec vllo modo in iis haerere tam ingratum crimen potest. Et ipse sensus communis vim huius argumenti defendit. Itaque ea semper fuit apud animos hominum permagna: nec alia magis caussa praeclari illi, quos ante commemorauimus, Viri in Francia, tanto cum apparatu doctrinae *Nicolinum* inuentum de perpetuitate dogmatis de transsubstantiatione impugnauere, quam quod id multorum animos debilitasset, et ad Romanas partes inclinasset.

18. Sed in eo argumento non vna cautio est: prima, vt in eo non caput demonstrandi ponatur: nam id sibi vindicant Scripturarum s. testimonia et rei natura: sed demonstrationis firmamentum; quod nimirum antiquitatis, vltimae in primis et incorruptae, simplicitatemque primam retinentis, testimonium firmat interpretationis nostrae simplicitatem et veritatem. Nam cum videmus, rem tantam

ita, vt ipsi iudicamus, intellectam, quo tempore adhuc prope sonabat oratio Apostolica per ipsorum auditores, et lingua adhuc viua erat ea, qua Apostoli in scribendo vsi essent, mirifice confirmatur animus, iudicans de interpretationis, per legitimas artes quaesitae et repertae, veritate. Atque non aliam nisi hanc vim antiquitas erudita, et nostri illi principes doctrinae, testimonio Ecclesiae antiquae tribuerunt, *Facundus Hermianensis*, *Vincentius Lerinensis*, de nostris *Melanchthon*, cuius est de ea re disputatiuncula ad 1 *Cor.* 14. *T. IV. Opp. p.* 290. Tertia cautio est, in qua maxime et saepissime peccatur, peccatumque est semper in illa controuersia, quid antiquitas de Coena sacra qua partem eam statuerit, de qua disputamus, vt ne promiscue vtamur locis librorum veterum, sed eorum primo, qui publicam auctoritatem habuerint, vt haud dubie insit doctrina publica Ecclesiae: post horum, qui proprie pertinent ad interpretationem Scripturarum; quales sunt Commentarii eorum, quos constet bene eruditos et interpretandi peritos fuisse, aut locis librorum iis, in quibus testimonia Scripturarum, ad caussam pertinentia, proprie explicantur: denique in quibus de eo capite doctrinae ex instituto, explicandi caussa, agitur. Nam e talibus solis doctrina cuiusque aetatis certo cognosci potest: cetera debent ad horum normam explicari. His tribus igitur obseruatis, recte hoc argumento vtemur, nec mouebimur specie dissensus, quae *Claudio* et *Arnaldo* et aliis tam molesta fuit, cum neuter omnibus locis, ab altero pro sua sententia prolatis, satisfacere posset. Sic ergo agemus: quamquam hoc iam egimus in *Anti-Muratorio p.* 67. Sed, quia ibi id egimus aduersus Pontificios, nunc contra aliam rationem disputamus, breuiter hic, quae ibi dicta sunt, cum aliquo auctario repetemus.

19. Primus igitur ex iis, quae constituimus, generi-
28 bus, locus est *Iustini* in *Apol. secunda*, quae habet vim scripti publici, quia scripta est ad auertendam ab Ecclesia persecutionem, et est Confessionis publicae instar. Nam

etsi

etsi non audeam pro certo dicere, eam missam esse ad Antoninum, vt habet index; tamen nec titulum hunc spurium iudicem, sed saltem hoc consilio adpositum ab *Iustino*, vt appareret, eam defensionem destinari iis, a quibus Christianis esset vel vexatio metuenda, vel auxilium innocentiae sperandum. Clarum autem est, *Iustinum* hoc agere, vt ostendat, quid fiat in Eucharistia, et quid de Eucharistia credatur in Ecclesia: aliter innocentia rei doceri non poterat. Itaque quemadmodum omnes ex eo loco, fatentur, plane cognosci, qui prima illa aetate ritus peragendae Coenae S. fuerint: sic pariter, quae de ea fuerit sententia Ecclesiae, ex eo loco debet intelligi ac doceri. Sed de hac parte *Iustinus* tradit haec: 1) panem et vinum consecratum esse τροφὴν, alimentum, et quidem tale, quo alantur corpora: 2) panem non esse κοινὸν, *communem* tantum et *vulgarem*, qualis sit, cum extra Eucharistiam sumatur, sed *esse Corpus Christi*: 3) hanc esse de ea re doctrinam Ecclesiae traditam, ἐδιδάχθημεν εἶναι σ. χ. 4) corpus Christi adesse saluo pane, et esse substantiam: nam ita panem esse corpus Christi, vt homo Iesus idem sit Deus. Hoc si *Sabellius* aut Sabellianae opinionis assecla scripsisset, intelligeremus praesentiam corporis Christi per efficaciam: sed ab illo errore alienum fuisse *Iustinum*, clarum est: et eadem ratione explicandi vsi sunt postea *Chrysostomus*, *Theodoretus* et alii, qui alienissimi ab Sabelliana peruersitate fuere. Haec omnia peruerti nulla ratione legitima possunt: et quae Reformati quidam Theologi contra moliti sunt, ea sunt ab ratione recte interpretandi alienissima, vt ostendimus l. c. vbi haec legent, qui volent.

20. *Iustino* addamus Interpretem N. T. principem *Chrysostomum*, qui locum Paulli 1 *Cor*. 10. explicans, et quare κοινωνίαν *communionem* dicat, non μετοχὴν, *perceptionem*, quaerens, τί γάρ ἐστιν ἄρτος; σῶμα Χριστοῦ cet. *quid est panis?* corpus Christi. Quid autem fiunt, qui scil. corpus Christi sumunt? Corpus Christi. Quomodo

autem panis et vinum ſit corpus et ſanguis Chriſti, ſumaturque a Chriſtianis, primum in illo ipſo loco declarat, cum in poculo dicit eſſe, quod e latere Chriſti fluxerit, tum in loco notiſſimae ad *Caeſarium* epiſtolae: nempe eo, quo nos dicimus: idque ita eſt clarum, vt etiam aduerſae partis quidam in Chryſoſtomo noſtram ſententiam agnoſcant. Et quomodo non agnoſcant? cum diſerte dicat, panem, amiſſa ſua appellatione, dici corpus Domini, etſi natura panis permanſerit, et *non duo corpora* (ſcil. panis et corporis Chriſti) *ſed vnum filii Dei corpus* praedicari. Ceterum in promtu eſt iudicare, eandem ſententiam placuiſſe praeceptoribus *Chryſoſtomi*, a quibus rationem interpretandi et doctrinam omnem ſacram didicerat, *Diodoro* Tarſenſi, *Theodoro Mopſueſteno*, qui ab Origene fluxit, vt in Diſputatione de *Origene* demonſtrauimus. Sed huic adiungamus e Graecis tertium, qui duobus ſeculis poſt fuit, *Anaſtaſium Sinaitam* in *Hodego* c. XXIII. qui in Coena S. negat eſſe ἄρτον ψιλὸν *nudum panem*, aut ἀντίτυπον, *figuram Corporis Chriſti*, ſed *ipſum verum corpus I. C.* In quo argutatur primum *Albertinus* de *Sacramentis Euchar. p.* 904. reprehendens *Anaſtaſium*, quod neget, panem eſſe figuram corporis Chriſti, cum id ſuperiores Eccleſiae Doctores fateantur, non intelligens, *Anaſtaſium* negare, *meram figuram* eſſe, quod ſane nemo ſuperiorum dixerat; nam figuram et ſignum ſane dixere, id nos quoque fatemur: ſed ſunt etiam ſigna rerum praeſentium, quae in oculos non incurrunt, cuiusmodi ſigna in Coena ſacra facile agnoſcimus. Nam quod nouatorem appellat et eius aetate coeptum eſſe doctrinam in hoc capite mutari, id falſum eſſe, ſuperiora teſtimonia declarant. Quae cum ita
125 ſint, mirandum eſt, quomodo *Heumannus*, hiſtoriae Eccleſiaſticae profecto non rudis, potuerit dicere, demonſtratum eſſe ab *Oecolampadio*, prioribus octo ſeculis, omnes Zwinglianam ſententiam tenuiſſe: quod falſum eſſe et res ipſa demonſtrat, et non modo demonſtratum eſt iam tum

a

a *Pirkheimero* et aliis, sed ab ipso agnitum, interdum in locis Patrum fatente: *hoc, apparet, contra nos esse.* Atque ita absoluimus demonstrationem sententiae nostrae de praesentia veri corporis et sanguinis Christi in Coena sacra, per quam non panis solus ac vinum solum, sed etiam corpus et sanguis Christi ipse ore sumitur ab omnibus.

21. Non alienum videtur esse, hoc in loco adiicere aliquid, etsi proprie non pertinens ad hanc demonstrationem, tamen et cautioni ei, quam tertio loco posuimus, §. 18. illustrandae seruiens, et non ingratum, vt speramus, futurum iis, qui acta eorum cognoscere cupiant, per quos sacrorum repurgatio contigit Ecclesiae. *C. Peucerus* in Epistola ea, quam e carcere Lipsico scripsit ad Augustum Electorem, vt esset pro Confessione, dixerat, *Philippum* profecturum a. 1541. cum *Luthero* ad Colloquium Ratisbonense, huic dedisse chartas, repletas sententiis Patrum Eccl. de Coena sacra, rogantem, vt de iis quid sentiret, sibi ostenderet, ne in ipso actu discreparent. Eas cum *Lutherus* reddidisset, adscriptis glossis, vel scholiis, quibus eae sententiae cum suo de Coena sacra sensu in concordiam redigerentur, *Philippum*, iis lectis, dixisse, tales glossas semetipsum inuenire potuisse, sed eas in disputatione firmas non fore, idque ipsum intelligere. Tum *Lutherum* nihil aliud respondisse, nisi, se ipsi rem permittere bene sperantem de eius dexteritate. Hanc *Peuceri* narrationem pro commento impudentissimo proscripsere *Theologi Vitebergenses* in *Confutatione Testamenti Peuceriani, et illius ipsius Epistolae cet. p.* 127. Et nos non possumus scire aut affirmare, ea ita acta esse, vt *Peucerus* narrauit: hoc possumus dicere, in manibus nostris esse chartas conscriptas talibus sententiis a *Philippo*, adscriptis glossis et interpretationibus ipsa *Lutheri* manu; quae in *Peuceri* familia seruatae, et velut per manus traditae, peruenere ad *Bernauerum*, Scholae Budissinensis ante non ita multos annos Rectorem, inter cuius libros, in hac vrbe nostra venditos, venere tandem

in manus nostras: post huius quidem libelli nostri disceptationem reponentur in Bibliotheca Paullina, vbi volentibus inspicere licebit. Sunt autem sententiae maximam partem ex *Augustini* libris; ex *Ambrosio* (s. *Hilario* potius Diac.) ad Corinth. *Irenaeo*, *Origene* singulae; item e *Liturgia Graeca* et *Epiphanio*, omnes post in hac controuersia saepe prolatae et excussae: sed non sunt ex eo genere, quod nos in cautione tertia definiuimus, propter quam caussam *Lutherus* totam illam cohortem sententiarum repudiare poterat, cum sensus Ecclesiae, non cuiusvis doctoris, in disputatione aliena, ad caussam suam accommodatio, quaeratur. Scholia autem *Lutheri* habent distinctionem ambiguorum, explicationem verborum et conciliationem cum doctrina vera. Exempli caussa duas commemorabimus. Prima ergo sententia est ex *Augustini* libro c. *Adimantum* c. 12. *Non enim Dominus dubitauit dicere, hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.* *Lutherus* adscripsit verbo *corporis* rubrica, „*praesentis:* sic sanguis est etiam signum animae, scil. inclusae et praesentis: nam hoc agit et rogitat. Tum crassius loquitur infra: *Petra erat Christus* cet." His bene responderi clarum est, nec abnuisse crediderim *Philippum*. Nam signa etiam praesentis rei esse, quis dubitet? Et ipse *Augustinus* aliis locis, vt in *Epist. ad Neophytos*, praesentiam docuerat, *hoc accipite in pane, quod pependit in cruce* cet. vbi tirones docebat. Et in illo loco; aduersus *Adimantum* Manichaeum disputans, super verbis Mosis, animantis animam esse in sanguine eius, in omnes partes versans se, ad extremum inquit: *possum etiam interpretari, praeceptum illud esse in signo positum: nam nec Dominus* cet. Ex hac autem responsione pleraeque aliae pendent. Nam vel *signi* vel *sacramenti* verbum est in illis sententiis, quod dubiam reddere cuiusque opinionem de Coena sacra possit. Durior videtur locus e Comm. in Psalmum 98. *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis et bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui*

me

me crucifigent, sacramentum aliquod vobis commendaui. „Et addit Philippus, *hic verbo commendandi aliquoties vtitur: commendauit nobis isto sacramento sanguinem suum et corpus suum.* Glossae *Lutheri* hic rem referunt ad primam illam rationem: non *hoc* corpus, sc. *visibile*, et *palpabile: sacramentum* sc. *rei vel praesentis vel mysticae.* Item post *crucifigent: non sequitur, non esse corpus, sed sacramento, i. e. velamine.* Et licebat ibi simpliciter respondere, sine talibus glossis, sermonem esse *Augustino* non de Coena sacra, sed de interpretatione verborum apud Ioannem c. 6. quae non huc pertinent. Ibi sane sensus docuit homines, qui offendebantur oratione eius, qua dixerat, corpus suum potius vt edant et sanguinem bibant, videndum esse, quam de cibo naturali laborandum, non se corpus hoc, quod viderent, ita comedi velle, vt panem ante comederint cet. Et sunt aliquot praeter hanc sententiae pariter ad verba Christi apud Ioannem pertinentes, quae erant ab hac caussa alienae. Verba *Ambrosii* s. *Hilarii* e Comm. qui videatur de genere nostro, sic habent: *quia enim morte Domini liberati sumus, huius rei memores, in edendo et potando carnem et sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, significamus.* Recte monet *Lutherus*, *carnem et sanguinem* referenda esse ad *edendo* et *potando*, quo et Philippica et librorum editorum interpunctio refert: *significamus*, interpretatur *mundo* cet. *repraesentamus vel fatemur pro nobis oblata, quae edimus* (*carnem*) *et bibimus* (*sanguinem*). Hoc etiam recte responderi censemus: nam palam est, auctorem illius Commentarioli, quisquis fuit, in verbo *significamus* habuisse in animo praeceptum Paulli: *καταγγέλλετε τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου, significate* pro *annunciate;* nam illud latinius est et elegantius, pro commemorate praesentibus cet. Sed ad rem ipsam redeamus, et, quae reliqua videantur, expediamus.

22. Nam et dubitationes, commotae e praesentiae maxime notione, et recens interpretatio praesentiae

fecere, vt ad abſolutionem, non modo firmandae, ſed etiam intelligendae ſententiae noſtrae, ſit illa praeſentia, de qua loquimur, explicanda, ne vel perturbet animos, vel ſub verbi ambiguitate error lateat. Nam Confeſſionis Auguſtanae probandae neceſſitas in Germania fecit, vt, cum antea praeſentia ipſius corporis Chriſti in Coena ſacra eſſet diſerte negata, tandem de praeſentia concederetur. Satis conſtat, *Bezam*, in Conuentu Poſſiacenſi, de hac praeſentia interrogatum, diſerte reſpondiſſe, tantum abeſſe corpus et ſanguinem Chriſti a pane in Coena ſacra, quantum abeſſet coelum a terra *). Res paullatim eo deducta eſt, vt *praeſentiam* etiam *ſubſtantiae* concederent, nec de hac diſputari dicerent, ſed de modo, quo ſubſtantia corporis et ſanguinis Chriſti praeſens eſſet. (v. *Turretin. Theol. Elenct. T. III. p.* 568.) Item, quoniam illa praeſentia corporis et ſanguinis Chriſti verbo *exhibendi* a noſtris exprimebatur, quod, ad praeſentiam ipſius ſubſtantiae, qualem nos intelligimus, exprimendam

*) v. *Comm. de Statu Religionis et Reip. in Regno Galliae P. I. p.* 115. *ed. quartae:* cuius libri auctor hiſtoriam illius Colloquii omnium luculentiſſime tradit: qui ſi non eſt ipſe *Beza*, quod orationis elegantia non improbabile facit, certe ſuppeditauit auctori materiam actorum in hac parte: et conſentit narratio in P. *Martyris* epiſtolis ad *Caluinum* et *Bullingerum* de actis conuentus ſcriptis ex vrbe Pariſina. Etiam in hoc *Bezae* ingenium prodit narratio libri, quod multo pauciora de *Martyre* traduntur, quam debebant. Et patet ex illis epiſtolis, *Bezam* omni modo tentaſſe remouere ab actu rerum *Martyrem*, cui Regina plus tribuebat, quam *Bezae*. Exemplum, quo nos vtimur, valde vitioſum eſt, ſed e diuerſis edd. miſtum. Partes duae priores praeferunt annum 1577. tertia a. 1589. quarta 1575. quinta 1580. et praefert Lugdunum Batauorum, vbi et ceterae expreſſae videntur: adeo et charta et formae literarum conſentiunt. Incipit opus elegantiſſimum et lectu digniſſimum, vbi *Sleidanus* deſinit, et deſinit ipſum in rebus anni 1576. et edicto quinto pacificatorio,

dam erat aptissimum *), hoc quoque verbo coeperunt vti. Sed vt in illo genere non veram substantiae praesentiam intelligebant, sic et exhibendi verbum aliter, quam nos, et quam verus sensus verbi fert; vt nuper diserte fassus est Cel. *Beckius* in *Synops. Theol. p.* 217. non exhibitionem rei ipsius, sed repraesentationem veluti pignoris, exhibitionem moralem. Nempe, vt *Turretinus* ait, praesentiam substantiae intelligunt, quae sit, non in *ἀδιαςασίᾳ*; (quasi tu dicas, indistantia,) quae sola veram, et quae proprie dicitur, praesentiam facit, sed in efficacia et operatione: eamque ipsam talem, qualem supra descripsimus; quae *sit* non ipsius Christi, sed fidei per symbola panis et vini excitatae vel admonitae ad cogitandum, et per illam cogitationem se firmantis et roborantis.

23. Sed etiam e nostris quidam, cum in philosophia suscepissent praesentiae notionem, per quam poneretur in efficacia et operatione in rem quamcunque, talemque fingerent ipsius praesentiam Dei, hanc admiscentes Theologiae, praesentiam corporis et sanguinis Christi per efficientiam quandam in mentibus humanis explicare coeperunt, diserte exclusa praesentia substantiae propria, et quam vulgo intelligimus in eius verbi vsu; cuius generis

*) Est enim verbum iuris, quod est, praesentem sistere, nec aliud magis proprium et euidentius aut ius aut latinitas habet ad exprimendam veram praesentiam: eoque vsus erat *Philippus* in *Apol. A. C. art.* X. repetiturus sententiam illius articuli, vbi nunc quoque extat: idem verbum post nostri non tulere, cum in ipsa A. C. posuisset, vt ego arbitror, maioris euidentiae caussa, pro *adesse*; vt illi tum interpretabantur, accommodandi articuli ad sensum Zwinglianum, certe emolliendum. Eodem porro, nemine improbante, vsus est in *Confessione Saxonica* a. 1551. quae Tridentum mitteretur, *art. de Coena sacra p.* 134 (*T. I. Oper.*) In hoc mihi vix persuadeo, inimicos *Philippi* non aut ignorantia aut inuidia peccasse.

ris exemplum nuper in *Bibliotheca theol.* (*T. IV. p.* 59.) notauimus; quod profecto nihil aliud est, quam veram praesentiam tollere, et ab doctrina Ecclesiae nostrae deficere. Et illa quidem ratio explicandae praesentiae diuinae semper ab Theologis recte sentientibus repudiata est, praesertim per occasionem controuersiarum Cartesianarum; nec vllo modo admitti in Theologiam et ad interpretandas Scripturas adhiberi potest, quae Deum ipsum vbique esse, a nulla re spatio et interuallo seiunctum docet; quod simplici fide teneri debet reuerentia verbi diuini, etsi modum rei intelligere mens humana non potest: praesertim, cum manifeste praesentiam Dei, in qua est attributum naturae diuinae, non actio, confundat cum prouidentia, et, ea probata, multa et magna incommoda sequantur. Sed in ea caussa, de qua nunc agimus, non modo vniuersa illa et communis praesentia Christi, quam per coniunctionem diuinae naturae cum humana habet, sed alia, quasi propior, et voluntaria, intelligenda est; quod genus praesentiae clare naturae diuinae vindicant Scripturae. Atque nos non hic commemorabimus illam fidelibus propriam praesentiam Dei, inhabitantis mentes eorum; quam tulerim tropicam intelligi, vt fit a multis, et efficaciae amoris diuini, exserentis se in animis piorum, augendis eorum bonis spiritualibus; si modo non vtantur argumento eo, quod video iactari, cum dicant, non intelligi posse, quomodo natura diuina, quae sua sponte sit omnibus rebus praesens, possit fieri propior fidelibus, idque esse absurdum penitus. Nam si ita esset, profecto Sabelliana ratio in explicanda Christi natura pariter probanda, et nostra, siue Ecclesiae orthodoxae constans sententia, pro absurda repudianda foret: cum *Sabellius*, *Paullus Samos.* et similes haeretici, pariter dixerint, diuinam naturam Christo praesentem et coniunctam fuisse per efficaciam et operationem, non substantia, quae nulli rei propior esse posset, propter eam, quam nostri illi commemorant, caussam,

aut

aut ſubſtantiae ἀδιαςασία. Itaque, vel hoc exemplo admoniti, exiſtimemus, praeter neceſſariam illam et naturalem Dei praeſentiam, omnibus rebus communem, intelligi poſſe ac debere genus aliud praeſentiae voluntarium, ſed illi naturali ſimillimum, hoc eſt, pariter ſeiunctum ab humanae et corporeae praeſentiae circumſcriptione: et eius indolis eſſe id, quod corpori et ſanguini Chriſti vindicamus in Coena ſacra, freti verbis eius et promiſſis. Nec eius praeſentiae facultatem negare Chriſto homini poſſumus, vt recte defenderunt noſtri, cui omnia ſunt cum diuina natura communia facta, per illam coniunctionem ipſius cum diuina talem, vt vna perſona (vnum ſubiectum) effecta ſit. Atque ex his intelligitur, etiam illud falſum eſſe ac temere iactari, quod dicunt etiam de noſtris quidam, de modo praeſentiae diſputari; in quo nullum momentum ſit ad ſummam rei. Non modum, ſed genus praeſentiae definimus; cum ſatis ſciamus, ac fateamur, modum, non tantum huius generis, ſed praeſentiae diuinae vniuerſae, ignorari, et, vt aliarum rerum diuinarum modos, v. c. creandi, atque etiam operandi voluntatis nutu in res quaslibet, corporeas et incorporeas cet. captum intelligentiae humanae longiſſime ſuperare. Hoc autem modo explicata praeſentia carnis et ſanguinis Chriſti in Coena ſacra, etiam dubitationes tolluntur, quae aduerſus eam ſunt commotae, quas mox attingemus.

24. Ac ne licet quidem iis, qui noſtram ſententiam ſe dicunt probare, aliter intelligere praeſentiam corporis et ſanguinis Chriſti, aut per meram efficaciam et operationem explicare. Eius vero rei facilis et euidens demonſtratio eſt. Nam nos praeſentiam ita defendimus, vt eam communem faciamus omnibus veſcentibus et bibentibus, etiam indigne ſumentibus ſymbola. Enimuero, quam poſſumus intelligere operationem corporis et ſanguinis Chriſti in iis, qui indigne veſcuntur et bibunt? cum non modo fructum nullum capiant ſumtionis, ſed etiam

etiam poenam improbitatis luant? Nam quod dicunt, illam ipsam perniciem, a Paullo denunciatam, esse ἐνέργειαν, efficientiam operantis praesentiae Christi; id totum est alienum. Nam efficacia corporis et sanguinis Christi nulla alia intelligi potest, nisi quae sit ad salutem: cuius caussa et corpus Christi morti oblatum et sanguis fusus est. Iudicium et poena, cuius metus indignis proponitur, non est Christi morientis et expiantis peccata nostra, sed iudicantis, et Dei vlciscentis profanationem filii sui. Nam et Euangelium ipsum, id est, promissio Euangelii, cum est ὀσμὴ ζωῆς εἰς ζωὴν, *odor viuificans*, res homini salutaris, eam vim habet a se et sua efficacia; cum dicitur ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον, *odor enecans*, id non est ex Euangelio et eius efficientia, sed poenae, quam infligit iustitia Dei, vlciscens contemtum salutis, a se oblatae. Illud etiam in hac opinione, qua salutarem efficaciam, est vitiosum, quod in ea confunditur id, quod in ipso actu accipitur, cum fructu, qui ex eo, quod acceptum est, percipitur, qui est efficaciae et operationis. Quae res nos admonet, vt quae sit illa, quam laudamus, efficacia corporis et sanguinis Christi, cum a fidelibus pie et religiose sumuntur, breuiter explicemus: praesertim cum et hoc non satis diligenter et accurate ab omnibus explicetur, sintque, qui omnem efficaciam aut effectum ab sumentis cogitatione repetant, quos nominare non est necesse.

25. Est autem efficacia Sacramenti huius duplex: altera ex eo genere, quod *morale* vocamus, sed ita vt non sit tota cogitationis humanae, vt in sententia Zwingliana: altera tota ipsius corporis et sanguinis Christi, diuina et coelestis, in qua nullae hominis partes sint. Prima igitur illa est in eo, quod in accepto corpore et sanguine Christi est admirabile et amabile pignus expiatorum et condonatorum peccatorum nostrorum, gratiaeque diuinae, quod fideles pie cogitantes, et comparantes suam indignitatem cum benignitatis diuinae tanta magnitudine, tale

tale pignus salutis sibi destinantis et tradentis, intimo, et ad placandum animum certissimo, ad exhilarandum autem suauissimo sensu adficiuntur, adiuuante etiam hunc sensum et acuente Spiritu sancto, vt saepe lacrimae dulces manare incipiant: qua suauitate nihil potest esse optabilius. Nobis quidem ab hoc sensu tanta commendatio accessit sententiae nostrae, vt vel eius caussa nobis carissima sit, et, si in ea error intercederet, quod scimus non esse, eum nobis errorem (condonent lectores nobis hoc verbum) eripi nollemus. Haec igitur vis sacramenti est talis, qualem supra diximus esse debere, si veram, et quam proprie dicimus, vim intelligere velimus. Inest enim in ipsa re Sacramenti, sed sentitur, patefacto, vt ita dicamus, animo ad accipiendum illius sensum per cogitationis fidelis pietatem.

26. Altera autem vis et efficacia, etsi exserit se tantum in fidelibus, tamen, vt diximus, tota est corporis et sanguinis Christi ipsius; eaque se ita profert, vt in eo nullae partes sint hominis fidelis, omnia Christi ipsius; Neque enim sumimus corpus mortuum, nec cruorem, qui iam non sit Christi, sed vtrumque viuum et diuinum filii Dei, operantis per vtrumque, vt instrumentum suum, carum et sanctum, vbi cum fide et pietate sumuntur. In quo profecto nihil statuimus, quod absurdum et incredibile §. 23., ac non dignum sit Christi et benignitate et maiestate: etsi modum rei ignoramus, quem scire nihil refert. Atque haec sententia fuit, haec mens Ecclesiae veteris, quae deinde paullatim coepit corrumpi per ingenia Scholasticorum, vim physicam inducentium, et verba, quae facile in prauum sensum traherentur, vt *operis operati*, quod ab initio nullam aliam efficaciam expressit, quam quae a nobis descripta est, hoc est, quae fit ab ipso Christi corpore et sanguine, sed in iis solis, qui cum fide sumsere, vt habet ipse *Lombardus* in *Sententiis*, *L. IV. dist.* 4. *quaest.* 1. 2.

27. Sed

27. Sed age, etiam dubitationes attingamus, aduersus sententiam nostram inuentas ingeniis vel aduersantium palam, vel minus ei fauentium, quae quidem speciem habeant talem, per quam commoueri homines possint, vt vel labefactetur veritas, vel eripiatur. Et erit haec ratio nobis expeditior, quod loci, vnde responsiones ducantur, fere positi sunt in superioribus. Ceterum quoniam eas dubitationes ita bene perscripsisse et explicasse putatur S. *Werenfelsius* in Diatribe de *Sensu Verborum D.* vt nuper Cel. *Beckius*, oppugnaturus sententiam nostram, optime se facturum existimaret, si eas inde ductas proponeret; nos quoque eas inde sumemus, sed ita, vt quasdam alias adiiciamus. Posthaec de toto genere harum dubitationum dicemus.

28. Ac prima in ore solet esse repugnantia rei totius, propter quam, vt *Werenfelsius* ait, pro lenitate sua, probabilis non sit sententia nostra, vt I. A. *Turretinus*, credi non possit, sed repudiari debeat. Ea repugnantia esset profecto in sententia nostra, eamque sola absurditatis conuinceret, si praesentiam physicam statueremus, quae est necessario visibilis, et loci vnius terminis circumscripta, vt fuit Christi in his terris agentis. Sed talem praesentiam non agnoscimus nec defendimus; estque testatum omnium nostrorum de ea re libris, id genus praesentiae esse ab hac re alienum. Quale autem hoc praesentiae Eucharisticae faciamus, supra demonstratum est, nempe simile diuinae, quae exemplo diuinae praesentiae eius, quae fuit et est in Iesu homine, declarata est, quam nunquam negauere, qui contra nos disputant, sed aduersus Sabellianam et Socinianam haeresin pari nobiscum studio defenderunt: non quo sit plane eadem, vt personalis coniunctio existat, sed similis hactenus, vt adsit symbolis corporis et sanguinis Christi substantia ita, vt non adest aliis rebus. Eam autem non defendimus potentiae diuinae argumento, vt fingunt, nec cum vniuersa omnipraesentia confundimus, sed ab ea distinguimus, et voluntariam

riam

riam facimus, qualem illam superiorem filii Dei in homine Iesu fuisse scimus. Illius autem praesentiae facultatem corpori et sanguini Christi non aliter vindicamus, quam per coniunctionem humanae naturae cum diuina Natura filii Dei talem, per quam, vbi filius Dei sit, aut esse proprio quodam modo possit, ibi etiam sit et esse possit natura humana. In quo nihil repugnantiae esse, exemplo et facto docuimus, quod est argumentum possibilitatis vniuersae euidentissimum, et certissimum. Accedunt promissorum Christi de simili praesentiae genere exempla alia *Matth.* 28. *extr.* et *ibid.* 18. 20. quorum parum memor fuit, qui, Christum nunquam de praesentia sua in his terris promisisse, scripsit.

29. Nec verum est, talem praesentiam esse alienam a consilio (scopo) instituti Sacramenti. Immo ei est aptissima, et sola facit Sacramentum dignum Christi sapientia et bonitate: sine qua nullam vim veram habeat, sine qua nihil accipiatur proprie, sine qua superuacuum sit, nihil nisi admonendi ritus, quo carere homines, cui pares nec minus efficaces vel inuenerint ipsi, vel inuenire possint.

30. At Sacramenta non pertinent ad corpus, sed ad animum. Ergo nihil attinet ore sumi corpus et sanguinem Christi, sed solo animo percipi debent. Vtique, si sumtio ea, quae fit ore, nihil valere ad animi vtilitatem potest, sed, quae ore percipiuntur, tantum corpori alendo prodesse possunt. Sed id secus est. Et intelligi potest, quomodo animo prodesse mirabiliter illa sumtio possit, vt supra est, §. 25. 26. demonstratum. Nec humanae sapientiae est, definire, quomodo Christus debeat animis fidelium succurrere; nec fas est negare, Christi curam fidelium posse tali modo imbecillitati humanae opem ferre, aut eam ita circumscribere, vt non possit id facere etiam modo quodam proprio et peculiari. Non necessitatem absolutam talis rei defendimus, quae omnino

omnino abeſt ab hoc Sacramento, ſed benignitatem Chriſti liberam et prouidam praedicamus et laudamus.

31. Sed ita nouum genus edendi ac bibendi conſtituitur, quod ſit medium inter phyſicum et morale, quorum illud ad corpus, hoc ad animum pertineat, cum non niſi duo eſſe poſſint, quia totidem modo ſunt partes hominis. Enimuero quid nouitatis commemoratio nobis obſit, non videmus, cum totum hoc inſtitutum Chriſti nouum tum fuerit. Et tertium genus edendi nihil abſurdi habet. Nam quid impedit, quo minus ſit genus, quod ſit, vt homo mixtus e corpore et animo, ſic ipſum mixtum actu duplici, corporis primum in accipiendo, animi deinde in fruendo. Id autem genus Sacramento proprium facimus, etiam myſticum appellemus licet, quia primum religioſum eſt, deinde, quia quod editur ac bibitur ore, non incurrit in ſenſus: eſſet enim ea phyſica perceptio: ſed fide modo, verbis et promiſſis Chriſti nitentis, cernitur.

32. At ita non ſumitur corpus Chriſti mortui, ſed viui et glorioſi. Bene. Sed quid id ad rem? Etiam tum viuebat, cum primum diſcipuli edebant ac bibebant, et dabatur corpus morituri poſt, vt nunc datur ante mortui. Nihil hic tempus mutat. Etiam Zwingliani iam per fidem, vt volunt, veſcuntur corpore Chriſti viui et glorioſi, ſed qui olim mortuus fuit, nec eo auertuntur cogitationes a morte Chriſti. Si abſurdum eſt, proprie ſumi corpus Chriſti viui, quia non viuum, ſed mortuum corpus expiauit peccata, etiam abſurdum eſt, corpus viui iam Chriſti cogitatione ſumi, et omnino abſtinendum erit ab Coena ſacra, ſi mortui tantum aut morituri corpus ſumendum eſt.

33. Illa porro de ſenſu verborum Chriſti eo, quem nos facimus, dubitatio, quod de eo diſcipulis in mentem venire non potuerit, cum facilis eſſet ſenſus tropicus, ſupra iam diſſoluta eſt, vt ſperamus, per ea, quae §. 8. diſputata ſunt. Nec eſt conſequens, ſi quis, totius rei impe-

imperitus, verba illa primum audiret, non assequeretur sensum eum, quem nos facimus: igitur nec Apostoli assecuti sunt. Nam iste imperitus omnino nihil intelligeret, nec magis id, quod Zwingliani volunt. Nec totum hoc conuenit Apostolis, per ea, quae loco commemorato diximus.

34. Hoc quoque nostris interdum solet molestum esse, vel sua sponte, vel cum vrgetur ab iis, qui contra disputant, quod Christus, cum primum coenam illam praebebat suis, ipse adsedit mensae in oculis suorum, videturque abhorrens esse, si suum ipse corpus et sanguinem manu tenuerit et tradiderit. Quorum illud tollitur iis, quae de genere praesentiae disputata sunt §. 23. quam non physicam, adeoque non adspectabilem aut contrectabilem intelligi debere ostendimus, sed ex alio genere, quod etsi verum, tamen insensibile est. Alterum autem, etsi ab *Augustino* dictum scimus, tamen nobis plane repudiandum videtur, totumque ortum est ab re non bene intellecta, et perturbata ab iis, qui consecrationis Eucharisticae hanc vim esse existimauere, vt per eam praesens esset corpus Christi ante, quam panis et vinum acciperentur: in quo nobis secus videri, disputauimus in *Anti-Muratorio*, cum locum de Consecratione vel perpurgare vel illustrare tentabamus, existimantes praesentiam corporis et sanguinis Christi non ante intelligi debere, quam cum edamus ac bibamus, et inter edendum ac bibendum: neque enim ea est opus ante, nec ex verbis Christi aliter intelligi perspicue potest. Itaque non cum frangebat ac praebebat edendum panem, corpus se frangere ac dare dixit, sed cum sumtum panem edebant, corpus esse suum, quod ederent, pronunciauit.

35. Obiicitur etiam dubitatio e *memoriae* verbo, quod Christus in Eucharistia sui nos meminisse velit: sed memoriam absentium esse, non praesentium. At primum memoriam Christi latius patere, quam latinum verbum sonet, ante demonstrauimus: deinde, si maxime eius vim plane lati-

latinae consuetudinis modo aestimemus; tamen nihil lucretur, qui per eam nobis aduersetur. Nam in eo, qui sit ita praesens, vt oculis cernatur, memoriae vsus vtique alienus sit: quod secus est in eo, cuius praesentia adspectum oculorum fugiat: alias nec Dei memores esse possemus, quem nobis praesentem esse, non cogitatione modo et verbo, sed re vera, non negauerint.

36. Nec hoc difficile est ad refellendum, quod fuit qui diceret, praesentiam eam, quam nos faceremus, esse alienam a conditione ea, quae nunc sit Christi: quippe per eam reuocari Christum ad conditionem humilitatis terrenae, ταπεινώσεως. Nam id ita esset, si ita sumeretur corpus eius, vt dentibus comminueretur, fieretque obnoxium hominibus, vt fuit in terris. At id praesentiae, quam nos facimus, genus, est potius extollendae quam deprimendae humanitatis Christi, cum sit, vt ostendimus, generis diuini, et sua magnificentia excedat captum rationis humanae.

37. Sunt et alia genera dubitandi, quae aut sunt similia his, quae a nobis sunt dissoluta, vel non habent difficilem explicationem, si teneantur ea, quae a nobis ad explicandam caussam nostram sunt disputata. Itaque, iis praetermissis, in vniuersum aliquid de toto genere talium dubitationum dicendum videtur, per quod caueatur his, qui propter ingenii imbecillitatem, aut aliam quam caussam, expedire se earum velut laqueis non possunt, et propterea aut animo anguntur, aut, si in iis sit aliquid leuitatis, vel ab aetate, vel a vitio quodam prauae consuetudinis, ad veritatem deserendam inclinant.

38. Intelligendum igitur est, dubitationum, quae contra veritatem mouentur, duo genera diligenter esse discernenda. Nam aliud est, quod ad interpretationem verborum Scripturae sacrae ipsam pertinet, e quibus proprie rei iudicium in capitibus fidei pendet: aliud, quod e rei natura, cum notionibus et principiis philosophicis et naturalibus comparata, oritur. Si ex illo sunt genere, debent

debent ſane graues videri, et dignae, in quibus diſſoluendis laboremus, conſiderandis verbis Scripturae et interpretationibus diligenter ad veras et certas interpretandi regulas exigendis. Sed huius profecto generis non eſſe dubitationes, quae in hac cauſſa mouentur ab aduerſariis noſtris, vel infirmis oboriuntur, res ipſa demonſtrat. Et habet profecto noſtra interpretatio locorum omnium characterem facilitatis, altera difficultatis. Sed ἁπλοῦν τὸ ἀληθὲς, *veritas ſimplex et facilis eſt*, erroris defenſio torquet ſe et argutatur. Nam ſi omnia percenſeas, quae contra Eccleſiae noſtrae ſententiam prolata ſunt in medium, non reperias huiusmodi quid, quod noſtram interpretationem ex vſu linguae, contextu, paralleliſmo vitii arguat; ſed omnia ſunt huiusmodi, vt verba illum quoque ſuum figuratum ſenſum habere *poſſe* dicant, in eoque docendo ſe torqueant: *quid impedit, quo minus ſic intelligantur? non video, quare non cet.* quod non eſt certa ratione interpretantis et docentis, ſed fluctuantis, et haerentis, ſiue, vt *Cicero* ait, optantis. Itaque ab argumentis ac dubitationibus, pertinentibus ad interpretandi rationem, celeriter reſiliunt, et ad alterum genus feſtinant: cuius ſunt eae, quae a nobis allatae ſunt.

39. Igitur primum et optimum remedium dubitationum eſt, demonſtrationem ipſam dogmatis diligenter conſiderare, velut eam, quam nos propoſuimus, et omnes eius partes accurate expenſas diiudicare. Eam ſi et verba Scripturarum recte, ſimpliciter, ex vſu linguae et contextu interpretari, e verbis recte explicatis, legitime ratiocinari, e principiis inde vel e natura communi Sacramentorum recte argumentari repereris, denique etiam conſentaneam ſenſui antiquioris Eccleſiae, tum vero acquieſcendum eſt: et tuto conquieſcere animus poteſt, nihil curans dubitationes aliunde repetitas. Etenim eae nullo iure tollere debent aut poſſunt ἀσφάλειαν, et firmitatem aſſenſionis e demonſtratione; ne minuunt quidem: idque vſus in rebus aliis demonſtrat,

 quas

quas aut sensu, aut demonstratione legitima perceptas tenemus: in quibus saepe ingeniorum quorundam, vt Academicorum veterum, Scepticorumque solertia inutilis et luxurians, difficultates mouit, quas aut perpauci tollere de medio possint, aut fortasse omnino nullus. An tu vero, si dubitationibus, aduersus motus veritatem inuentis ab Eleatica schola, et repetitis a recentioribus Scepticis, *Berkeleio* et aliis, aut iis, quae sunt apud *Sextum Empiricum* contra theoremata geometrica, respondere non possis, de motu ipso dubitare, et sensus tuos mendaces existimare, et theoremata geometrica falsa iudicare sustineas? Vnde etiam fit, vt si cui dubitationes tales iniiciantur, in iis tollendis magis, veritatis aduersus alios defendendae caussa, laborare debeat, quam fidei suae conseruandae, nec angi animo et sollicitari, si iis refellendis se imparem sentiat. Et quoniam dubitationes omnes a nouitate magnam speciem solent accipere, prudentiae est, tempus dare animo ad examinandum, dum vis nouitatis frangatur, interea cogitare subinde veritatis argumenta, vt altius descendant in animum, eumque aduersus dubitationum sollicitationes corroborent.

40. In ipsis autem dubitationibus examinandis, oportet in primis habere in promtu notiones praesentiae, et efficaciae Sacramenti, quales a nobis e Scripturis et analogia doctrinae Christianae propositae sunt. Nam illa valebit ad frangendas dubitationes eas, quae maxime solent animos perturbare, cum praesentiam corporis et sanguinis Christi metiuntur communi corporum, adspectabili, et loci certi terminis circumscripta praesentia, quae tota est ab hoc capite aliena, nec a nobis defenditur: haec cauebit, ne verbis magnis decipiamur aduersariorum, cum, sua sententia probata, salua omnia manere Sacramento iactant, eaque re fiamus proniores ad sententiam probandam, quae blanditur ingenio humano specie facilitatis maioris et consensus cum notionibus communibus de corporeis rebus earumque praesentia.

41. His

41. His explicatis, facilius nobis erit respondere ad quaestiones propositas ab duobus ignotis, sed, vt confidimus, probis et religiosis doctoribus Ecclesiae, de quibus sententiam nostram cognoscere cupiant. Prima erat, an, si quis vir cognitae alias probitatis et reuerentiae erga religionem et Scripturas sacras, et integer ab vanitate ingenii in mysteriis religionis tractandis, fateatur sacerdoti, sibi non *prorsus* esse persuasum de praesentia corporis et sanguinis Iesu Christi in Coena sacra, qualem doctrina Ecclesiae nostrae publica defendat, in ceteris omnibus, quae de ipso Sacramento habeat, plane cum ea consentire: an igitur, salua officii religione, possit ad communionem Sacramenti a sacerdote admitti? Altera pertinebat ad sacerdotem ipsum, qui cum illo super ea re disputando labefactatus sit, factus etiam ad alteram sententiam pronior; quid ei per religionem, qua adstrictus est libris doctrinae publicis, fas sit facere: vtrum ei relinquendum sit sacerdotium, quo pie et religiose fungatur, an, salua fide et religione, manere in eo possit? De his rebus, quae sententia nostra sit, communicato etiam cum aliis Theologis doctis et piis consilio, breuiter exponemus.

42. Quod igitur ad eum attinet, qui nobis in prima quaestione descriptus est, tantum absumus, vt neganda Coenae sacrae communione prodendum et molestiis exponendum censeamus, vt eum etiam misericordia dignum, consolandumque, et propter ingenuitatem in aperienda dubitatione, laudandum putemus. Nam quod ait, sibi non *prorsus* persuasum esse, id nullam vim aliam habere potest, si res recte expressa est, vt speramus, quam vel argumenta, quibus sententia nostra defendatur, quaecunque ipse cognouerit, sibi non satis firma videri, vel contrariis argumentis et dubitationibus vtriusque generis dissoluendis se non parem esse, iisque animum esse labefactum. Enimuero, si ita res est, praesertim si de genere posteriori, non fides ei deest, sed πληροφορίας et

 firmi-

firmitas fidei, quae, vt est magnum bonum, ita non necessarium, nec quod omnibus contingat; saltem non deest bona voluntas credendi penitus, si vel melius intelligat argumenta, vel meliora reperiat, denique si dubitandi caussae tolli docendo possint. Ac docet vsus et experientia, caussam talis mali esse fere in genere posteriori. At quis est, qui non interdum tentetur in aliquo genere doctrinae dubitationibus, cum magni illi heroes, *Lutherus*, *Melanchthon*, et alii, id sibi accidere confessi sint, et questi? Assaphus etiam de prouidentia diuina diu dubitauit, quod res secundas impiorum cum ea non posset conciliare, idque genus dubitationis frequens esse, ait *Apol. A. C. p. m.* 153. ob similes difficultates et caussas. Et dubitationes tales sunt interdum fortuitis, sed latentibus et obscuris de caussis, admodum pertinaces, nec statim cedunt certissimis argumentis. Igitur patientia opus est, dum aut dubitationibus vim demat dies, aut bonorum argumentorum vis se exserere possit, quod et ipsum non semper fit repente, vel alia, certe apud illud ingenium, efficaciora reperiantur, quae requirendi voluntas et studium tali viro non deerit. Neque vero dubitandum est, homini in ceteris necessariis capitibus doctrinae recte sentienti, et pio, Coenam sacram fructuosam fore. Nam etsi amittit Sacramentum apud eum efficaciam, quam §. 25. descripsimus; tamen relinquitur altera, eaque etiam maior, quod non minus ceteris percipit verum corpus et sanguinem Christi, cuius praesentia est e promisso Christi, non opinione nostra, nec infirmitate fidei et aliqua tali dubitatione tolli potest; et in ea sumenda tamen aliqua exercitatio fidei relinquitur, qualis est e solo verbo Dei extra Sacramentum, ab admonitione externa. Ceterum sua sponte intelligitur, si constantia dubitandi accedat, aliter iudicandum esse: quod nulla talis dubitatio est perpetua in animo vere pio et verbum Dei religiose tractanti; quem nunquam ita destituit vis diuina, vt dubitationibus plane succumbat.

43. Al-

43. Altera quaestio est superiori non admodum dissimilis, quod et in ea non sententiae nostrae repudiatio diserta est, sed tantum dubitatio similis et ex iisdem caussis exorta. Si igitur nihil amplius sit, resque in eo consistat, non latius procedat, denique in ceteris capitibus religionis omnia consentientia sint doctrinae publicae, nulla profecto necessitas est statim resignandi muneris legitime accepti et bene administrati: immo vero videatur sua sponte succumbere tentationi, si nimis festinet, et quasi renunciet vocationem legitimam. Ceterum sua sponte intelligitur, ei, modeste de se et ingenio suo sentienti, diligenter facienda esse, per quae liberari ab dubitatione possit, secundum ea, quae paullo ante suasimus iis, qui in eas molestias inciderint, vt primum discernat dubitationes philosophicas, quarum contra sententiam claram Scripturarum nulla vis esse potest, ab suspicione Scripturae sacrae non recte intellectae vel explicatae secundum veras et certas interpretandi leges, e qua sola dubitatio esse potest alicuius ponderis, in qua sit laborandum. Vbi vero suspicio haec, excussa diligenter, corroboretur potius, quam debilitetur ac minuatur, resque redierit eo, vt plane falsam putet sententiam publicam, sentiatque assensionis in contrariam partem inclinatae firmitatem, tum vero iam deteriori res est loco. Quamquam nec hic nimis festinandum arbitramur. Neque enim nobis persuademus, ita deseri a Deo pios et probos viros, quales illos fingimus animo, secundum ea, quae de se ipsi scripsere, vt ad veritatis agnitionem redire non possint, nec est credibile, tam repente tantam firmitatem in animo existere posse. Itaque sperare licet, illum sensum firmitatis et opinionem certitudinis in sententia noua, esse ab ipsius et argumentorum, per quae quis a priori sententia est deductus, nouitate, qua vix aliquid est in eo genere fallacius. Itaque non est nimis credendum illi sensui, sed spatium dandum animo, dum nouitatis vim demat dies, et re vtrinque saepe, diligenter et religiose cogitata, con-

ſultisque Theologis doctis et moderatis, et qui, ad exemplum Chriſti, miſericordia imbecillitatis humanae tangantur, *Ebr.* 4, 15. iudicium facere conſtanter poſſit. Quodſi poſt haec omnia tamen opinata illa firmitas aſſenſionis in alteram partem maneat, atque adeo augeatur, tum vero dubium eſſe non poteſt, quin decedendum ſit a munere docendi in Eccleſia noſtra. Neque enim iurisiurandi religio aliter fieri ſinit, et prorſus abhorret a viri boni et Chriſtiani officio, aliis credendum proponere, vt conſentaneum Scripturis, quod ipſe falſum eſſe conſtanter iudicet.

Haec fere habuimus, quae hoc tempore, ſuper argumento propoſito, pro modo exercitationis Academicae ſcriberemus. Quibus ſi quid profeciſſemus, vel ad doctrinam Eccleſiae noſtrae illuſtrandam firmandamue, vel ad animos imbecillos corroborandos conſolandosue, exiſtimabamus, nos, quod valde optandum eſſet, conſecutos. Oramus Deum, Patrem Domini noſtri I. C. vt hunc carum filium ſuum illuſtret in mentibus omnium, et eas gubernet per veritatis ſuae doctrinam, ipſamque veritatem in animis noſtris firmet, roboret, fundet: ei ſit laus et gloria in ſecula omnia!

VINDI-

VINDICIAE
ARBITRII DIVINI
IN
RELIGIONE CONSTITVENDA

VINDICIAE ARBITRII DIVINI IN RELIGIONE CONSTITVENDA

PRAEFATIO.

Vt non omnes corporis morbi per furorem, aut per vim atque impetum, praecipitant vitam humanam, ſed quidam etiam eſt, vt *Plinius* appellat, *Sapientiae morbus*, non minus ille exitialis vitae hominum atque ſaluti: ſic animorum pernicies non modo a prauarum cupiditatum violentia, et ἀθεότητος atque εἰδωλολατρείας, quae ipſiſſima ἀθεότης eſt (Eph. II, 11.) furore venit, ſed in nonnullis etiam ab ipſa ſapientiae, quae felicitatis ſcientia eſſe debet, tranquillitate naſcitur; quos veriſſime dicas cum *Plinio*, *per ſapientiam perire.* In his vel maxime poſuerim eos, qui de religione ita diſputant, vt eam omnem omnino a naturae diuinae humanaeque neceſſitate repetendam contendant, neque vlli rei locum in ea concedant, quae non neceſſariis rationis concluſionibus intelligatur, ſitque cum perfectione diuina et neceſſaria hominis natura neceſſario coniuncta. Etenim nullus alius facile error eſt, qui tanta veritatis ſpecie commendet ſe humani ingenii vanitati, fallatque imprudentes ſapientiae ſimulatione. Quantam enim probabilitatem habet, ſi quis hoc ſe dicat agere, vt nihil in religionem admittatur, quod non totum a perfectione diuina ducatur, ſitque cum natura humana copulatum, dignum adeo maieſtate Dei, dignum ratione hominis. Enimvero hi non modo per ſummam audaciam circumſcribunt arbitrii

arbitrii diuini in religione hominibus constituenda libertatem, quod sine summa impietate fieri non potest, sed etiam repudiant eam, quae diuinitus oblata est, salutem, atque ita, dum sapientiae laudem quaerunt, perniciem inueniunt.

2. Atque ex eo numero sunt inprimis duo capitales, vnus *Tindalius*, qui Euangelium, quod nos vocamus, cum origine rerum omnium adaequando sustulit: alter ille religionis necessariae (*essentialem* ipse vocat) praeco et propugnator, qui religionem ad naturae diuinae humanaeque necessitatem reuocando, et vnius principii angustiis coercendo, totum Christianismum e religione remouit: quorum noti omnibus sunt libri. Contra hos etsi multa sunt a multis scripta, neutiquam contemnenda illa: tamen nondum nobis videtur satis perpurgatus, ad liquidumque perductus in illa disputatione locus is, qui est de arbitrio diuino in religione hominibus praescribenda. Nam ille ipse, qui acutissime contra *Tindalium* disputasse existimatur, *Fosterus*, cuius etiam liber Tindaliani operis germanicae versioni, veluti antidoti loco, subiectus est, etsi attingit illam disputationem, tamen nullo modo accurate perfecteque tractat. Etenim ritus tantum amplectitur, dogmata prorsus relinquit, refertque omnia ad virtutem, nihil ad placationem Dei offensi atque fidem, satis habens ostendere, posse quaedam salubriter in religione constitui, quae virtutem commendent, ad eamque adducant, denique vitia coerceant: in quo erat rei summa, an in ratione salutis et felicitatis consequendae praescribenda aliquid liberum Deo esse possit et arbitrarium, liceatque Deo aliquid a naturali et necessaria religione diuersum constituere, id ne attingere quidem dignatur. Enimuero et loci illius vniuersi, et partis maxime huius tanta est in omni disputatione cum istis hominibus eorumque similibus vis, vt iis bene accurateque explicatis, omnis reliqua disputatio facilis sit atque expedita. Quam ob rem operae pretium nos sperauimus

factu-

facturos, si eam quaestionem diligentius explicaremus. Quod si quis ante nos eo labore iam rite functus est, quem nos quidem non cognouerimus, licebit tamen et nobis, locum illum nostro modo edisserere.

3. Negant ergo ii, quos diximus, aliique, esse consentaneum vel sapientiae diuinae vel iustitiae, vt aliquid additum credamus diuinitus iis religionis capitibus, quae ab ipsa perfectione diuina humanaque natura necessario ducta intelligantur, aut praeter ea, quae ratio humana intelligere possit, esse colendi numinis diuini, aliquid ab hominibus ad beneuolentiam diuinam salutemque tenendam exigi. Nos contra dicimus, neque abhorrere a perfectione diuina, aliquid esse in religione arbitrarium, neque negari posse, talia esse cum hominum salute sapienter a Deo constituta. Erit igitur nobis *tripartita* huius quaestionis *disputatio*. Nam *primo* demonstrabimus, posse a Deo aliquid hominibus, in quocunque statu, religionis nomine praescribi, quod non sit per se necessarium, sed liberum; atque ita Deo ius suum vindicabimus: *deinde*, Deum inde a rerum humanarum initio talia quaedam sanxisse, docebimus, eaque huiusmodi, vt non nisi iis seruandis expedita esset hominibus ratio salutis: *denique*, Deum eo arbitrio cum summa sapientia hominumque commodo vsum esse, vincemus. *Potest Deus arbitrio libero in religione constituenda vti: vsus est* omni tempore: *sapienter* denique *et salutariter vsus est*. Haec tria cum demonstrauerimus, caussa erit perorata.

PARS PRIMA

Posse religionem in quocunque hominum statu arbitraria quaedam habere.

4. Religionis, de qua nobis disputatio instituta est, duplex omnino ratio videtur. Nam non modo ad Deum refertur, et quidem inprimis, sed etiam ad homines. Deum

Deum quidem amplectitur cultu, qui sit eius maiestati, voluntati ac beneficiis consentaneus ac dignus: hominem autem, salute ac felicitate praestanda. Atque nos non sumus ii, qui negemus, Deum sanctissime ex ipsius praescripto colendum fore hominibus, si cultus eius nihil ad ipsorum felicitatem valeret. Etenim non tam, quia prodest, Deum rite coluisse, propterea colendus est, quam, quia iustum est, coli Dominum et auctorem nostri, dignum deinde maiestate eius, denique, qui ita de nobis est meritus. Sed quando felicitatis illa vehemens appetitio ab ipso Deo nobis est insita, ea autem, vt etiam *Cicero* vidit (*Off. II*, 3.) nisi Deum placatum nobis atque benignum habeamus, teneri non potest; non modo concessu, sed etiam iussu diuino, religione seruanda salus quoque nostra felicitasque spectatur. In quo fas est, etiam admirari atque amare benignitatem et φιλανθρωπίαν diuinam, quod, quae etiam sine vtilitatis nostrae respectu praestanda erant, ea ita exigit, vt prope saepius ad nostram salutem referat, quam ad maiestatem atque ad ius suum. Vnde fit, vt *quaestionis* propositae *duae partes* sint. Nam *primo* quaeri potest, *an in religione, quoad Dei maiestatem colit, aliquid arbitrarium esse possit ac voluntarium*, iusque sit Deo, libere sancire, quomodo et quibus rebus coli velit. *Altera* quaestio est, *an liberum sit Deo, praescribere hominibus, quibus rebus seruandis ad felicitatem debeant adspirare.*

5. Iam *primum*, si religio ad solum Dei cultum pertineret, humanam felicitatem non attingeret, aut si in colendo Deo maiestas modo eius spectaretur, nulla humanae indolis ac naturae ratio haberetur: non profecto dubitaremus, quin ea *contenta esse posset* iis, quae ratio humana intelligere potest, officiis, hoc est, naturalibus, necessariis, et cum naturae diuinae perfectione necessario coniunctis, veluti, pietate, totiusque vitae ad naturales leges conformatione. Id intelligi potest ex eo, quod religio talis

talis futura eſt eorum, qui ad beatam illam immortalitatem peruenerint, auctore *Paullo*, 1 *Cor. XIII*, *extr.* *Neque* tamen vel ſic *abhorreret*, naturalibus iſtis religionis officiis quaedam addi a Deo, quibus ſeruandis ac retinendis coli ſe ac placari velit: *nec*, id ſi faceret, in eo *non iure ſuo uteretur*, cui ſi refragari auderent homines, non rebelles ac *θεομάχοι*, omnibus poenis coercendi, viderentur.

6. Nam vt ab *hoc* incipiamus, quomodo contra ius videri poteſt, ſi Deus aliquid exigat ab hominibus, quod non ſua ſponte intelligant eſſe faciendum: aut quomodo non debent homines praeſtare, in quo ſe gratum facturos Deo videant: cum toti ſint et muneris beneficiique, et iuris ditionisque diuinae, eiusque poteſtas in homines ſit ea, qua maior cogitari intelligique non poteſt. Etenim omnis poteſtas legitima in alios, quae quidem a natura ducatur, intelligitur ex harum cauſſarum aliqua: ſi vitam debeas, velut parentibus: ſi te in poteſtatem quacunque de cauſſa, ſiue alimenta petens, ſiue ſecuritatem aliudue quid vtilitatis ſpectans, dederis, vt principibus ciues, dominis ſerui: ſi denique ob iniuriam illatam in ditionem victoris veneris. In his autem longe iuſtiſſimam et cum natura humana coniunctiſſimam exiſtimare conuenit eam, quae a vita data et accepta arceſſitur, quippe valituram etiam tum, ſi primi homines integritatem naturae innocentiamque vitae conſeruatam ad poſteros transmiſiſſent. Enimuero, quae comparatio eſt Dei atque parentum in vita tribuenda, eadem eſſe debet in poteſtate ab illo beneficio nata: vt, quanto plus Deo quam parentibus debeamus, tanto maior eius in nos poteſtas putetur, hoc eſt, tanta, quantam quisque in opus ſuum debet habere: qua maior, immo cui par aut inueniri vſpiam, aut cogitari nulla poteſt. Quare, ſi parentibus, ſi principibus, ſi dominis denique ius eſt, exigere a ſuis non modo ea, quae proprie et neceſſario coniuncta ſunt cum ſuo cuiusque genere poteſtatis, ſed etiam alia, quibus pieta-

pietatem et reuerentiam praeſtari ſibi et declarari velint, nullo modo neceſſaria illa, ſed arbitraria prorſus et libera: quomodo non idem iuris concedendum Deo putemus, cuius longe maiorem in homines eſſe poteſtatem fatemur? aut quomodo ille non poſſit, quibus rebus neceſſariam illam pietatem ſibi praeſtari velit, praeſcribere?

7. Sed non veremur, ne difficilem in hoc concedendo quemquam habituri ſimus, vel ex iis ipſis, contra quos nobis eſt haec diſputatio inſtituta. *Illud* autem negant concedi poſſe, vt conſentaneum putetur perfectioni diuinae, et non potius abhorrens ab eius ſapientia, praeter neceſſaria et naturalia officia arbitrarium quid ſanciri: quippe totum illud arbitrium in pietate praeſtanda et religione cogitari non poſſe, quin imbecillitatis humanae veniat in mentem, cuius labes omnis a perfectionis diuinae cogitatione debeat ſeiungi. In quo eos vehementer falli, paucis demonſtrabimus. Iam primum, quis hoc non intelligit cogitando, aut didicit experiendo, vti vires mentis noſtrae acui, ſic virtutes animi omnes, in quibus princeps eſt omnibus de cauſſis pietas in Deum, conſeruari, ali, augerique exercendo. Itaque quo crebrior exercitatio fuerit pietatis, hoc magis ea corroborabitur: quo rarior et remiſſior, hoc plus languoris trahet, hoc facilius obſcurabitur ſenſus eius, atque adeo exſtinguetur. Quid ergo facere dicemus Deum, cum neceſſariis officiis adiungit arbitraria? nihil profecto aliud, niſi vt largiorem exercendae pietatis materiem praebeat, vt ampliorem aperiat campum, in quo pietas poſſit decurrere, vt acuat eam, augendoque reddat maieſtate et beneficiis ſuis digniorem? Etenim quoties Deo credere iubemur, quoties in quacunque re parere, toties latens in animo pietas excitatur, et ad vim ſuam exſerendam prouocatur: quoties quacunque in re ei credimus, toties ei ſuam veritatem ſapientiamque reddimus: quoties, quod iuſſit, facimus, obedientiam ei praeſtamus, quae etiam

in

in legibus naturalibus, et officiis a conuenientia et natura rerum ductis, religionem continet: nec religio eſt facere, quae naturae rerum ſunt conſentanea, ſed quae Deus vult a nobis fieri, et quidem quoad vult fieri. In illo eſt honeſtas quaedam et decus dignum homine ratione praedito, et conuenientiam rerum intelligente, cum etiam beſtiae, ſed ſine intelligentia, naturae ſuae conuenienter agant: in hoc vno pietas et religio. Magiſtrum eloquentiae laudamus, ſi frequenti et aſſidua exercitatione continet agitatque diſcentium ingenia, ſi propriis quibusdam inſtitutis vtitur, aptis ad efficiendum id, cuius cauſſa quis eius diſciplina vtitur: et prudentiam interpretamur in parentibus, ſi quam plurimis ſuis inſtitutis, et propria quadam ac domeſtica diſciplina excitant in liberis ingenii vim, honeſtatis ac religionis ſenſum et amorem, admiramurque Lycurgum, aliosque Graecorum et Romanorum legislatores, qui publica quadam diſciplina, hoc eſt, ciuilibus officiis et inſtitutis, idem efficere ſtuduerunt. Deus igitur, ſi idem facit in re longe maxima, ſi voluntariis inſtitutis et officiis exercet pietatem hominum, an reprehendi debebit eo nomine, et rem alienam a ſapientia ſua facere dicetur? Nihil eſt, vere dicam, quod mihi magis ſtultum in iſtorum hominum opinione, magisque repugnans rationi videtur; cum ipſi nihil acutius putent, nulli argumento magis confidant.

8. Eſt porro ea natura primum verae pietatis, vt neque ita contineri poſſit animi finibus, quin venire geſtiat in lucem, gaudeatque conſpici, hominum deinde ipſorum, vt proferre debeant in adſpectum pietatem, vel exemplo aliis futuram, vel incitamento. Etenim, vt quisque eſt amantior alterius, eo magis cupit facere quam plurima, quibus teſtetur amorem, angiturque animo, ſi aut nullam aut exiguam ſibi eius rei facultatem datam videt. Itaque etiam in beneficii et gratiae loco numerat, ſi eius rei ſibi occaſio quam ſaepiſſime ſuppeditetur.

Et quando in omni genere plurimum valent exempla, officiique humani est, quam plurimum prodesse aliis, vt in rebus ad vitam humanam pertinentibus, ita, atque multo adeo magis, in iis, quibus mentis animique perfectio continetur: quis non videt esse consentaneum, vt quam plurima sint constituta, quibus agendis pietas in Deum declarari et velut adspectabilis reddi possit. Etenim hoc genus natura ipsa parum definitur, sed totum prope arbitrarium est ac voluntarium: habentque actiones externae pietatis illius significationem, non necessario ac natura sua, sed interpretatione atque opinione: quae existere non potest, nisi ab lege aliqua atque instituto. Eam legem autem a quo fas est sanciri, nisi a Deo ipso, qui grauissime sapientissimeque potest, et ad naturam suam humanamque quam maxime accommodate? Videmus in hominibus, velut Regibus, colendis honorandisque quanta varietas sit et inconstantia, aliis apud alios honoris habendi generibus more receptis, in iisque quam multa sint parum grauiter atque adeo inepte ridiculeque constituta. An vero idem in diuino cultu euenturum non putamus, si honoris Deo actionibus externis habendi modus hominum arbitrio permittatur? Immo vero, vt opinor, multo magis. Ego quidem etsi saepe risi in Officiorum aulicorum formulis cognoscendis, quae apud gentem quamque vel more vel lege valuere; tamen multo saepius risi in legendis ritibus, quos gentium profanarum dementia in deastris suis colendis, sacrisque faciendis vsurpauit. Inter ipsos Christianos quam multa ridicule et inepte olim commenta sit superstitio, nemo ignorat. Huic igitur malo, in hac hominum natura prope necessario et ineuitabili, occurri nulla alia re, nisi diuina lege potest, quae doceat, quibus rebus occupari pietas debeat, coerceatque insitum illud hominibus inepta et ridicula in hoc genere comminiscendi studium, quo nullum clarius signum corruptelae naturalis scio. Quod si humani legislatores ciuitatumque conditores hoc ad curam suam retulerunt, vt

Deo-

Deorum externis actionibus colendorum formulas praescriberent ciuibus, ne incerta vagaretur religio, aut inepta et absona comminisceretur vulgi stultitia, eoque nomine a prudentibus collaudati sunt, veluti *Romulus* et *Numa Pompilius* ab *Halicarnassio Dionysio* (*L. II. p.* 90. *f.*) et *Polybio* (*VI*, 54.): quomodo a diuina sapientia abhorrere potest, ad hanc curam descendere, et pietatis exercendae quandam veluti disciplinam et formulam hominibus constituere? praesertim cum ea re sola consuli possit humani animi tranquillitati, efficique, vt cum fiducia quadam versari in exercenda pietate possit. Etenim etiam in honore hominibus habendo, videmus, quam saepe aberret opinio honorem habentis ab iudicio eius, cui honos habetur: quam saepe, quae ad honorem comparata ac suscepta erant, in alteram partem accipiantur, certe fastidiantur ac repudientur: vnde fit, vt in aulis modus Principis colendi venerandique ab ipso definiatur, quo seruando sciant omnes, gratos se domino futuros.

9. Atque ego non ignoro, longe in hoc discrepare rationem diuinam ab humana: mentem magis animumque spectari a Deo, quam verborum actionumque formulas: neque tam quid quisque dicat faciatue colendi sui caussa, quam quo consilio et animo. Sed tamen habet haec quoque ratio suum modum, eumque duplicitet. Nam primum, etsi dignum est benignitate et sapientia diuina, animi maxime rationem habere, in iis rebus, quarum pretium omne est ab animo, cuius declarandi caussa suscipiuntur: tamen eadem sapientia diuina, multoque magis maiestas postulat, vt ipsae res, quae debeant esse expromendi illius animi, habeant aliquid dignitatis, et conuenientem quendam cum maiestati diuinae, tum ipsius officii sanctitati quasi ornatum ac decorem; idque adeo magis, quod ratio etiam in ceteris actionibus humanis tale quid flagitat. (*Cicero Off. I*, 35.) Artaxerxes quidem ille apud *Aelianum* (*V. H. I*, 32.) Mnemon, etsi pro

magnitudine animi sui magis delectabatur paucula aqua, ab rustico doni loco data, quam ceterorum quamuis magnis muneribus, enixum pietatis significandae studium intuens: tamen minime credo, aequo laturum animo fuisse, si quis in se adeundo illud προσκυνεῖν omittere, et alio gestu vti, aut omnino genere aliquo non constituto legibus honorem habere voluisset. Omnino duo in hac re diligenter distinguere conuenit, *genus pietatis prodendae*, et *generis cuiusque modum*. Genus quidem ipsum debet esse idoneum proferendae exercendaeque pietati, et dignum eo, quem pietas amplectitur: in modo autem generis cuiusque praestandi, animi maxime integritatem conuenit spectari. In genere igitur ipso quaedam necessitas debet intelligi, siue a natura, siue a praecepto diuino orta; in modo autem eius aliquid liberi relinquitur, si animo constet pietas. Supplicare, vt hoc vtar, Deo, gratias agere pro beneficiis, necessarium est: vtrum meditato et diserto carmine nec ne, nihil refert, modo animus confidat potentia et bonitate Dei, sitque intimo benignitatis sensu percitus: nec necessarium est, si id palam fiat, quo tempore ac die, quoue loco fiat. Vnde fit primum, vt, etiamsi Deus animos maxime hominum spectat, internamque pietatem, tamen homini genera honoris extrinsecus habendi non sint libera, sed ea potius sint sequenda, quae grata Deo constet fore. Deinde, etiamsi in modo generis cuiusque natura aliquid est liberum: tamen nullo modo repugnat sapientiae diuinae, ea lege definire, et ita vel dignitati suae, vel hominum sollicitudini et imbecillitati succurrere.

10. Iam porro non est, quod quis dicat, illud ipsum, quid sit dignum Deo, adsequi humanum ingenium posse, neque lege diuina opus esse. Nam primum, id reuincit vsus et experientia, vt ante dictum est, (§. 8.) et sapientissimi populi in eo fere se stultissimos praebuere. Aegyptiorum quidem sapientia, etiam sacris literis celebrata, religio-

religionem peperit refertam rebus infanissimis. Deinde si id vel maxime possit contingere paucis, longius in sapientia progressis, non tamen propterea non necessaria et vtilissima erit lex diuina. Omnes leges ciuiles repudiemus et inutiles dicamus licet, si ista ratio valet. Quis enim dubitet, sua sponte homines intelligere posse, et in vna quaque ciuitate esse, qui, quid publice sit vtile et salutare, per se, nullaque lege humana edocti, videant? Non perexiguo sapientissimorum hominum numero, quid necessarium sit generi humano, aestimandum est, sed infinita ceterorum multitudine. Denique, videant alii quid sapientes, laborentque docere alios; nunquam tamen neque eam auctoritatem habebit paucorum istorum oratio, vt in ea acquiescant omnes, neo eam vim, vt omnem dubitationem eximat animis, satisne gratum sint Deo facturi. Est enim insitum hoc animis, vt in honore habendo eius potius, cui habetur, quam habentis iudicium sit videndum, eaque inter se valde discrepare possint. Itaque nunquam animis satis certis et tranquillis pietatis externas illas partes obibunt; quo nihil miserius esse arbitror. Nullo modo igitur neque a sapientia, neque a benignitate diuina abhorret, occurrere huic dubitationi atque sollicitudini humanae, definiendo, sanciendo, quomodo et quibus rebus coli velit; in beneficioque adeo Dei maximo reponendum est, si certam colendi sui formulam hominibus praescribat.

11. Neque vero in eo fas est arbitrium diuinum ita adstringere ac coercere certis legibus, vt ei nihil in hoc genere liceat praescribere, nisi quod natura sua sit cum necessariis pietatis officiis sua sponte coniunctum: quod volunt hi, qui nonnulla huius generis diuinitus tradita hominibus concedere quidem videntur, ceterum nihil discrepare, contendunt, a naturalibus officiis, neque arbitrarie constituta, sed necessario sancita pugnant, atque ea ad religionem et legem naturae reuocare quouis modo

 labo-

laborant. Etenim ante vicimus, primum salutare esse priuatim ac publice, pietatem quamplurimis modis exerceri: deinde ea, quae per se vim exercendae, proferendae, augendaeque pietatis non habeant, hanc vim accipere posse constitutione aliqua: veluti verborum soni, cum sint indifferentes ad quamcunque rem significandam, more et consuetudine certae rei exprimendae accommodari possunt: constitutionem porro istam, consentaneum esse, proficisci a Deo ipso: quod is delectum talium rerum et optime facere possit, et cum maxima auctoritate: in beneficii denique loco esse numerandum, si Deus ita faciat. Quamobrem omnino liberum Deo iudicandum est, minimeque abhorrens ab eius perfectione, actionibus certis lege tribuere hanc vim, vt iis obeundis coli atque honorari possit, si nihil insit, quod maiestati ipsius aduersetur: quod eum vel commissurum, vel committere posse, nefas est, vel suspicari.

12. Arbitror planum factum, quod propositum erat, intelligique, si religio vel maxime ad Deum solum referatur, nulla hominis ratio habeatur, tamen neque a iure diuino, neque ab sapientia et benignitate eius abhorrere superaddita necessariis arbitraria officia, eaque de caussa haec quoque studiose diligenterque esse seruanda. Sed, vt ante diximus, religio non modo ad Dei cultum, sed etiam ad hominis felicitatem pertinet, debetque esse non modo digna maiestate diuina, verum etiam accommodata ad naturam humanam, vt colendo pariter apta sit et colenti. Quorum vtrumque est eiusmodi, vt magna argumenta praebeat, ex quibus intelligi possit, multa posse constitui diuinitus in religione praeter naturalia illa, quae saepe diximus, officia, quibus neglectis nullo modo felicitas teneri possit, in eoque Deum et iure suo, et sapienter facere, et maximo beneficio genus humanum afficere. Primum igitur fontem huius demonstrationis nostrae habemus *naturam felicitatis humanae, omninoque*

bono-

bonorum, homini vel expetendorum, vel sperandorum: alterum autem *humanae naturae indolem atque conditionem.* Ex his duabus rebus quomodo argumenta asserendi diuini in caussa religionis arbitrii ducantur, age, videamus.

§ 13. Iam, quod ad felicitatem et bona hominibus vel data vel destinata diuinitus, atque adeo expetenda, pertinet, hoc mihi primum velim concedi, vt, *si bona illa atque felicitas habeant hanc conditionem atque naturam, vt cum nullo genere actionum humanarum naturali ac necessario vinculo copulentur, sintque liberae benignitatis et quasi redundantis liberae beneficia, vt igitur leges et conditiones eorum a Deo consequendorum, et officia fruentium pariter arbitraria sint et libera eorum auctori, neque vllo modo ex ipsa naturae diuinae humanaeque naturali cognitione intelligantur.* Ex quo consequetur, vt, si Deus naturalibus religionis officiis hoc tribuat, vt iis seruandis homines et satis grati pro talibus acceptis, et digni futuris habeantur, id totum non ipsis officiis, eorumque naturae, hoc est, naturali bonitati, sed liberae Dei benignitati debeatur, quae remittere de iure suo, et necessario officiorum genere contenta esse velit. Concedi ista mihi, de Mathematicorum more, postulaui. Iure, vt opinor, meo. Sunt enim ita perspicua, vt, si quis rationibus subtiliter reddendis velit illustrare, ei magnopere verendum sit, ne fiat id, quod *Cicero* in Oratore dicit, vt illustrando fiant obscura. Nam et communes rerum notiones, et vsus vitae quotidianae, ita esse clamant, negantique vehementer repugnant. Quid enim repugnantius est, magisque absonum, quam, quae in promittendo atque largiendo libera sunt et arbitraria, ea non seruare libertatem in accipiendi conditione, neque liberum relinqui ei, a quo proficiscantur, ad quos, quidque praestantes ea peruenire, et quid pro iis sibi praestari velit? Quam porro indignum est atque ingratum, liberalitatem, quae ipso nomine liberam se et sui iuris indicat, quam nemo iure postulare

a quoquam poteſt, his legibus atque huic neceſſitati ſubiici, vt nihil, quamuis aequum et facile, audeat poſtulare ab iis, quibus ſe largam praebeat; ſed cogatur eſſe contenta iis, quae ſponte ac per ſe, nullo extraordinario beneficio neque promiſſo neque dato, vel facturi erant, vel facere debebant? Dicat hoc filius parenti, ſtrenam daturo, vel accepta iam ſtrena. Quamuis indulgens pater, quamuis facilis, nihil alioqui praeter ordinaria pietatis in ſe ſigna poſtulans, tamen commouebitur, tamen vel omittet liberalitatem minuetue, vel eum dati doni poenitebit. Dixiſſet hoc aliquis Alexandro, Caeſari, Tito, liberaliſſimis et maximi animi hominibus, beneficia aut reuocaſſent data, aut negaſſent promiſſa. Qui heredem ſcribunt, praeſertim non ſuum, aut legitimum, aut in legatariis ponunt aliquem; hoc ſemper iure vſi ſunt, vt iis liberum eſſet, conditionem, quam vellent, hereditatis cernendae, legatiue capiundi ponere, qua repudiata aut neglecta exciderent beneficio. Liberum eſt heredi legatarioue dicere, conditione tua non vtor: conditione non ſtanti, beneficio teſtamenti vti, ius non eſt. Atque adeo non iniqui putantur, qui aliquid cum conditione vel largiuntur, vel pollicentur, vt contra iniqui et ſtulti iudicentur ab omnibus, qui beneficium ſine propoſita conditione, velut hereditatem ſine ſacris, et ſpolia ſine ſudore ac ſanguine, accipere velint. Non agonotheta iniuſtus eſt, qui palmam legitime vincenti ponat, ſed qui non victor, ne certamine quidem inito, palmam petat.

14. Neque vero eſt, quod quis dicat: humana iſta eſſe, a Dei perfectione autem aliena: magnanimum eſſe, multoque magis diuinum, beneficia ſimpliciter et ſine conditione dare. Etenim non quaeritur: an liberalitas ſine conditione eſſe poſſit: ſed an eſſe debeat. De iure quaeſtio eſt. Liberum cuique eſſe debet, quem modum liberalitatis ſuae velit eſſe: idque ex ipſis rerum notionibus intelligitur ſenſuque communi. Liberale eſt, beneficium

ficium dare sine conditione: at non minus liberale, cum conditionis adiunctione. Magnus et excellens animus in beneficii magnitudine cernitur, non in conditionis sublatione. Immo pusilli et ingrati est, accusare beneficii conditionem. Tum magnitudo animi est, in conditionibus non suum commodum ponere, in primis maius, quam dederis; non, omnem conditionem remouere. Atque etiam est, vbi conditione augetur beneficium, si est eiusmodi, vt in ea accipientis potius, quam tribuentis vtilitas spectata esse videatur. Duplex beneficium est, quod talem conditionem adiunctam habet. Atque tales esse conditiones, quas Deus beneficiis suis adscribat, alia disputationis huius parte demonstrabitur. Ex quibus omnibus fit, vt non ipsa *conditionis* adiunctio, *quae est dandi accipiendique lex et modus*, humanae aliquid labis habeat, sed conditionis vel vanitas vel stultitia: quae omnis, id quod in tota hac disputatione intelligi debet, patetque per se, longissime abest ab iis, quibus beneficia sua Deus adstringit. Sit igitur firmum hoc, persuasumque omnibus, quod conuelli nulla ratione potest, vt, si beneficia diuina, quibus vtimur, in primisque felicitas illa, quam a morte corporis speramus, non sint necessitate quadam naturali cum actionibus humanis, nominatimque cum naturalibus illis religionis officiis, tanquam effecta cum caussis certis et necessariis, coniuncta, sed a libera benignitate Dei proficiscantur, ius sit Deo, legem conditionemque fruendi accipiendique, quam velit, facere, neque in eo quicquam intelligi posse, quod eius vel benignitati, vel sapientiae, vel maiestati aduersetur.

15. Hoc igitur fundamento posito, sequitur, vt bonorum diuinorum rationem atque naturam consideremus. Dico igitur primum, in omni humani generis statu atque conditione plurima ei vniuerso, aut parti eius, a Deo vel tributa vel promissa esse, quae haberent hanc naturam, vt nullo vinculo cum naturalis ac necessariae pietatis

actionibus copulata intelligerentur: deinde, ea maxime esse eiusmodi, quae post hanc vitam sperare iubeamur. In priori genere duae sunt formae: quarum alteri subiecta sunt bona ea, quae quisque humani generis status propria habet; alteri autem communia vtrique. Vt ab his incipiamus, quoquo vertas oculos aut cogitationem, quam plurima occurrunt et maxima: nisi quis hanc animo imbiberit opinionem, vt omnia, quae sunt, coeca quadam fati necessitate extitisse opinetur: quod non magis, quia sine ratione est, brutum appellari conuenit, quam, quia brutis potius, quam hominibus, ratione praeditis, dignum est. Sed cum hoc hominum genere nulla nobis est disputatio; quippe quod Deum religionemque omnem, si non verbis, at re omnino tollit. Ne autem nimis late vagetur disputatio, coerceatur sensuum corporeorum finibus: qui tamen et ipsi non ita sunt anguste positi, vt non satis amplus ei campus pateat, in quem possit excurrere. Primum igitur, cum ad alendum hoc corpus nostrum vitamque sustentandam necessarius esset victus ac potus, naturae corporis aptus; tamen neque illa tanta suauitas, quae potu ciboque, etiam tenuiori, sumendo percipitur, neque exquisiti et suauissimi cibi copia et varietas necessaria fuit. Tanta innata est hominibus vitae dulcedo, vt alimenta sumerent, etiamsi sola necessitate cogerentur, nulla suauitate allicerentur: quippe aegrotantes videmus, propter vitae cupiditatem ac spem, medicamenta deuorare, non modo nulla suauitate commendata, sed etiam amaritudine inuisa. Tum, vt animalibus brutis aqua et paucae definitaeque herbae, aut radices ac semina sufficiunt: sic nostra quoque natura aquae panisque simplicitate ac tenuitate contenta esse et poterat, et futura erat, si eadem cum ceteris animantibus conditione vti nos Deus voluisset, Est igitur omnis illa et suauitas et copia non necessitati naturae humanae necessario concessa, sed diuina quadam indulgentia hominum deliciis libere donata. Atque simillima est ratio ceterorum

rorum

rerum sensuum, quorum suauitati benignitate diuina copiosissime prouisum videmus. Illud porro constat inter Philosophos, qui diligentius naturam rerum corporearum ac sensibilium, ipsorumque sensuum, indagauerunt, nullam esse necessitatem absolutam in sensibus: non, vt non necesse sit, sentire, vbi integris sentiendi instrumentis vis animi sentiens ad percipiendas res externas incumbat: sed vt non necessario ita adficiantur sensus animique rerum sensibilium impulsu, vt nunc quidem, in hac rerum constitutione, mouentur. Totam illam coniunctionem (σχέσιν vocant Graeci, relationem Philosophi nostri) quae sensus et corporeas res intercedit, ita, vti nunc est, constituit, non necessitati obediens intelligentia diuina, sed consulens hominum suauitati arbitrium diuini numinis. Nam, vt de oculis modo dicam, haec tam pulchra species, cum vniuersi mundi, quam vere *Cicero* insatiabilem vocat, tum rerum singularum in hac terra, quarum exquisitum ornatum ac decus in coloribus figurisque nec satis admirari, nec sine magna suauitate intueri possumus, nobis quidem aut periret magna parte, aut plane alia fieret, mutata leuiter vel oculorum structura vel cerebri, omninoque ea, quam ante dixi, rerum corporearum ad oculos relatione, et luminis in oculos actione: quod fuisse in potestate Dei, nemo ambigat. Igitur ea, quae nunc est instituta diuinitus, in magna indulgentiae liberae parte numerari debet, volentis nobis hoc domicilium nostrum quam pulcherrimum atque suauissimum efficere. Sed haec et alia his similia, quae non inutiliter ad religionem et pietatem referuntur, qui est scientiae naturalis fructus pulcherrimus, fortasse nimis subtilia et philosophica sunt: ad ea, quae cum Theologia coniunctiora sunt, veniamus.

16. In prima igitur hominis recens creati conditione quam multa et magna fuere, quae nihil coniuncti haberent cum naturalibus hominis officiis? Nam primum immortalitas corporis ei data erat, (*Gen. II*, 9. *coll. III*, 22.) vt

vt non modo animo, ſed etiam corpore ſimilitudinem immortalis parentis referret: quae ſi ab officiorum obſervatione et ſanctitate naſceretur, nunc etiam poſſet homini vere Chriſtiano contingere, vt Britannus quidam ſomniauit. Acceſſit imperium in beſtias omnes, (*Gen. II*, 26. 28.) diſſimile huic noſtrae vel arti vel tyrannidi, quae in illius vitae nudae et inermis ſimplicitatem non cadebat. Domicilium autem, quod homini in amoeniſſimo et copioſo fructuum omnium deliciis paradiſo conſtitutum erat diuinitus, quam nihil habet ſimile neceſſitati alicui officiorum, omnia ſimillima beneficentiae libertati? Quicquid denique homo habuit boni in animo, cuius cauſſa imagine Dei ornatus diceretur, id omne ei deſtinatum ac donatum fuit ante, quam vllo officio demereri Deum poſſet. Amiſſa ſunt bona illa, violata lege diuina. Redacti homines ad conditionem triſtem, animo cupiditatibus inquinato, corpore cum aliis incommodis, tum morbis et morti obnoxio, tota denique vita referta laboribus, et calamitatibus atque moleſtiis propoſita. In hac ipſa tamen conditione, non modo relicta ſunt illa, de quibus ante dictum eſt (§. 15.) bona, communia omnibus, ſed multa etiam promiſſa multis et tributa, in quibus facile apparet, nihil neceſſitati vlli officiorum, omnia liberalitatis diuinae arbitrio deberi: vt docet Paullus *Rom. IX*, 11. 12. 13. Quae primis hominibus, recenti delicto, (*Gen. III*, 15.) Noacho poſtea (*ibid. XI*, 9 *ſeqq.*) Abrahamo deinde et poſteritati eius (*XII*, 2. 3. 7. *cet.*) promiſſa et data ſunt, ea quis non videt, nullo vinculo coniuncta eſſe cum vllo officio? omnia eſſe libera et arbitraria in tribuendo? Quicquid denique Chriſtiana religio pollicetur proprie, ex iis nihil eſt, in quo officiorum naturalium ac neceſſariorum aliqua vis et efficientia agnoſci debeat.

17. In iis autem bonis, quorum ſpes facta eſt generi humano communiter promiſſione diuina, principatum tenet felicitas ea, quae poſt hanc vitam terrenam contingit.

tingit. Eius ſpem primis ſtatim hominibus, in principio vitae, cum integritatem adhuc retinerent, propoſitam a Deo fuiſſe, quis dubitet, qui eam redditam, integritate amiſſa, fateatur. Nam, qui promiſſa, v. c. Abrahamo poſteriſque eius bona rerum caducarum poſſeſſione cohibent, immortalitatis illius beatae et ſcientia et ſpe excluſa, omninoque veteri teſtamento nihil, niſi mortalium bonorum ſpem relinquunt, ii profecto nimis humiliter de religione diuinitus tradita ſentiunt, nec vim promiſſorum diuinorum vllo modo adſequuntur. Paullus quidem (*Tit. I*, 2.) ſpem vitae aeternae cum ipſis rerum humanarum initiis adaequat. Eam enim Deum fallere neſcium, ait, *ἐπαγγείλασθαι πρὸ χρόνων αἰωνίων*, *promiſiſſe ante antiquiſſima tempora*, i. e. initio rerum humanarum. Nam *ἐπηγγείλατο* qui *deſtinauit* interpretantur, quod *χρόνους αἰωνίους* de ea, quae proprie dicitur in ſubtilitate diſſerendi, aeternitate accipiunt, non vident, nec *ἐπαγγέλλεσθαι* ſic dici, nec *τὸ ἀψευδὲς*, quod Deo *ἐπαγγειλαμένῳ* tribuitur, de deſtinatione accipi poſſe, in qua non *τὸ ἀψευδὲς*, ſed *τὸ ἀμεταμέλητον*, non *veracitas*, ſed *conſtantia* intelligi poteſt. Χρόνοι autem *αἰώνιοι*, ſi non de infinita illa aeternitate capiuntur, quid aliud, quam initia rerum humanarum, longe antiquiſſima tempora ſignificare poſſunt? de quibus capiebat *Aquinas*, *aeterna* interpretans *antiqua:* quod, miror, non cepiſſe *Eraſmum* ad h. l. In quo clarum eſt, Apoſtolum in animo habuiſſe promiſſiones, quas Adamo, Abrahamo Deus ipſe, aliis deinde per prophetas fecerat, de vita aeterna per Chriſtum ſperanda. *Rom. I*, 2. Illa ipſa autem vita quam ſapienter per imagines adumbrata priſcis mortalium fuit, primum Paradiſi, in ſtatu integritatis humanae, a quo poſt etiam nomen ei inter Iudaeos manſit: quod profecto non temere, aut inuento humano, ſed interpretatione vetere diuina et prophetica factum: deinde, ab Abrahami temporibus, terrae Cananaeae, cuius nomen etiam nunc in beatorum coeleſtibus ſedibus appel-

appellandis vſurpamus, ducta conſuetudine a veterrimis Eccleſiae temporibus, quae id ipſum ex incorrupta veteris Iudaicae Eccleſiae diſciplina hauſit. Nam etiam ſic vel docebantur, vel admonebantur, δῶρον eſſe beatam illam vitam, beneficium gratuitum, in quo ſola benignitas diuina cerneretur, nulla veluti mercedis neceſſitas valeret, aut coniunctio quaedam naturalis ac neceſſaria cum officiorum conſeruatione intelligeretur.

18. Sed de illa ipſa felicitate, quae et a morte corporis, et ab reuocato in vitam corpore ſperatur, etſi non ita nobis vel literis diuinis traditum eſt, vel perſpectum ratione, vt, qualis ea futura ſit, plane perfecteque ſciamus: hactenus tamen eius natura nobis patefacta eſt, vt intelligi poſſit, eam non eſſe cum virtute naturali ita, vt effecta cum cauſſis ſuis ſolent, copulatam. Rationem primum audiamus. Ea vero etſi, in animo ſeiuncto a corpore ſenſibusque corporeis, vix aliquid intelligit felicitatis, niſi quod a conſcientia recte factorum, et ſcientia rerum bonarum, maxime diuinarum, ducatur: negat tamen, ea contentum eſſe ad iuſtam felicitatem poſſe animum humanum, aut expleri aeternitatis immenſitatem, aut cadere eam poſſe in mentes eorum, qui diem ſuum ante obierunt, quam, quod rectum eſſet, vel ſcire, vel facere poſſent, atque ita felicitatis iſtius praeſidia comparare. Quae ſunt planius ediſſerenda. Animi humani e corpore egreſſi vitam ratio, ſua perſpicientia nixa, et ſuarum concluſionum finibus ſe continens, non aliam intelligere poteſt, quam qualis eſt in mortali corpore, cum nullis ſenſuum et rerum externarum impulſionibus mouetur, vt in magna tenebrarum obſcuritate, et alto noctis ſilentio, cum nihil animo relinquitur, praeter memoriam rerum perceptarum, et conſcientiam eorum, quae egimus, quae ipſa memoriae vis eſt, denique agitationem quandam mentis et cogitationum, quae ſuo modo tractet res ſenſu aut ſcientia ante comprehenſas. E tali autem vita felicitas naſci ſola haec poteſt, quae

inſit

infit in quadam et tranquillitate et oblectatione, qualis esse in memoria et cogitatione rerum bonarum solet, sed quam illa ipsa ratio, vti dixi, non concedat, satis dignam esse altera illa vita, in qua natura longe maius quid, et plenius, atque, vt ita dicam, diuinius cogitamus, atque etiam requirimus: sicut miseriam improborum non solis naturalibus conscientiae poenis circumscribimus, sed aliis maioribus malis augemus. Nulla vnquam, quod ego quidem sciam, gens fuit, quin aliqua spe ac metu vitae alterius teneretur: siue ductam ab antiquissimis et incorruptis temporibus, et relictam a maioribus opinionem eam haberent, siue, id quod doctissimi homines existimauere, ipsa natura homines in hanc suspicionem atque opinionem deduceret. Enimuero nulla felicitatem alterius vitae tranquillitate illa et oblectatione cogitandi terminauit: omnes aliorum bonorum accessione cumulauere. In quo etsi suum quaeque ingenium moresque secuta, compleuit omnia opinionum temeritate et stultitia, vt fit necessario, cum, in rebus non necessariis et voluntariis cognoscendis ac definiendis, coniecturas sequimur: illud tamen boni existit ex ista opinionum varietate et vanitate, vt intelligatur id, quod volumus, felicitatem futurae vitae latius patere illo naturali ac necessario virtutis et sapientiae fructu, atque multa et magna arbitrariorum bonorum veluti auctaria habere.

19. Ac profecto, si in vita altera nihil ad felicitatem detur animo, praeter ea, quae diximus, naturaliter illa cum hac vita et officiorum naturalium conseruatione coniuncta, nullo modo plena, et perfecta, et aeternitati sufficiens felicitas intelligi potest. Ea enim possessionem fructumque bonorum desiderat eorum, quae non modo puram ab omni mortalitatis humanae labe voluptatem praebeant, sed etiam nunquam, per infinita secula, satietatem allaturam, semper, vt ita dicam, nouitatis gratiam conseruaturam, semper crescentem, et noua quadam accessione se commendantem. Talis igitur esse potest

feli-

felicitas animi humani, si nihil in altera vita inuenerit, quam quod ex hac deportarit? si contentus esse debet partis in priore vita bonis suis? Primum illi ipsi, qui virtutem et sapientiam, quamuis magnam, in nouam illam vitam detulerint, non similes erunt istis commentitiis Epicuri Diis, qui in intermundiis collocati, conscientia tranquillitatis suae et cogitatione hac se per omnem aeternitatem sustentant: *belle mihi est?* cuius, meo sensu atque animo, celeriter satietas venerit. Enimuero, quid futurum est iis, qui honeste quidem vitam transegerunt, ceterum implicati vitae humanae negotiis, non potuerunt sapientiae copiam comparare eam, qua frui in altera vita possent? Quid iis, qui acerbo fato in principio vitae functi, nihil eorum ex hac vita deportarunt, quibus fruendis oblectare se possent? An in altera vita nihil aliud, quam dormire, dicemus? quales eos fingit in limbo infantum Romanae Ecclesiae opinio. Incredibile dictu est, in quot difficultates se induant, qui hoc defendere audeant, nihil esse in altera vita, quod non ab hac mortali, necessitate quadam naturali ducatur. Enimuero hoc defendant necesse est omnes, qui negare Deo hoc ius sustineant, vt possit in religione aliquid praeter naturalia ac necessaria officia constituere.

20. Ac nos ita disputamus, vt nullam rationem habeamus corporis, suo tempore instaurandi. Quod etsi ratio humana ignorat: tamen, si auctoritati diuinae, vt debet, concedens crediderit, vt quidam volunt videri ex iis, contra quos disputamus, statim videat necesse est, in illius nouae vitae felicitate esse debere bona, quae nullam necessariam copulationem habeant, cum vita superiore, et officiis humanis, sed indulgentia diuina praeparata et destinata sint immortalitati. Nam si felicitas coelestis cum corpore communicari debet, habeat oportet bona etiam eiusmodi, quorum suauitas per corpus ad animum perueniat: in quibus sua sponte intelligitur, libera Deo relinqui omnia. Sed haec plenius et efficacius demon-

demonſtrant literae diuinae: quae primum clare docent, reditura in vitam corpora noſtra, et in communionem felicitatis coeleſtis ventura, 1 *Cor. XV.* quod totum beneficium eſt arbitrio, et libera benignitate Dei conſtitutum: deinde, ſummam iſtius felicitatis ineſſe in adſpectu ſenſuque maieſtatis diuinae, ea animum corpusque expleturo voluptate, quae puriſſima ſit, et cum ſatietate quadam inſatiabilis, ſemper recens, ſemper creſcens: *Pſalm. XVI.* 11. *XVII,* 15. quorum altero Dauid ſibi in vitam reuocato pollicetur ſatietatem ab adſpectu Dei; (*Euſebius* ad *Pſ. XVII,* 15. interpretatur bene: *πληρωθήσομαι καὶ χορτασθήσομαι πάσης ἡδονῆς, Collect. PP. Montefalc. T. I. p.* 59.) in altero Meſſias docet fideles, ab adſpectu Dei eſſe שֹׂבַע שְׂמָחוֹת *ſatietatem gaudiorum,* gaudium ſatians et penitus explens immenſa humani animi deſideria, et נְעִמוֹת נֶצַח *ſuauitates ſine fine.* Veriſſime. Quid enim illo ſuauitatis fonte limpidius, aut copioſius, et magis inexhauſtum eſſe poteſt? Neque alia vlla res eſſe, aut cogitari poteſt, a qua talis felicitas, talis voluptas, ſperari poſſit, praeter illum adſpectum qualemcunque maieſtatis diuinae, quae ſola puriſſima, ſola efficiens aeternae et nunquam faſtidiendae ſuauitatis in animis et corporibus humanis putari poteſt: qualis deſcribitur a *S. Petro I,* 1, 4. qui coeleſtem illam felicitatem appellat *κληρονομίαν ἄφθαρτον, ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον, hereditatem perpetuam, ſine labe* mortalis et vitioſae humanitatis, et *viriditatis conſervantem.* Sed eandem hereditatem coeleſtem *Paullus* appellat *hereditatem Dei, Rom. VIII,* 17. Quae eſt autem hereditas Dei, niſi bonorum diuinorum, quae Deus ipſe poſſedit ab aeterno, quibus fruendis ipſe *μόνος μακάριος,* ſolus beatus eſt, 1 *Tim. VI,* 15. Bonorum porro quorum poſſeſſione *αὐτάρκης* Deus, quorum fructu beatus dicitur, niſi maieſtatis ſuae et perfectionum maximarum? Ad has igitur animo et corpore contuendas fruendasque aditus patefieri homini debuit, ſi illa, quam deſcripſimus, felicitas ei deſtinata ac promiſſa fuit. Quis autem negare aut dubi-

dubitare audeat, hunc aditum dari beneficio diuino, non ob promeritum quoddam virtutis naturalis, officiorumque necessariorum; quibus conseruandis Deo, quod debemus, reddimus, non hoc consequimur, vt se conspiciendum nobis praebere, vt se suaque bona nobis quodam modo possidenda ac fruenda ad infinitum tempus concedere cogatur. Libera haec sunt, et in voluntatis diuinae benignitate posita, neque vllo modo cum officiis naturalibus cohaerent. Sed a natura felicitatis humanae, bonorumque homini vel sperandorum vel expetendorum, quomodo argumenta asserendi in religione constituenda arbitrii diuini ducantur, satis diximus.

21. Locus alter, vnde peterentur argumenta vindicando illi arbitrio diuino, erat in conditione naturae humanae: qui nunc aperiendus videtur. Eum autem multiplicem facit varia generis humani conditio. Nam alia hominum conditio fuit tum, cum integri essent ab omni culpae ac vitii labe: alia post contractam culpam, et susceptam naturae corruptionem. Variant etiam indolem hominum ac naturam res externae, nec sinunt eandem in omnibus vel hominibus vel gentibus esse. Ex his autem generibus omnibus existit id, quod defendimus, arbitrium diuinum religionis naturalis ac necessariae nouis decretis officiisque augendae. Nam, vt ab ea, quae nobis coniunctior est, conditione generis humani incipiamus, non veremur, ne quis magnopere nobis repugnet in eo, quod fundamenti loco ponimus: *si ea est hominum conditio atque natura, vt non possint religioni naturali ac necessariae, omninoque voluntati diuinae satisfacere, si velint; aut ita sint vel erroribus coecati, vel vitiis deprauati, vt ne possint quidem satis velle: Deus potest*, misericordia commotus, *aliam rationem sui placandi, et felicitatis* eius, de qua diximus, *consequendae praescribere*, si nihil in ea insit, quod aeternae iustitiae et sapientiae suae legi repugnet, *et*, conseruata sapientia et sanctitate sua, *praecipere, quae faciliora sint et imbecillitati eorum accommodata, quibusque*

adeo

adeo adducantur ad illius aeternae ac necessariae religionis obseruationem. Quid enim est in his, quod non per illas ipsas necessarias notiones Dei perfectionisque diuinae sumere liceat?

22. Neminem esse arbitror, qui quidem de Deo recte, et rationi atque naturae conuenienter sentiat, quin Deo dignum existimet esse, saluti ac felicitati hominum quouis modo consulere, qui nihil habeat inimicum ipsius iustitiae et sanctitati. De bonitate quidem diuina ita magnifice sentiunt homines natura, vt citius ab Deo exspectent, quae conseruata sanctitate sua tribuere non potest, quam ei detrahant curam salutis humanae, tam necessariam hominibus, tam conuenientem generis humani auctori ac Parenti. Ego autem ita mihi persuasum habeo, vt credam, si, posteaquam homo in hanc tam miseram conditionem, quam paullo ante descripsimus, deuenisset, nulla alia salutis ratio reliqua futura erat, aut Deo non ius erat, nec licebat per naturae suae sanctitatem, ipsamque rerum naturam, aliam rationem ac viam salutis proponere, Deum, quem non potuit fugere, homines in id miseriae venturos, eos omnino creaturum non fuisse. Quid enim erat aliud, in talem conditionem homines creare, quam in certam et nullo modo effugiendam perniciem creare? Quod si ille apud Poetam, probante Socrate, optimum homini fore iudicat, omnino non nasci, ob miserias huius vitae, quae tamen aut tolerabiles sunt, aut morte saltem finiuntur: quidni clementiam diuinam et iustitiam decuerit, non dare vitam iis, qui haud dubie omnes in infinitum tempus miserrimi essent futuri? Non igitur vllo modo dubitari potest, quin illa generis humani conditio hoc ferat, vt non modo non alienum a Deo, sed etiam dignum eo et gloriosum sit eius bonitati et sapientiae, primum in vniuersum, nouam viam ad felicitatem hominibus patefacere; deinde talem, quae sit planior et expeditior humanae imbecillitati, nec minus denique conueniens sanctitati suae. Id quale sit, tertia disputationis

parte docebitur. Nunc vnum hoc praelibare ex illa disputatione placet, accommodatam illam rationem humanae imbecillitati fore, si in ea redeant omnia, in accipiendo quidem, ad beneficium, in agendo autem ad efficientiam et auxilium diuinum; consentaneam autem sanctitati diuinae futuram, si etiam ad illa ipsa naturalia et necessaria officia adducat, eorumque obseruationem faciliorem et iucundiorem reddat. Quis autem non talis rationis instituendae non modo ius et potestatem Deo concedat, sed, si oblata sit, summum et Deo dignissimum beneficium homini tributum fateatur?

23. Enimuero, hac conditione omnes homines natos esse, vt a se nec velint serio, nec possint vere satisfacere pietati in Deum, officiisque ceteris necessariis et naturalibus, lege diuina sancitis, id quidem et suo quisque sensu discere potest, nisi sibi velit admodum assentari, et sapientissimi quique, hoc est, qui semetipsi optime cognitos haberent, iudicarunt. Sed clarissime demonstrat *Paullus* et vberrime, nec naturalem, nec per Mosen traditam legem, quae est e naturali expressa, homines a vitiis auocasse, et ad veram perfectamque virtutem adduxisse, *Rom. I*, 18. *sqq. II*, 1. *sqq. III*, 9-20. propterea, quod ita homines vitiis et cupiditatibus sint natura sua addicti et obnoxii, vt ab iis sua, aut legis cuiuscunque vi abstrahi atque liberari, et legi diuinae, qua naturalia illa et necessaria officia sanciuntur, obedire ac satisfacere non possint. *VII*, 7. *sqq. et VIII*, 3. In quo ille nullo argumento vtitur, quod non quiuis, etiam non agnoscens diuinitatem Paullini scripti, agnoscere ac concedere debere videatur. Sunt enim omnia ducta ab experientia et vsu omnium sine exceptione temporum, et sensu cuiusque interno; firmanturque consensu ac testimoniis hominum, quorum sapientiam et virtutem libenter ostentant, atque Christianae religioni opponunt ii, contra quos disputamus. Id quale sit, paucis, pro instituti ratione, dicere non alienum putamus.

24. Pri-

24. Primum igitur, vt ante diximus, legem naturalem, ait non cauere potuisse hominibus neque ab sententiis absurdissimis monstrosissimisque de natura diuina eiusque cultu, neque ab omni genere vitiorum, nefandisque facinoribus. (*I*, 18. *sqq.*) Vnde igitur hoc habet? Ex ipsa re scilicet. Quam foeda enim εἰδωλολατρεία et superstitio omnes, praeter Iudaicam, gentes oppressas tenuerit inde ab antiquissimis temporibus, maximeque temporibus *Paulli*, omnium temporum monumenta loquuntur, nec de eo vlla potest esse dubitatio. Nec minor morum et vitae corruptela fuit apud omnes gentes; quod et libri graeci latinique omnes loquuntur, et sapientes homines conquestos reperimus. Illa ipsa ciuitas, quae sapientissima semper iudicata est, (*Cicer. Rosc. Am.* 25.) Atheniensis, quam foedis vitiis tota obruta et corrupta fuerit, quam foedis libidinibus et flagitiis dedita, ipsi Athenienses scriptores, *Aristophanes* aliique, loquuntur. *Socrates* quidem apud *Platonem*, in nobili librorum *de rep.* loco, disputat, ita corruptas esse omnes, etiam cultissimas, gentes, vt humanis remediis sisti malum non possit. Videant plura studiosi in *H. Grotii* ad locum *Paulli* commentario. Iudaici Doctores illis temporibus, corrupta de fide doctrina, vt altera parte demonstrabimus, existimabant, omnem illam gentium corruptelam esse ab ignoratione legis diuinae per *Mosen* traditae, cuius scientiam habere hanc vim natura sua, vt sanctos redderet homines, et cupiditates vincere ratio posset: quod clare patet e multis *Philonis* Iudaei locis, et *Iosephi* (si tamen *Iosephi*) in *Maccabaeos* libello. Itaque et ipsos Iudaeos, *Paullus* docet, sub imperium vitiorum venisse (*III*, 9.) eaque corruptela morum et vitae, repudiata medicina per Christum et Apostolos oblata, ita indies creuit, vt *Iosephus* suis temporibus summam, et Iudaicae nationis hac etiam parte miserrimam conditionem fuisse fateatur. Iam, si omnium gentium in aliqua re consensus recte putatur esse vox naturae, h. e. eam in notitiis insitis numerandam esse,

eiusque scientiam ab ipsa natura proficisci docet: intelligitur, vt opinor, pariter, istam tam perpetuam et vniuersam generis humani corruptionem ab ipsa natura originem duxisse. Nam, si quis nobis paucos quosdam virtutis magna gloria insignes opponat: primum multa seuerus virtutis iudex, et ad perfectam legis diuinae regulam exigens omnia, reperiat, quae in iis, et eorum virtute, iure requirat; deinde illos ipsos, si verum de se dicere voluissent, idem quod *Paullum*, (Rom. VII.) de se credibile est confessuros fuisse. Socrates quidem, quem in illo numero primum omnes ponunt, cum multa vitia collegisset in eum Zopyrus physiognomon, essetque derisus a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent, Zopyrum subleuauit ipse, cum illa sibi innata fuisse fateretur, sed ratione a se deiecta diceret: (*Cic. Tusc. IV*, 37.) Quod si quis ex eo quaesiuisset, an non ab iis etiamnum sollicitaretur interdum, non dubitem, eum hoc quoque confessurum fuisse. Ex quibus recte vtique colligimus id, quod proposuimus, vt, quia tanta est generis humani, et natura et vero etiam consuetudine praua corruptio, vt hominibus nec voluntas seria et constans recte faciendi suppetat, nec vis, ea, quae vtcunque iudicio mentis, lege diuina vel naturali vel scripta collustratae, probauerint, sequendi integre et constanter, ac perficiendi, vt, inquam, ii sine alia noua ope nec salui esse, et ad felicitatem si legi seruatae esset proposita, adspirare, nec ad veram sanctitatem peruenire possint.

25. Videant igitur etiam atque etiam, quid agant, et in quas se difficultates impediant, qui Deum negant posse alia ad felicitatem via homines adducere, quam quae per naturalem et necessariam religionem ducat, nec vllam Deo in religione libertatem arbitrii concedunt! Etenim, si Deus nec per naturam suam potuit talem salutis rationem, qualem ante diximus, instituere, nec instituit; et ipsi ademta est facultas hominum seruandorum, et hominibus spes salutis et felicitatis coelestis. Nam cum planum sit ex iis, quae diximus, legi naturali atque diuinae

non

non ſatisfieri ab vllo homine, nec quemquam fuiſſe vnquam, qui hoc de ſe auſus ſit, aut iure potuerit praedicare, nec per vitioſam naturam ſatisfieri poſſe; quomodo poterit aut Deus eos ſalua ſanctitate ſua ad felicitatem admittere, aut homo eam cum aliqua fiducia ſperare? Quod ſi dicant, Deum, pro ſua in homines lenitate et indulgentia, contentum eſſe poſſe qualicunque virtute: primum hoc ipſum arbitrarium eſſe fateantur neceſſe eſt: deinde, in eo nihil eſſe praeter incertam coniecturam, qua, in re tanta, niti alieniſſimum atque ſtultiſſimum eſt. Etenim cum ex iis, quae ſupra (§. 18. ſ.) diſputata ſunt de felicitatis coeleſtis natura, appareat, etiam perfectam legis diuinae obſeruationem, ſi ſit conſequendae illius felicitatis, eam vim habere, non per ſe, ſed benigna voluntate diuina, ab ipſo hominibus diſerte declarata; quod, quae liberae voluntatis et benignitatis ſunt, intelligi aliter non poſſunt: quanto magis id dicendum erit de qualicunque eius obſeruatione? Vbi autem eſt iſta voluntatis diuinae ſignificatio? et vnde acceptum didicerunt, Deum illa tali inchoata et adumbrata virtute contentum fore, etiamſi nihil interceſſerit, quo eius imperfectio velut expleatur? Tum illa qualiscunque pietas et virtus, quam eſt ambigua et parum definita! Nam illud profecto non audebunt dicere, omnem, quamuis paruam ac tenuem, et heri aut nudius tertius inchoatam virtutem, et quo certo virtutem hanc vim habere poſſe, vt ea Deus ſibi ſatisfieri patiatur. Quomodo igitur definient illam qualemcunque virtutem, et quo certo argumento poterit hominibus eſſe perſuaſum, ſe ad eum virtutis gradum perueniſſe, quo Deo ſatisfiat, quo ille contentus ſit futurus? Ex quo angores animi et perturbationes horribiles conſequantur neceſſe eſt in omnibus, qui immortales animos eſſe, et aliam poſt hanc vitam exſpectandam didicerunt.

26. Sed prior illa et melior hominum ſors et conditio, etſi nulla tali ope indigebat, tamen arbitrium diuinum in religione non modo non repudiabat, ſed etiam idoneis de cauſſis expetebat. Etenim quomodo repudiaret id, quod

non modo iustum et aequum esset, praesertim Deo postulante, cuius summus et verissimus tum amor erat, sed etiam vtilissimum sibi, h. e. ad alendam proferendamque pietatem accommodatum, vt supra demonstrauimus. (§§. 4. 5. sqq.) Etsi autem ea tum hominis natura erat, vt ei nec voluntas nec facultas recte faciendi deesset, et hactenus carere poterat institutis, quibus imbecillitati humanae posthaec subueniendum, et inuectam in eius naturam corruptelam sanandam fuisse ostendimus: tamen ab aliis caussis talium institutorum necessitas quaedam nasci potuit. Quodsi nobis non liceret caussas istas perspicere: tamen idoneas fuisse, dubitandum nullo modo foret homini, de Deo eiusque sapientia recte sentienti, si constaret, ei conditioni aliquid praeceptum fuisse, quod naturalium ac necessariorum officiorum numero haberi non posset: constat autem omnibus, qui veritatem ac diuinitatem librorum Mosaicorum in dubitationem non vocant. Sed fortasse licet nonnihil assequi, quod non absurde in caussis istis numeretur: quale illud est, quod, cum homines primi iidem soli hanc terram obtinerent, nondum facultas dabatur eorum officiorum, quae postea multitudo generis humani et societas necessario attulit. Igitur non modo consentaneum, sed prope necessarium erat, eorum locum interea obtinere alia, arbitrio diuino constituta. Id sic intelligi arbitror. In omni lege diuina, id quod supra monuimus, (§. 7.) veluti duplex est caussa eius seruandae, et veluti duplex officium: quorum alterum ad naturam et conuenientiam rerum pertinet, nec habet proprie aliquam coniunctionem cum religione; vnde existit iustitia et aequitas, quae homines ceteros amplectitur; alterum, idque maius ac nobilius, ad Deum refertur, et obedientiam aduersus eius praecepta, in quo pietas et religio cernitur. Vbi igitur illa prior caussa legis locum non habet, per ipsam rerum temporisque conditionem atque naturam, haec tamen retinenda est: et, quoniam naturalia illa ac necessaria iustitiae officia nondum existere possunt, arbitrariis et voluntariis legibus obedientiae

aduersus

aduersus Deum officia sunt constituenda. Etenim assidua obedientiae in Deum exercendae occasione carere homines nec debent, nec possunt, propterea, quod nil magis est necessarium, quam homini hoc plane persuasum esse, vt Deo obediendum credat, huiusque obligationis et officii sensu moueatur animus, cum summa Dei reuerentia; nec sine tali sensu ac persuasione vera pietas esse potest. Enimuero, eam, quam ante descripsimus, rerum ac temporum rationem fuisse in principio rerum humanarum, facile omnes vident, cum propter paucitatem hominum nulla societas aut societatis iura et officia essent, et omnes prope hominis actiones externae in ipso verterentur, nec iustitia aut aequitas, aut benignitas intelligi posset.

27. Quamquam nobis non est opus illa disputatione necessitatis, nec quicquam cogit nos, tum demum agnoscere ac probare arbitrariorum officiorum leges, cum aliqua talis perspicua necessitas subest. Omnino mihi videntur parum subtiliter accommodateque ad naturam intelligentia et libertate praeditarum substantiarum disputare, qui in religione omnia ad necessitatem aliquam reuocant, nec quicquam probant, quod non a necessariis caussis ducatur. Animalium eorum ista conditio est, in quibus nulla intelligendi vis, nulla libertas inest, vt, sicut ipsi necessitati cuidam in rebus omnibus subiecta sunt, quod ipsa se regere non possunt, sic in iis tuendis, alendis, tractandis fingendisque ad certam ac necessariam legem, ab ipsorum natura ductam, omnia referantur, vltra quam progredi non liceat. Eas angustias repudiant intelligentia et libertas, nec iis vllo modo se quasi in ordinem cogi patiuntur. Ipsa natura et sensus communis reclamitant tali necessitati, non solum propter Deum, cuius infinita est intelligentia, libertas autem maxima, eademque sanctissima, sed etiam propter hominem, ad quem istius intelligentiae et libertatis aliqua pars peruenit. Intelligentiae omnis, etiam humanae, nedum diuinae, haec vis est, vt non modo necessaria intelligat, eaque ratioci-

nando tractet, sed etiam multa vel videat, vel excogitet, cum magna generis humani vtilitate, atque sua laude, quae omnis talis necessitatis sunt expertia: cuius generis rebus plena est vita humana. Libertatis autem natura hoc fert, vt in agendo nulla necessitate cogatur, non modo hactenus, vt non agat inuita, sed etiam, ne in agendo ita constringatur, vt non possit vltra necessitatem progredi, et facere, instituere, quae nulla necessitas perspicua rerum postulet. Non vult cogi libertas, vt agat, cum non placet: sed nec impediri se sustinet, quo minus agat, cum lubet, etsi nulla necessaria caussa prouocata. Quid ergo? Summam illam Dei libertatem, eamque sanctissimam, et sapientissimam, et beneficentissimam, an fas putamus, ita angustis finibus circumscribi, vt ei non liceat aliquid constituere, quod nulla naturalis rerum necessitas imperet sancire? nec ea re vel hominum commodis consulere, vel suae maiestati, suae laudi, suae gloriae? In rebus corporeis, et quae ad alendum hoc mortale corpusculum pertinent, Deo concedimus hoc iuris ac libertatis, vt possit hominem lautius et liberalius tractare brutis, et multis non necessariis bonis vitam exhilarare, vt supra ostendimus, (§. 15.) et ita se quouis modo conspicuum et amabilem reddere. Quae igitur ratio est, in animo quare non patiamur, Deum neque alia tradere de se cognoscenda, quam quae a necessitate rerum ac notionum ipsa doceantur, nec alia officia praescribere, quam quae natura ac necessitas videatur sanxisse, et sic alia quadam ratione mentibus humanis conspicuum se et verendum efficere? Non mihi hoc dignum Deo, non ipso homine dignum videtur, praesertim incorrupto, et hanc ob caussam cupido, quam plurimis rebus et modis Deo obsequium praestare.

28. Etenim, etsi illi integro et a vitiis adhuc puro homini ea vis ingenii fuit, vt sua sponte posset ex ipsa rerum natura iustam Dei cognitionem capere: tamen, cum vis illa non esset infinita, sed et ipsa finibus suis circumscri-

pta,

pta, non videtur sua sponte potuisse diuinam naturam ita perspicere, vt non multa relinquerentur, vel quae cuperet cognoscere, vel quibus cognitis mirifice laetaretur, et ad Deum admirandum amandumque incenderetur. Sicut in mente humana insunt permulta, quae nulla perspicua necessitate ex ipsius definitione colliguntur, quorumque adeo rationem ex ea reddere non possumus: sic multo magis, etiamsi nesciremus literis diuinis edocti, tamen existimare deberemus, in infinita diuinitate inesse permulta et maxima, quae ex illa Dei notione, quam primam concipit mens humana, a qua cognoscendi Dei initium facit, intelligi per necessariam aliquam consecutionem, quamquam vniuersa rerum natura diligentissime comparata, nullo modo queant. Quis igitur audeat, hoc abhorrens, ac non potius conueniens et probabile iudicare, si Deum dicamus, multa de se tradidisse primis illis hominibus, et, si integritatem conseruassent, porro traditurum fuisse de natura consiliisque suis, quae suapte vi adsequi non possent, atque ita effecisse, vt iam tum non mera philosophia esset, quam tenerent homines, notitia Dei, sed, quod nunc est, Theologia de coelo delapsa, et hac ipsa origine sua carior et amabilior. Atque simillima est ratio officiorum. Si nulla necessitas arbitrariorum officiorum nascebatur ex hominum natura et conditione, quod tamen ipsum vix concedi potest per ea, quae ante dicta sunt, (§. 25.) at vtilitas eorum ostendebatur permagna, (§. 7.) praesertim in illa vita tranquilla et otiosa, quae tota religioni et pietati exercendae vacaret: at Deo quaecunque de caussa placere poterat, necessariis officiis libera adiungere: at homini ipsi iucundum futurum erat, quam plurimis rebus Deo pietatem probare posse.

29. Non eandem esse gentium omnium indolem, eamque coelo ac regionibus terrarum, temporibusque vehementer variari, nemo rerum humanarum non rudis ignorat. Vnde fit, vt, sicut corpora humana aliis locis, tempo-

temporibus, aetatibus denique, alium victum, sic animi aliam disciplinam desiderent. Itaque legislatores sapientissimi hoc spectarunt, vt ea sancirent atque instituerent in ciuitate quisque sua, quae essent ingenio gentis proprio accommodata, vtque propriis quibusdam institutis, solerter excogitatis, homines vel ad officium adducerent, vel in officio continerent: et vt quisque hoc facere potuit maxime, ita maxime prudens legislator est existimatus. Quodsi in humanis legislatoribus hoc non modo conceditur, sed etiam exspectatur ac postulatur, vt talibus institutis ac legibus consulant vel securitati vel vtilitati communi: intelligitur, multo magis hoc dignum esse summo et communi generis humani legislatore, eiusque et sapientia et aduersus homines benignitate, vt in religione constituenda non modo communis naturae conditionisque humanae rationem ducat, sed etiam propriae, vel genti ei, quam vere religione tradenda beare, vel temporibus ac locis, in quibus constituere religionem velit. In praeceptoribus laudari solet et permagna et salutaris iuuentuti prudentia haberi, si, praeter communem omnibus disciplinam, adhibent quaedam peculiaria et sua instituta, hoc est, artificia, quibus vel celeritas felicium ingeniorum coerceatur, et velut fatigetur salubriter, ne in vanitatem quandam et inutilem leuitatem degeneret, aut tarditas tenuiorum incitetur, memoriae imbecillitas roboretur et angustiae dilatentur cet. Atque etiam hoc exspectatur a bono magistro, vt se accommodet singulis, et aptis ad cuiusque ingenium atque naturam institutis vtatur. Quanto magis diuinam sapientiam agnoscere fas erit, si hominibus, aliquo vitio ad religionem virtutemque pernicioso, vndecunque orto, debilitatis consulat institutis talibus, quae vel scientiam fidemque rerum diuinarum, quibus religio maxime continetur, adiuuent alantque, vel rerum agendarum expetendarumque admoneant efficaciter, et ad seruandum officium quacunque ratione adsuefaciant. Morborum quaedam genera ita, v. c. victu,

victu, aëre, exacerbantur, vt ordinaria, et ante efficacia remedia suam aduersus eos vim amittant, coganturque medici noua et efficaciora circumspicere, et pluribus velut armis eorum pertinaciam oppugnare. Et sunt, in hac communi totius generis humani naturali deprauatione, errorum vitiorumque morbi haud pauci, qui mentes animosque hominum infestant: sed quidam apud quasdam gentes, et quibusdam temporibus, variis caussis ita, primum late serpunt, deinde ingrauescunt, vt vsitatis rationibus, argumentis, institutisque ab iis liberari aut homines oppido pauci, aut nemo posse videatur. Vnde existit sane quaedam necessitas inducendarum rerum, quae hanc vim habeant, vt ab iis vel abstrahere homines impeditos, vel cauere integris possint. Alia his similia incidere possunt in genere humano, quae locum faciant nouis et arbitrariis in religione institutis, iisque adeo non modo non improbandis aut contemnendis sine iniuria in Deum, sed etiam in documentis sapientiae et in numero beneficiorum diuinorum reponendis.

30. Haec fere habuimus, quae ad asserendum diuinum in religione constituenda arbitrium hoc tempore disputaremus. In quibus hanc a nobis rationem habitam, diligens lector intelliget, vt non modo eos refelleremus, qui vel omnino religionem diuinitus traditam in libris sacris tollere cuperent, illo tali arbitrio a diuina perfectione remouendo, vel, cum agnoscere diuinitatem librorum sacrorum viderentur, tamen interpretando reuocare pleraque ad naturalem religionem conarentur, quod Socinianos eorumque aemulos facere animaduersum est, sed vt eos etiam confirmaremus, qui recte de religione Christiana sentirent, et aduersus illorum male sanam sapientiam muniremus. Etenim, vt nostra fert opinio, quicquid viri docti aduersus errores eorum, qui Christianae religionis veritatem atque diuinitatem oppugnauere, multis eruditissimis libris disputauerunt, id non tam prodesse illi voluerunt, aut certe profuit ad illos

sanan-

ſanandos, qui plerumque non veritatis amore ac ſtudio, ſed cupiditatibus ſuis obſecuti, eam diſputationem ſuſceperunt, quam ad eos confirmandos, qui de veritate religionis Chriſtianae minime dubitarent, cauendumque, ne iſtorum vel libris legendis, vel ſermonibus audiendis, corrumperentur, ſi, quod eorum rationibus opponerent, ipſi non haberent aut reperire poſſent. Itaque nos quoque idem et in hac diſputationis parte maxime ſecuti ſumus, et in reliquis duabus ſequemur.

PARS SECVNDA

In omni generis humani ſtatu veram religionem arbitraria habuiſſe.

31. Superior diſputatio, quae Deo arbitrium religionis aſſeruit, ſi verum velimus dicere, ſuperuacua erat per eos, qui in rebus cognoſcendis ac iudicandis recta via et ratione vterentur: ſed facta eſt neceſſaria per argutationes eorum, qui, relicta vera diſſerendi et iudicandi via, totum rerum ordinem peruerterunt, et, de quo quaerere non attinebat, id in diſputationem adduxerunt. Semper hac ratione vſi ſunt, qui legitimos diſſerendi modos tenerent, vt primum, quid eſſet, quaererent; deinde demum, ſi luberet, de cauſſis viderent: quas ſi aſſequi non poſſent, non propterea rem ipſam tollerent, aut fieri poſſe negarent: foret enim ridiculum: ſed vel obſcuritatem rei, vel ingenii ſui imbecillitatem agnoſcerent. Hanc rationem ſi tenuiſſent ii, contra quos a nobis diſputatum eſt, otium nobis feciſſent in hac cauſſa agenda. Etenim quaeſiſſent potius de diuinitate ſacrorum librorum, eorumque interpretatione: vt, ſi primum illa eſſet ita perſpicuis ſignis manifeſta, vt dubitari de ea iure non poſſet; haec autem clare doceret, in iis libris ſtatui ac praecipi, quae naturalem neceſſitatem nullam haberent, intelligerent ſua ſponte arbitrium illud diuinum, nec dubitarent, quin

quin id posset cum sapientia, et reliqua perfectione diuina, optime consistere: neque enim vllo modo credi potest, Deum, quod secus sit, facturum fuisse. Sed cum et diuinitas librorum sacrorum ita perspicua esset, ita euidenter ab doctissimis viris demonstrata ac defensa, vt nihil probabiliter contra dici posset, et in iis ipsis nimis diserte ac perspicue arbitraria religionis decreta traderentur, maluerunt viam rectam deserere, et arbitrium totum religionis in dubitationem adducendo atque impugnando, religionem Christianam vel totam ad naturalem redigere, vel omnino tollere, existimantes, quod ea ratio haberet speciem sapientiae, et subtilitatem aliquam, facilius se caussam obtinere posse. Igitur nobis quoque via illa eundum putauimus, et prius asserto vniuerso diuino in religione arbitrio, ad illa ipsa progrediendum, quae non essent ab naturali et necessaria religione ducta, sed diuino arbitrio: sed cum summa sapientia et vtilitate generis humani, constituta.

32. Ac fortasse vel sic existimet aliquis, nos hac altera disputationis parte, quam proposuimus, plane supersedere potuisse: propterea, quod nemo, qui diuinitatem librorum sacrorum agnoscat, dubitare possit, aut dubitet, fuisse omni tempore in religione a Deo tradita et praecepta hominibus, quae essent a naturali religione diuersa, nec e necessaria Dei hominisque natura, rationis humanae vi intelligi possent. Id etsi ita esse libenter concedimus: tamen caussas satis idoneas nobis videmur habuisse, propter quas hanc disputationis partem non praetermittendam putaremus. Nam primum, cum nobis statutum esset, locum hunc, de arbitrio diuino in religione constituenda, plene absoluteque tractare, ea pars vix videbatur praetermitti posse, praesertim cum, ea recte explicata et constituta, partis tertiae explicationem faciliorem fore videremus. Sed maxime nos mouebat hoc, quod videbamus, omni tempore fuisse, qui in illis ipsis rebus, quae arbitrio diuino constitutae essent in religione, et illa,

illa, quae fuit primorum hominum, cum integritatem primam retinerent, et ea, quae post fuit vsque ad Christi tempora, et Christiana adeo ipsa, argutarentur, et res clarissimas argutationibus suis obscurare ac peruertere conarentur. Cuius rei caussa, vt mihi videtur, nulla alia fuit, quam quod homines illo ipso arbitrio diuino offenderentur, nec satis concoquere possent libertatem diuinam in istis rebus constituendis, mallentque rationis solius, quam Dei vocem audire. Nam alii fuerunt, qui talia instituta in allegorias conuerterent, vt ea, (ita putabant) molliora et rationi humanae aptiora efficerent: alii, qui ea ad legem naturalem diuinamque reuocarent, vt Iudaei quondam, et nunc Sociniani, Arminiani, et permulti alii, qui se Christianos profitentur. Sunt etiam fortasse quaedam, in quibus explicandis etiam casti religionis diuinae interpretes non consentiant. Itaque videbamus, etiam hac parte explicanda, a nobis quaedam disputari et admoneri posse, quae non inutilia forent studiosis.

33. Iam, *in prima vitae humanae institutione*, quae a Mose duobus primis Geneseos capitibus traditur, duo sunt, in quibus arbitrium diuinum appareat: alterum, de quo inter recte sentientes Christianos ac Theologos nulla dubitatio est; alterum, quod aliquam dubitationem habere, dissensus doctorum arguit: *abstinentia ab fructu arboris religiosae*, et *per septimum quemque diem feriatio*. De vtroque breuiter videamus, pro instituti nostri ratione. Ac primum obiter studiosorum caussa monebimus, eam arborem, quae עץ הדעת טוב ורע Mosi appellatur, a graecis interpretibus vno loco (*II*, 9.) graece dici *ξύλον τοῦ εἰδέναι γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ*, pro quo est omnibus aliis locis *ξ. τ. ει. καλὸν καὶ κακόν.* Inde apparet in *γνωστὸν καλοῦ κ. π.* esse periphrasin, (quod genus est frequens apud Graecos, sed saepe parum peritis linguae molestum fuit) cum pleonasmo, vt in *γνωστὸν κ.* nihilo plus sit intelligendum, quam in *καλόν*· hinc adeo ductam esse

eſſe Paulli illam formam orationis, *Rom. I*, 19. διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς: quo loco fruſtra, inſcitia ſermonis, argutati ſunt interpretes, non *Deum* ſimpliciter agnoſcentes, ſed τὸ *cognoſcibile Dei* exprimentes. In hac igitur arbore ita perſpicuum eſt praecepti diuini (*II*, 16.) arbitrium, nihil habens coniuncti cum lege naturali, et neceſſitate naturae vel diuinae vel humanae, nec ſanciens, quod per ſe iuſtum ſit, ſed, quod per ſe plane indifferens erat, efficiens, vt iuſtum et iure debitum eſſet, vt dubitationem nullam res habere poſſit. Acquieſcendum igitur erat in illa perſpicuitate narrantis rem tantam hiſtorici diuini. Sed, vt ante dixi, illud ἐθελούσιον, illud arbitrarium et voluntarium, quod eſt in illo praecepto, atque etiam, vt opinor, ſimplicitas rei offendit homines, nolentes, vt in tota vita, ita in rebus diuinis ſimplicitate acquieſcere, cupientesque in rebus omnibus rationibus e natura rerum ductis vti, effecitque, vt id tollere cuperet ingenium humanum. Atque hic non digner commemorare ac refellere eorum inſaniam, qui rem ad obſcoenitatem traxere: quod non eſt *Beuerlandi* inuentum, ſed multo antiquiorum nebulonum: primum exorti ſunt, qui abſtinentiam fructus illius ſancitam contenderent, quod eſſet venenatus, et vitae hominis perniciofus, a qua ſententia non eſt alienus *Clericus:* atque ita totum hoc praeceptum, liberae Dei voluntati ereptum, ad naturae neceſſitatem transferrent. In quo non viderunt, ſe ſtatuere, quod eſſet iniurium in Deum, et hominem, imagine diuina praeditum, denique contrarium narrationi et verbis Moſis, qui, quod omnibus aliis arboribus communiter tribuerat, vt earum fructus eſſent et ad adſpectum pulcri, et ad eſum ſuaues (*II*, 9.) idem tribuit huic arbori, et in illo ipſo loco: ועץ החיים *in his arborem vitalem:* ſic enim τὸ ו accipiendum: et alibi (*III*, 6.) Nam in iſta pulcritudine et ſuauitate fructuum ineſſe ſignificationem ſalubritatis, et excellentis fructus, et res indicat, et vſus bene graece loquen-

loquentium. *Diodorus* quidem *Siculus II*, *p.* 136. *edit. Rhod.* palmas laudans Arabiae, et ceteris omnibus praeferens, eius dactylos esse, ait, eiusmodi, vt *ὑπ' αὐτῶν ἅμα καὶ τὴν ὄψιν τέρπεσθαι, καὶ τὴν γεῦσιν ψυχαγωγεῖσθαι*, *vna et oculi delectentur*, *et gustus deliniatur:* quem locum cum Mosaico conferre non neglexit *Wesselingius* V. C. Iudaei autem veteres, historiam Mosaicam etiam per allegorias conferre conantes ad vsum piorum, commiserunt, vt quidam totam rem, sublata historica veritate, in allegoriam conuerterent. *Philo* quidem, (*de Opific. mundi p.* 35.) dixerat, arborem illam esse symbolum prudentiae, *αἰνίττεσθαι φρόνησιν τὴν μέσην, διακρίνασαν τἀναντία φύσει*, *prudentiam quandam mediam*, *quae res contrarias distinguat*, *atque discernat.* Hunc secuti sunt Christiani, auctore inprimis *Origene:* non, vt historiam tollerent, sed, vt allegoriam adderent. *Ambrosius* quidem, quem, *Hieronymus* (*Ep.* 65.) docet, compilasse *Origenem* in *Hexaëmero*, haud dubie eundem compilauit in libro de *Paradiso.* Enimuero, qui vtrumque librum cum *Philone* contulerit, reperiet statim, eum in summa operis cum *Philone* consentire: additis tamen quibusdam, velut interdum de *Symmachi* et *Aquilae* lectionibus, vt *de Parad. c.* 5. quae sunt fortasse et ipsa ex *Origene* sumta. At ille saluam relinquit historiam, et *negat aliquid reprehendi debere*, *quia rationem non intelligamus*, *c.* 2. sed eo praecepto neglecto, longius progressi alii, totam rem in allegoriae figuram conuerterunt, vt diximus, et ita legem Dei voluntariam sustulerunt. In quo illi decepti sunt imitatione gentilium, qui illis temporibus, cum sustinere non possent Christianos, demonstrantes dementiam religionis gentilis, ad allegorias confugerant, et totam Theologiam suam in physica decreta et moralia praecepta conuerterant. At hi tamen habebant aliquid, quo suae rationi speciem aliquam veritatis conciliarent, cum dicerent, poetarum hoc esse, vt res quasque figuris et fictionibus ad delectationem aptis inuoluerent.

rent. Cuiusmodi nihil habebant Christiani, quo allegorias suas tuerentur. Quis enim non intelligit, quam sit alienum a sensu communi, eum, qui historici munus sustineat, res narrandas per figuras tradere, et poeticis fabulis obscurare. Est igitur certum ac nullo modo dubitandum, abstinentiam ab arboris fructu sancitam esse a Deo, in eaque legem esse Dei voluntariam, quae nullam habeat cum natura diuina humanaque necessariam coniunctionem.

34. Sed in iis, qui legis illius arbitrium agnoscunt, non pauci dubitant *de Sabbathi lege*, an ea in principio rerum humanarum sancita fuerit, nec ne. Nobis quidem minime dubium est, quin haec altera lex voluntaria primo homini fuerit imposita. Cuius sententiae nobis ratio reddenda est. Maxime autem moueor, non προλήψεως duritie, quae offendebat *Lud. Capellum* Disp. de *Sabb. Iud. I.* §. 30. (*Thes. Salm. T. III. p.* 578.) et altera in *Opp. p.* 264. et alios, me nequaquam, qui nihil in ea duri sentio: sed verbo Mosis, non hoc, quod *F. Spanhemius H. E. p.* 275. *a.*) aliique vrgent, admonitu interpretis graeci, qui את־יום השביעי vertit τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ: in quibus nihil emphaseos, aptae ad vincendum id, quod quaeritur, video; sed τῷ ויברך. quod qui integer, et nullo dum occupatus opinionis praeiudicio, legit, non potest aliter accipere, quam *tum consecrauit*: cum in totius superioris capitis narratione, hebraica copula ita constanter hanc vim obtineat, vt credibile sit, Mosen, si dicere voluisset id, quod *B. Lutherus* expressit, intelliguntque, qui eius sententiam sequuntur, consulturum lectori, et, exclusa ambiguitate, dicturum fuisse על־כן *propterea*, vt dixit *II*, 24. *) item de hac ipsa re *Exod. XX*, 11. Atque

 hoc

*) Obiter notanda videtur *Clerici* ad illum locum inscitia. LXX. verbum ברא verterunt ἤρξατο ποιῆσαι. Hic iure castigat *L. Capellum*, qui graecos interpretes aliud habuisse in codice suo putabat, inscitia verborum graecorum: ipse casti-

hoc potius argumento, quam legis ſuae extollendae cauſſa, veterrimos Iudaeos idem exiſtimaſſe cenſeo, vt e *Philone* (*Opif. M. p.* 20. et aliis locis) et *Ioſepho* (*Ant. I,* 1. 1.) patet: quorum auctoritas in tali re non videtur contemnenda. Nam recentiores Iudaeos, eiusdem ſententiae auctores, facile conceſſerim, parum auctoritatis habere. Atque etiam inde patet, ſabbatum non primum lege Moſaica inſtitutum fuiſſe, quod eius celebrati et ſervati mentio fit ante legis Moſaicae promulgationem *Exod. XVI.* nec credibile eſt, Moſen primam eius originem tradere noluiſſe. Atque hic diſputant Theologi eruditiſſimi, haec lex vtrum prorſus arbitraria ſit, et poſitiua, vt in ſcholis loquuntur, quod late defendit *Spencerus*, in eruditiſſimo de *Legg. Hebr.* ſed in ſumma rei a veritate alieniſſimo opere (*I,* 5.) an e natura rerum ducta, an denique ex vtroque genere mixta: quae eſt maxime probabilis ſententia. Sed habet tamen haec ſententia quasdam cautiones: de quibus paucis dicemus.

35. In ipſo rerum principio, hominibus adhuc integritatem retinentibus, vita eorum profecto tota erat ſabbatum: cum terra benefica ipſis ſua ſponte ſuppeditaret omnia, nec exſpectaret, dum eorum labore ad largiendum victum vel ſollicitaretur, vel cogeretur. Itaque nihil agere homo magnopere poterat, quam opera diuina contemplari, cum admiratione potentiae, ſapientiae, et benignitatis diuinae, et Deum laudibus efferre: fuitque illa vita imago coeleſtis vitae, quae et ipſa perpetuum ſabbatum eſt habitura. Vnde fit, vt tum quidem in lege de ſabbato nihil fuerit, niſi arbitrium Dei, volentis homi-

caſtigator pari inſcitia, non legiſſe eos in hebraico exemplo, ait, quod eſſet ἤρξατο ποιῆσαι, ſed verbum hebraicum ita intellexiſſe. Immo ἤρξατο ποιῆσαι, eſt nihil aliud quam ἐποίησε, et illud ἤρξατο centies ſic redundat, vt apud Latinos *coepit.* Ita paruae obſeruationis ignoratio tenebras doctiſſimis viris offundit.

homines hac die vel maxime colere creati mundi memoriam, et sui in se dominii e creatione meminisse: in quo plane et ad verbum locum habebat illud *Ezechielis* (XX, 20.) *Conferuate Sabbata mea*, *quae sunt signa inter nos*, לדעת, *vt intelligatur*, *me esse Iouam Dominum vestrum.* Sed quod ab initio fuerat mere voluntarium, id mox accepit aliquam e natura hominis conuenientiam, et prope necessitatem, aucto genere humano, et per Adami atque Euae culpam aditu corruptelae vitiorum in genus humanum dato: quae prospiciens Deus, tanto magis de sabbato cauendum putauit, ne tanto celerius memoria dominii sui aboleretur: et ad impietatem homines prolaberentur: quod vel sic plus satis cito factum esse constat. Iam etsi, religione Christiana constituta, videri potest sabbatum perpetuum inductum esse, debentque adeo veri Christiani semper animis σαββατίζειν, etiam inter medios labores honestos, quod est vnum verissimum, et Deo gratissimum, et coelesti illi simillimum sabbati agendi genus: tamen, quia conueniens est pietati, etiam publice coli Deum laudibus, et memoria beneficiorum eius celebranda, et deprecationibus placari, nulloque modo sperari potest, scientiam rerum diuinarum conseruaturos homines, nisi, conuentibus publicis habendis, vel eorum, quae didicissent puerili institutione, admoneantur, vel plura doceantur; propterea, quamquam abolitis institutis veteribus voluntariis omnibus, tamen diem constituerunt Apostoli, vt credere fas est, 1 *Cor. XVI*, 2. qui sanctus esset Christianis, et creati a Deo, et recreati, per Christi mortem et ἀναβίωσιν, mundi, h. e. omnium beneficiorum diuinorum memoriae laudibus celebrandae. Quae solent a Theologis hunc locum tractantibus latius disputari: a multis tamen, quod non probem, ita, vt necessitatem naturalem intelligi velint, et fontem moralis rationis in die Dominica repetant ab ipsa rerum natura necessaria. Quanto melius erat, manere in eo, quod nos credere, ac defensuros iurauimus: *Aug. Conf.*

Conf. art. vlt. p. 68. *qui putant pro Sabbato institutam esse diei Dominici obseruationem, tamquam necessariam, longe errant. Scriptura abrogauit Sabbatum - - et tamen, quia opus erat, constituere certum diem, vt sciret populus, quando conueniret, apparet, Ecclesiam ei rei destinasse diem Dominicum cet.* quod pariter planiusque docet *B. Lutherus* in *Catech. Mai.* ad *Praec. III.* vbi et reliqua, et illud, *quia opus erat*, bene explicat. In quo ii, quibus ab hac professione desciscere placuit, mirabiliter faciunt, cum dicunt, esse δυσνόητον: cum nihil planius ac magis perspicuum dici possit: et si in tanta perspicuitate per δυσνόητα praetextum licet plane contrarium statuere, atque etiam pro ὀρθοδοξία venditare, quidlibet licebit facere e quolibet: nec quisquam dubitabit in libros symbolicos iurare, quamuis in multis diuersa ab iis sentiens, cum remedium tam lene in promtu sit, vt ea ad δυσνόητα referat. Sed non est huius disputationis, hunc locum absolute tractare, et est ille ab aliis in hanc partem explicatus, vt *Io. Fechtio* in *Exerc. de Sabbato* inter *Schediasm. SS. p.* 553. *sqq.*

36. *A corrupti generis humani tempore*, cum Deus, consultum iturus miseris hominibus, spem salutis proposuisset per eum, quem tum *semen mulieris*, post *Abrahae*, denique *Dauidis* appellauit, (in quo attentus Christianus vestigia sapientiae diuinae facile agnoscet) *lex salutis* consequendae fuit *fides*, huic *promissioni diuinae tributa*, et *spes nixa in illo ipso, per quem salus esset futura.* In quo nemo erit, quin liberam Dei benignitatem agnoscat. Nam profecto illi ipsi, qui hanc *fidei legem*, vt Paullus appellat, ereptum eunt Veteri Testamento, nulla alia re magis mouentur, quam quod id ad legis necessitatem redigere cupiunt, nec arbitrio diuino volunt cedere. Sed nihil vetat, illam ipsam fidem V. T. quamquam ab aliis dudum factum scimus, nostro modo vindicare, cum id summa disputationis nostrae requirat. Atque Apostolos quidem existimasse, sanctos in V. T. homines per fidem

fidem Deo placuisse, et salutem reperisse, dubitare non sinunt ea, quae *Paullus* de Abrahamo *Rom. IV.* et *Gal. III*, 8. disputat, et *Hebr. XI.* Quo in loco etsi quaedam exempla sunt eiusmodi, vt non proprie ad fidem iustificantem pertinere videantur, sed ad fidem, cuicunque vel dicto vel promisso diuino tributam: quod etiam patiebatur definitio fidei, in principio proposita, quae est ita generalis, vt cuicunque fidei conueniat: tamen finis disputationis, pertinens ad iustificantem fidem (X. extr.) arguit, hanc alteram fidem gratam Deo iudicari ex eo, quod ab illa esset profecta: existitque argumentatio haec, vt, si omnis fides Deo grata fuerit, et nacta sit praemia, multo magis ea gratos Deo reddat homines, quae ad nobilissimam eius promissionem pertineat, de vita aeterna propter Christum speranda: quo genere argumentandi in contrario vtitur *Paullus* in eadem epistola *II*, 2. In Vetere autem Testamento, cum adhuc incorrupta esset summa doctrinae diuinae, idem credidisse Ecclesiam Iudaicam, cum alia arguunt, tum vel illud argumento est, quod Iudaici scriptores longe magnificentius de fide loquuntur, quam de vlla alia virtute, eamque reginam faciunt omnium virtutum, et summum religionis caput, veluti *Philo de Abrahamo p.* 387. et aliis locis, quae, cum aliis Iosephi et Doctorum Iudaicorum, collegit *Grotius* ad *Hebr. XI*, 1. et *Rom. IV*, 3. Cuius rei ratio nulla idonea reddi potest, nisi eas reliquias statuamus veteris et incorruptae sententiae, quam non plane sublatam fuisse ex Ecclesia Iudaica, docent exempla piorum, qui Christi tempore fuerunt. Natura homines procliues sunt, vt ante dictum est, in hanc partem, vt res religionis ad rationem et ad legis necessitatem reuocare conentur, atque eam ob caussam etiam fidem sub legem redigere ausi, ex ea virtutem moralem effecerunt. Quod tanto minus est mirandum in Iudaeis, quibus minus clara lux, quam nobis affulserat (2 Petr. I, 19.) cum etiam inter Christianos, in tanta sacrarum litterarum N. T.

 luce,

luce, extiterint permulti, vt Pelagiani olim, recentioribus temporibus Sociniani, Arminiani, atque etiam alii, qui eodem modo offenderent: in his etiam, qui contra *Tindalium*, et religionis essentialis Auctorem scripsere. Praecipua, vt mihi quidem videtur, caussa erroris fuit haec, quod scriptores veteris Testamenti, quia tum erat οἰκονομία τοῦ νόμου, referre solent summam vitae piae ad legis obseruationem, nec ita diserte fidem in Messiam commemorant, sed fere effectus eius ponunt, et fructus certos ac necessarios, pro caussa, quod e disciplina religionis vniuersa constaret, cum virtutum, et praeceptorum diuinorum vel seruandorum vel seruatorum mentio fieret, in eo fidem de salute per Messiam speranda sua sponte intelligi. Cuius generis exempla plurima etiam in N. T. libris occurrunt, vt in loco insigni Gal. VI, 15. coll. V, 6. Nam etiam Christus ipse interrogantibus, quid agendo felicitatis coelestis spem certam haberent, legem seruare iussit, intelligens id, sine quo lex seruari non potest, h. e. fidem. Ita saltem intelligendus est locus de miserando iuuene illo *Matth. XIX.* 16 *sq.* (neque enim placet ironia, quae et hic et alio loco inesse in Christi verbis vulgo putatur) qui cum se respondet legem seruasse a puero (sicut Iobus, nullius sibi se culpae inde a pueris conscium, dixerat) in eo ipso fidem supponit, quia vere respondet. Neque enim mihi persuadere possum, in interrogatione hominis: τί ποιήσω, *quid faciendum mihi est*, necessario inesse superbam opinionem salutis per legem consequendae, cum et ipse ad genua Christi prouolutus *Marc. X*, 17. modestum animum ostendat, et similiter interroget magister carceris *Act. XVI*, 30. et vtatur verbo κληρονομεῖν, in quo, dicunt vulgo, esse gratuiti beneficii significationem: aut in responso iactationem inanem, cuius vulgo accusatur, cum Christus eum amasse eius rei caussa dicatur *Marc. X*, 21. in quo misere se torquent interpretes, tenaces opinionis vulgaris, de superbia inani hominis; cum longe aliud sit, in quo miser ille pecca-

peccarit; de quo alius erit commodior disputandi locus. Non inutiliter hic, h. e. de fide in V. T. comparabuntur bene disputata a *L. Capello* in egregia Distribe *de praerogatiuis Eccles. Christ. supra Iudaicam* §. 3. 4. *in Opp. Capellorum p. 216 sqq.*

36. Existimare fidem illam, cui spes certa salutis est proposita, per se nullam habere coniunctionem cum natura rerum, et lege diuina, quo eam trahi a nonnullis dixi, sed meri arbitrii diuini decreto, sapientiae illo et benignitatis, vt tertia parte docebimus, plenissimo, factam esse legem modumque salutis consequendae, id quidem etsi prope sua sponte intelligitur, tamen non vno argumento intelligi potest: quae ponemus breuiter, vt ea facilius intelligantur, quae tertia parte disputabuntur: eaque etiam aliis locis profectura studiosis speramus. Ac primum, si etiam legis ipsius moralis quamuis perfecta et omnibus numeris absoluta conseruatio, qualis esse poterat in homine ab omni vitio integro, tamen ad felicitatem coelestem aditum dedit, non sua natura, ac naturali aliqua necessitate, sed arbitrio diuino propter eas caussas, quas parte superiori exposuimus: clarum est, id multo magis esse dicendum de fide, quae in illius locum successit, propterea, quod omnia ea argumenta, quibus illud vicimus, multo magis cadunt in fidem: nec quicquam in ea, quoad est in mente animoque hominis, intelligi potest, quod possit hanc vim habere per se et suapte natura, vt ei Deus tantam illam felicitatem debeat concedere, aut quod habeat naturalem aliquam ac necessariam cum ea copulationem. Res igitur sic habet. Deus cum vellet expromere et in conspectum intelligentium naturarum proferre vim suam, et sapientiam, et vero maxime benignitatem, iis destinauit vitam beatissimam, cuius initia quaedam essent in his terris, perfectio et consummatio in coelo. Id erat benignitatis merae ac liberae, vt omnes intelligunt. Quae enim vis ac necessitas eum poterat ad

eam rem adigere? Sed eosdem volebat esse sanctos, a vitiis puros, et omnibus virtutibus ornatos: non, vt propter sanctitatem ad eam felicitatem venirent, illaque esset huius efficiens: quomodo enim? sed quod non deceret Deum, sanctitatemque eius summam, non sanctis atque improbis dare velut praemium impietatis. Homo igitur peccando, quantum in ipso fuit, irrita reddidit benignitatis diuinae destinata: non, quo benignitatem diuinam sustulerit, quae mutari ac diminui non potest, sed quod sanctitatem diuinam aduersariam sibi fecit. Ecce Deus rationem iniit, qua benignitatem et sanctitatem suam vel vt in concordiam redigeret, expiandis per Christum peccatis humanis omnibus, atque ita reddidit hominibus salutis spem. Sed quando ei ius est, modum accipiendorum beneficiorum statuere, vt supra vicimus, placuit ei modum statuere hunc, vt fides in Christum esset in iis, qui ad eam salutem adspirarent. Ea quamquam est effectrix verae sanctitatis, idque in statuendo modo illo aliqua ex parte spectauit Deus pro sanctitate sua: tamen non ob hanc vim, eum Deus voluit esse modum consequendae salutis, vt clare patet e multis Christi dictis, et diserta Paulli in epistola ad Romanos disputatione, idque ipsum sapientissimis et benignitatis in homines plenissimis de caussis, sed per se: idque diligenter et arcte tenendum, nisi totam rationem Christianae religionis (οἰκονομίαν Paullus appellat) conturbare velimus; quod faciunt hi, qui fidem ita definiunt, vt non tam ad benignitatis diuinae arbitrium, sed vel maxime ad sanctitatis rationem referant: vnde et in doctrina ipsa incommoda atque errores, et in animis hominum dubitationes et sollicitudines oriuntur. Nam, qui summam fidei esse dicunt in eo, *vt statuamus firmiter, fieri non posse, vt aliter quam per I. C. et alia quam per ipsum praescripta ratione* (ita scilicet interpretari videntur *per I. C.*) *aeternam mortem euadamus, et contra vitam aeternam consequamur* (*Remonstrantes* in *Confess.* c. *XI.* §. 2. p. 35.) vnde volunt existere obedientiam

tiam Christo debitam: hi profecto rem omnem in salute consequenda, atque ipsam adeo fidem, reuocant ad sanctitatem, et ad noua argumenta sanctitatis persequendae, quae a Christi auctoritate et praeceptis ducantur; in quo iis prolusit *Socinus* cum gregalibus. Etenim fides si est ipsa illa ratio, quam Christus e libero Dei decreto praescripsit, consequendae salutis: quomodo ea demum potest statuere, salutem esse petendam ea ratione, quam Christus ostenderit? Quae enim est illa ratio? Certe a fide diuersa: quia fides modo statuit, eam sequendam esse. Hanc igitur si volent dicere nominatim, et non abdere se in vagis et generalibus formulis, necesse habebunt confiteri, eam se ponere in sanctitate, quod tamen ipsi a se amoliri conantur (in *Apol. c. Censuram Theol. Leid.* *p.* 110. *b.* et alibi.) Quodsi ista fides est, cum statuimus, salutem esse quaerendam, praescripta diuinitus via: etiam Adamo per fidem salutem petendam fuisse dicemus, etiam per fidem peteretur salus, si Deus solam legis naturalis obseruationem requireret. Quae quam sint aliena, omnes vident. Atque etiam, si fidei notionem fecerimus hanc, vt eam non nisi hactenus, quoad virtutis magistra est atque opifex, salutem dare dicamus, efficietur, vt salus non sit a fide sola, et per se, (cui tamen hoc diserte attribuit Paullus) quoad est scilicet via salutis per Christum reparatae, a Deo nobis praescripta, sed a certo quodam eius gradu ac robore, quod sufficiat ad subigendas cupiditates, vt volunt, et seruandam legem diuinam: ex quo non modo consequetur, vt non liceat *incipientes* ac *proficientes* (*p.* 37.) statuere, nec *fidem imbecillam ac firmam et robustam*, cum sacris literis, sed vt magna etiam sollicitudo iniiciatur animis, an ad illam *firmitatem statuendi* peruenerint: cum Deus vel maxime hoc spectarit in fide, vt omnibus angoribus liberaret, ac plane tranquillaret animos hominum salutis cupidorum, omnia ad Christum, et in eius morte *ἀνάπαυσιν* referendo. Sed haec pro vsu partis tertiae satis disputata sunt.

38. Pri-

38. Primis statim a corrupto genere humano temporibus *Sacrificia* commemorantur, *Gen. IV*, 3. In iis esse nullam naturalem rationem Dei colendi, in eo consentiunt omnes, praeter quosdam veteris Ecclesiae, itemque Romanae doctores, qui sacrificia legis naturalis esse contendunt, propterea, vt Missae sacrificio praesidium pareat, velut *Bellarminus* de *Sacr. II*, 31. adstipulante *Socino Prael. Theol. c.* 22. sed alia de caussa, h. e. vt illa sacrificia nihil pertinuisse vincat ad Messiae sacrificium expiatorium: vtrum a Deo hominibus diserte praescripta fuerit ista sui honorandi ratio, an humano ingenio pie reperta, et a Deo probata, in eo controuersiae esse aliquid potest. Et *Bellarmini* quidem *Socini*que opinio saepe refutata est a doctissimis Theologis, qui in Romanae Ecclesiae *Socini*que erroribus profligandis elaborarunt, e nostris a *Scherzero Calouio*que, etiam a *Buddeo* copiose in *H. E. V. T. I. p.* 143. et *Theol. Dogm. I*, 1, 23. quos adeant, qui hanc disputationem cognoscere cupiant. Quamquam vix est opus accurata eius opinionis refutatione, cuius vanitas in ipsos oculos incurrat. Religio, quam naturae lex necessaria sancit, tota est in animi pietate, nihil coniuncti habet cum corporeis externisque rebus, in quibus nulla naturalis ac necessaria vis inest ad Deum colendum, sed, si quam habent cum pietate coniunctionem, eam nactae sunt arbitrio vel diuino vel humano, nec ea intelligitur per se, quod esse debet in naturalibus religionis partibus, sed interpretatione. Quod autem ad alteram quaestionem attinet, fatemur, saepe nobis idem visum, rem diligenter considerantibus, quod *I. Henr. Hottingerus*, V. C. in *Exercitt. de Origine sacrif. Patriarch. I*, 4. *) iudicabat, nondum eam ad liquidum perductam, et satis idoneis argumentis firmatam sententiam

*) Primum editae sunt *Marpurgi* 1706. curis posterioribus emendatae et auctae prodiere in *Museo Helu. T. I. P. II. et III.*

ctiam alteram, quae ad arbitrium diuinum refert ſacrificiorum vltima initia, neque illius ipſius *Hottingeri* conatus nobis ſatisfeciſſe. Etenim primum, ipſa diſputationis ratio non ſatis ſubtilis et accurata eſt in eo, quod ad vniuerſum ſacrificiorum genus refertur, et, quae de vna parte valent, ea transfert ad genus totum. Noachum quidem et Abrahamum iuſſos eſſe a Deo victimas caedere, totamque ſacrificiorum diſciplinam Moſaicam diuinitus inſtitutam fuiſſe, de eo nulla dubitatio poteſt eſſe iis, qui literarum ſacrarum diuinitatem agnoſcunt: ſed ex eo non neceſſario ſequitur, prima ſacrificia Adami et filiorum eius iuſſu diuino facta eſſe: nec euidens abſurditas eſt, ſi quis dicat, Deum ſacrificandi morem, ab Adamo pietatis et fidei teſtandae et proferendae cauſſa pie inſtitutum, probaſſe, et auctoritate ſua corroboraſſe, et ad vſum latiorem contuliſſe. Veriſſimum profecto eſt, hominibus piis et prudentibus nullo modo in mentem venire potuiſſe, vt crederent, per victimas expiari poſſe peccata, Deumque ſibi iratum placari: quod ne *Spencerus* quidem auſus eſt affirmare: vnde ei argumento inprimis confidit *Hottingerus:* ſed id de vna parte ſacrificiorum, expiatoria, valet: parum ſubtiliter transfertur ad genus totum, aut ad prima illa, de quibus traditur, ſacrificia; quae non ἱλαςικὰ, ſed εὐχαριςικὰ fuerunt, nec ad expianda peccata, ſed gratum animum teſtandum comparata: quippe in Cainis ſacrificio, nullus ſanguis, nulla αἱματεκχυσία fuit, ſine qua nullum peccatum expiatur, *Ebr. IX*, 22. Abelis autem ſacrificium e primogenitis pecorum foetibus fuit: quod genus euchariſticum eſſe ſatis conſtat.

39. Iam quod ad ipſa argumenta attinet, quibus vinci poſſe exiſtimant, homines inſtituiſſe primum ſacrificare iuſſu diuino, ea non ſunt eiusmodi, vt apud ſubtiliter eorum pondera aeſtimantem multum valere poſſint. In quibus maxime ſolenne eſt hoc, quod in ſacrificiis, humano ingenio inuentis, ἐθελοθρησκείαν, hoc eſt, vt vulgo

vulgo illud vocabulum interpretantur, quamquam inuita linguae graecae ratione, commentitiam religionem, esse aiunt, quam, Adamus ignorare non potuerit, Deo minime probari. In quo mihi videntur viri docti religionem commentitiam confundere cum institutis et cerimoniis ad exercendam atque in lucem proferendam fidem et pietatem aduersus Deum inuentis; in quibus si est ἐθελοθρησκεία, omnes etiam nostrae Ecclesiae ritus, non diuinitus institutos, et ad ἐθελοθρησκείαν referre et abrogare necesse habebimus; quos tamen recte contendimus seruari, et vtiles esse, si ii non per se probentur et suscipiantur, sed, quod habeant vtilem admonitionem, et quandam fidei pietatisque exercitationem, vt praeclare docet *August. Confess. art. XX.* Ἐθελοθρησκεία est in omnibus ritibus externis, fuitque etiam in sacrificiis Iudaicis, quamuis a Deo institutis, si per se crederentur Deo placere, sine fide et pietate, eaque tum Deus, vt a se non praecepta, repudiat, *Ps. L*, 9 - 14. non autem in institutis piorum hominum, apte excogitatis ad proferendam exercendamque pietatem: in quibus inest quaedam disciplina religionis, non ipsa religio. Sane melius est, hanc quoque disciplinam externam a Deo constitui, vt prima Parte ostendimus: sed Ecclesiae prudentiae etiam in ea aliquid iuris et libertatis concessum esse; verissime defendit eadem illa *Augustana Confessio*. Quodsi Deus non ipse Sabbati cerimoniam instituisset, sed Adamus sua sponte eundem diem memoriae creati et perfecti a Deo mundi, precibus et hymnis celebrandae, consecrasset, an in eo commentitiam religionem, non potius institutum pium et vtile pietati alendae et exercendae fuisse diceremus? At sacrificia, aiunt, nil habent in se, quod Deo placeat. Nemo dubitat. Quid amplius? Ergo hominibus piis et sapientibus non potuit de iis venire in mentem. Hoc quidem nimium est. Nam pari ratione liceret colligere, Deo sapientissimo de iis in mentem venire non potuisse. Sane non potuit hominibus piis

et

et prudentibus in mentem venire, in sacrificiis esse gratum Deo cultum per se: id nec Deo venit in mentem: sed potuerunt credere, hunc esse aptum modum externo aliquo signo testandae atque adeo exercendae fidei et pietatis, quod fuit ipsius Dei consilium. Quo loco miror *Hottingerum* vsum esse verbis *Dauidis* e *Ps. L.* vt ostenderet, in sacrificiis humanis nihil esse, quod Deo placere possit, cum ibi sermo sit de sacrificiis ab ipso Deo institutis. At Abelis sacrificium Deo placuit propter fidem *Ebr. XI.* (v. *Hottingerus* §. 15.) Sane. Nam nihil omnium, quae religionis caussa vel de praecepto diuino, vel de instituto Ecclesiae, facimus, Deo aliter placet. Sed si inde sequitur, sacrificium Abelis de Dei praecepto factum esse, pari ratione sequatur necesse est, Cainis sacrificium, quod Deo displicuit, non de praecepto diuino factum. Quodsi hoc non est consequens: cogitur, vt ne illud quidem. Quid autem? animalium in pura et impura distributio (*Gen. VII*, 2.) non ad sacrificia pertinet, et diuini ea instituti iam tum fuisse arguit? Hoc quidem speciosius est. Sed tamen nihil est admodum, quod respondeamus iis, qui id discrimen vel ad rationem cibi humani pertinere dicant, cum ipsae literae sacrae eo quoque referant (*Luc. XI. Act. X.*) vel ab hominibus, in sacrificandi more, constitutum esse: cum dubitari non possit, quin homines nulla alia animalia in victimarum numero habuerint, quam quibus ipsi vescerentur. Plurimum tribuerim rationi eorum, qui dicunt, intelligi vix posse, quomodo Adamus in id consilium inciderit, vt sacrificia institueret, iisque fidem pietatemque exerceret. Sed tamen et illud fatendum arbitror, nullam in eo repugnantiam intelligi posse, et vix pro certo dici posse, quid hominibus in tali re in mentem venire possit nec ne: cum sint in moribus et institutis humanis multa alia, quae quomodo hominibus in mentem venerint, intelligi et demonstrari vix possit.

40. Pla-

40. Placet igitur, originem primam facrificiorum effe humanam? Sane non video, quid habeat aut abfurdi, aut ad religionem incommodi, fi dicamus, Adamum fua fponte inftituiffe facrificia, non omnia, fed euchariftica, et eam rationem Dei deinde iuffu ad alias partes religionis translatam, et nouis generibus, inprimis expiatorio, auctam effe: fed tamen malim vniuerfum genus a Dei praecepto et inftituto deriuari. Primum, quia Deus de die ipfe conftituit, quam vacare a negotiis curisque vitae humanae, et facram ac folennem cultui fui vellet, cum tale quid hominibus piis ipfis venire in mentem, perfpecta aequitate et vtilitate, et vero etiam neceffitate rei (§. 34) poffet: valde credibile eft, eum etiam de modo fui publice colendi, nominatim per facrificia, fanxiffe: praefertim cum videamus, poftea, Sabbatis Iudaeorum, feftisque diebus, maxime folennem cerimoniam fuiffe in facrificiis. In quo porro Deus confulere homini potuit, vt certus effet, eam rationem Deo probari, feque facrificiis fi fides et pietas non defit, gratum ei facturum: in quo magnam partem animi tranquilli effe fupra oftendimus (§. 8.) Atque etiam Adamus, cum trifti experientia didiciffet, quam periculofum effet, in rebus ad Deum pertinentibus, iudicium fuum potius, quam ipfius Dei fequi, vix videtur in religione aliquid fua fponte inftituere aufus effe, fed omnia ad voluntatem et praeceptum diuinum retuliffe: quod ei licebat tanto maiori cum fiducia facere, atque expectare, dum Deus aliquid praeciperet, cum fibi alia iam a Deo praefcripta et tradita fciret.

41. Praeter Sabbatum et facrificia nihil eft, quod ante diluuium Noachicum a Deo religionis cauffa conftitutum fciamus. Sed Noacho lex data eft *de abftinentia fanguinis, Gen. IX*, 4, quam non effe iuris naturalis ac neceffarii, fed voluntarii, quiuis intelligit. Ea lex quamquam ciuilis potius eft, quam facra, ciuilisque magis fecuritatis, quam

quam religionis cauſſa ſancita eſt: tamen hactenus referri ad religionem poſſe videatur, quod quicquid Deus praecipit ac vetat, in eo vel faciendo vel vitando religio eſt. Atque a Iudaeis quidem omni tempore, vt ceteras de ciborum diſcrimine leges, ad religionem relatam, et ſuper ea ab Apoſtolis, hanc ipſam ob cauſſam decretum factum eſſe, (*Act. XV.*) ſatis conſtat. Sed quoniam tamen proprie non pertinet ad religionem, et Dei colendi modum, nec in ea aliquid eſt aut obſcuritatis aut difficultatis, plura de ea dicere nihil attinet.

42. Sequuntur *duo* V. T. *Sacramenta*, *Circumciſio* Abrahamo ſic praecepta, vt ad omnem eius poſteritatem propagaretur, et *Agni Paſchalis* epulum, per Moſen a Deo, ſub exitum Iſraelitarum ex Aegypto, inſtitutum, hac lege, vt ea cerimonia eſſet perpetua et anniuerſaria. In vtroque eſſe partem religionis magnae, nec ſine ſalutis diſpendio negligendae: ſed a parte Dei voluntariae, de eo neminem arbitror dubitare: neque eſt, quod hanc in partem diſputemus: et dicetur aliquid infra, §. 55. ſed ne hunc de Sacramentis V. T. locum ſine aliqua vtili ſtudioſis obſeruatione dimittamus, age, per hanc occaſionem videamus, an aliquid lucis afferre poſſimus loco in Theologia non ignobili, et diſputationibus ac diſſenſionibus Theologorum noſtrorum agitato, *de re coeleſti* (*materiam* vulgo vocant, latinitate ſcholaſtica, non Romana: cuius inſcitia et ipſa conturbauit Theologos multos) *Sacramentorum V. T.* Ienenſes quidem Theologos, video, non agnoſcere in V. T. rem coeleſtem, vt *Himmelium*, *Gerhardum*, *Muſaeum*, *Baierum;* quam opinionem, non video, quomodo ſatis conciliare poſſim cum vera Sacramenti notione, in qua requiritur profecto aliqua coniunctio rei viſibilis cum beneficiis coeleſtibus et cum religione, nec ſine ea Sacramentum, quod proprie dicimus in arte ac ſchola, intelligi, vt opinor, poteſt. Sed viros doctiſſimos in dubitationem adduxit non ſatis intellecta

Sacramentorum V. T. natura, quoad ea vim habet ad hanc quaeſtionem illuſtrandam, et ab iis, quae contra eos diſputarent, non ſatis explicata. Videamus igitur, an eximere poſſimus hanc dubitationem his, qui cum illis ſentiunt, explicata breuiter natura Sacramentorum V. T. quoad quidem ſunt ab Sacramentis noſtris diuerſa.

43. Ac fundamenti loco ponimus obſeruationes quasdam, a quibus bene perceptis omnis rei diiudicatio pendet. Dico igitur primum: Sacramenta V. T. habere σχέσιν duplicem, quarum altera ad legem, altera ad Euangelium referatur. Cauſſae hae ſunt. Primum V. T. etſi et ipſum ſalutem per Chriſtum promittit, vt ſupra diximus: tamen eſt et dicitur οἰκονομία νόμου, vt N. T. τῆς πίστεως. Itaque in omnibus inſtitutis debuit eſſe aliquid, quod ſit coniunctum cum lege, vel habeat rationem legis. Deinde in promiſſione, quae a Deo facta eſt Abrahamo *Gen. XVII.* cuiusque ſigillum fuit circumciſionis cerimonia, ſemina inſunt legis et Euangelii. Nam ſecretio poſteritatis naturalis Abrahami ab omnibus ceteris gentibus, et promiſſio terrae Cananaeae, poena corporis conſtituta aduerſus eos, qui circumciſionem neglexiſſent, legis profecto ſunt, non Euangelii: at iuſtificatio per fidem, *Rom. IV*, 11. cuius σφραγὶς eſſet circumciſio, cuiusque omnes per totum terrarum orbem compotes fierent, in quibus eſſet talis fides, qualis in Abrahamo fuiſſet, ad Euangelium pertinet. Itaque conſentaneum fuit, vt Sacramento circumciſionis eſſet aliquid, quod ad vtramque illam rationem aliquam σχέσιν haberet. Similisque eſt ratio alterius Sacramenti. Nam ſecuritas a pernicie primogenitorum erat legalis, quae contingeret omnibus, etiam non fidelibus, qui praeceptum Agni Paſchalis ſeruaſſent: altera ſecuritas a pernicie peccati, et morte aeterna, quae contingeret propter Chriſti mortem, quam agni paſchalis ſignificabat, erat Euangelica. Denique cum totius λατρείας in V. T. eſſet ratio typica, haberet-

que

que duas partes, alteram, quae esset in typo, siue re sensibili, quae adumbraret bona futura, alteram antitypicam, h. e. bona ipsa, quae in sensibilibus rebus intelligerentur: efficitur, vt etiam in Sacramentis fuerit vtrumque, sensibilis et intelligibilis res. His constitutis, sequitur, vt in Sacramentis V. T. tria insint: primum aliquid praesens et sensibus subiectum, in quo insit ea, quam *terrenam rem* vocant: alterum, res typica, quam terrena illa significet proxime, et sine interiectu alterius, eaque inuisibilis, non per se, sed qua est in promisso: tertium, res antitypica, plane illa insensibilis atque coelestis. Haec iam ad vtrumque V. T. Sacramentum transferemus, quaeremusque aliquid, cuius signum fuerit circumcisio et agnus Paschalis, quodque idem intelligibilis alicuius et coelestis boni significationem habuerit.

44. De *Circumcisione* igitur sic reperietur, *Genes. XV*, 18. post saepe repetitas promissiones, Deus Abrahamo proponit promissionem terrae, posteris eius habitandae, quod est hebraice *foedus:* eaque repetitur distinctius *c. XVII.* ita, vt ponatur primo ipsa, deinde conditio feratur Abrahamo circumcisionis. Vnde manifestum est, rem proxime significatam circumcisione esse possessionem terrae Cananaeae, posteritati Abrahami promissae. Etenim in formula quasi foederis instituti, necessario debet exprimi res significata symbolis, vt in S. Coena et Baptismo. Sed quia, vt ante demonstrauimus, in V. T. omnia sunt typica, siue symbolica, haec quoque res talis esse debet, estque adeo symbolum coelestis patriae, Canaanis, quietis, per Christi sanguinem partae. Quae mirifice confirmantur disputationibus Paulli, quibus per Cananaeam terram coelestem felicitatem adumbratam ostendit, *Ebr. III*, 18. *IV*, 3. *sqq. XI*, 10. *sqq.* Quodsi Christus ipse, aut bona eius, sine typicae rei interuentu significata fuerunt in hoc Sacramento, quaeri potest, cur abolitum sit, idque et de Agno paschali valet. Enimuero est abolitum,

tum, vt cetera omnia, in quibus tantum esset adumbratio Christi et bonorum N. T. Vnde necessario sequitur, vt typicum fuerit. Non autem erat typicum, qua rem terrenam, et visibilem: quod alioqui etiam N. T. sacramenta typica forent, in quibus et ipsis est res talis, quae incurrit in sensus: sed qua rem, proxime re terrena significatam. Quid? quod Paullus circumcisionem appellat *στοιχεῖον τοῦ κόσμου*, *Gal. III*, 3. Id nomen quomodo cadere in eam posset, si Christum proxime signaret cum bonis suis? Denique etiam circumcisionis neglectae poena corporea fuit constituta *Gen. XVII*, 14. *Exod. IV*, 24. quae profecto cum typo poenae, post mortem euenturae his, qui fide, qualis in Abrahamo fuisset, carerent, intelligi debet. In quo est perspicuum argumentum, in circumcisione etiam duplex bonum intelligendum esse, alterum, quod in hac vita contingeret, alterum, quod post hanc vitam speraretur. E quibus omnibus efficitur hoc, vt res coelestis in circumcisione sit vita coelestis, per terrae Cananaeae possessionem adumbrata.

45. Quod porro ad Sacramentum *Agni Paschalis* attinet, in verbis, quibus ea cerimonia sancitur, *Exod. XII.* diserte commemorantur duo, quorum alterum est Israelitarum, agnum illum rite assatum, cum pane non fermentato et amaris comedentium: alterum Dei, promittentis *transitum angeli percussoris*, h. e. securitatem a plaga ea, qua Deus, per ministerium Angeli, perniciem omnibus primogenitis per Aegyptum intulit; a quo transitu etiam nomen ritus ille accepit. Ex quo fit, vt res inuisibilis, quae proxime significaretur re Sacramenti huius terrena, fuerit ille transitus angeli interfectoris. Sed, vt ipse Agnus fuit typus Christi, olim occidendi: sic transitus ille fuit typus securitatis nostrae et liberationis a morte et pernicie aeterna, per mortem et sanguinem Christi, cuius etiam carne et sanguine, tum proprie in S. Coenae Sacramento, tum assidue *πνευματικῶς*, per fidem,

fidem, recreamur, et aduersus omnes irae diuinae terrores munimur.

46. Atque ex his etiam patet, qualis Israelitarum fides fuerit in istis Sacramentis, h. e. duplex obiectum habens, alterum terrenum, sed symbolicum, alterum intelligibile modo ac coeleste. Credere debebant promissionibus diuinis ad vtilitatem aliquam, aut securitatem huius vitae, pertinentibus, quae proxime Sacramenti ritu significarentur, sed multo magis, quoad pertinerent ad res inuisibiles, et vitam futuram. Id intelligitur etiam ex eo, quod vtrumque Sacramentum mansit parta possessione terrae Cananaeae, et post transitum interfectoris Angeli: vt nos celebramus S. Coenam post mortem Christi, et sanguinem ab eo profusum. In quo si quis quaerat, vnde constiterit Israelitis de re, per typum illum significata? responderim, e disciplina Prophetarum, qui Israelitis initia religionis vniuersae tradebant, et interpretabantur instituta, leges, et promissa diuina: quod multis hic demonstrare non est necesse.

47. Sacramenta autem illa fuere posthaec partes duae primariae *Legis Cerimonialis*, in qua vtriusque sanctio repetita est. Tota haec lex fuit voluntaria, sanxitque res nihil coniuncti habentes per se cum natura diuina atque humana, sed, quae sanctitatem acciperent partim ab diuino arbitrio, partim ab vsu humano, qui esset voluntati et consilio Dei consentaneus, hoc est, a fide vsurpantium, et obedientia erga Deum, et vniuersa animi in Deum pietate. Nam, qui secus in iis vsurpandis versarentur, eos nihil agere, quod a se iussum esset aut sibi placeret, saepe Deus professus est ipse. Ex quo intelligitur, legem illam nihil aliud habuisse, quam exercitationem fidei ac pietatis per res eas, quas Deus voluisset, et disciplinam quandam Israelitis aptam. Quae res est obseruatione inprimis digna. Etenim, qui hoc teneat, neque mirabitur, si Deum legat istas cerimonias non probasse, ne iussisse quidem, *Ps. L.* et *Ier. VII*, 21. 22. nec

cum *Spencero* descendet eo, vt eas Deum inuitum, et per quandam *συγκατάβασιν*, instituisse opinetur: quod eum, non malo forte consilio, operose demonstratum iuisse constat: ceterum arma ministrauit religionis per diuinos libros traditae aduersariis nouitiis, quibus ad oppugnandam veritatem diuinam abuterentur: nec denique cum his offendetur illa lege, eamque ad contemtum religionis Iudaicae et librorum Mosaicorum trahet. Sed in hac lege sancienda nihil fecisse Deum, quod esset ab eius iure in homines alienum, e superiori parte disputationis intelligitur: nihil inesse, quod non consentiat sapientiae eius et benignitati, et ex eadem illa disputatione intelligi potest ab iis, qui vniuersa dicta ad res singulas transferre didicere, et distinctius tertia parte demonstrabitur.

48. Sed haec lex quamquam tota est per mortem Christi abolita *Coloss. II*, 14. idque ipsum sapientissimis de caussis, vt docebimus: tamen placuit Deo, etiam *in N. T. religione* instituere quaedam voluntaria, quibus servandis adstricta esset salutis consequendae ratio. In iis primus occurrit *Baptismus Ioannis*, deinde *Christi*. Nam Ioannem non imitatione quadam cerimoniae, dudum institutae in Proselytis initiandis, instituisse baptismo vti, dubitare nos non sinunt literae sacrae, quae rem omnem a Dei iussu repetunt, *Ioann. I*, 33. In eius autem baptismo suscipiendo veniam peccatorum atque spem salutis propositam fuisse, id ipsum intelligi potest et e professione Ioannis ac disciplina, et ex eo, quod hanc spem negat pertinere ad hypocritas, h. e. eos, in quibus non essent vera *μετάνοια* et fides, *Matth. III*, 7. *coll.* 2. 6. Quae res nobis dant locum disputandi quaedam, vel admonendi *de baptismi Proselytici origine* et *loco Apostolicorum Actorum XIX*, 4. ad Ioannis baptismum pertinente, valde illo interpretum dissensionibus exagitato.

49. De *Proselytorum baptismo* quae disputata sunt a doctissimis viris in vtramque partem, ea non necesse est

hoc

hoc loco commemorari: et possunt e libellis plurimis, vulgo obuiis, cognosci. De origine eius aliquid admonere satis habemus: quod aliis cogitandi, et rem accuratius copiosiusque explicandi occasionem praebeat. Etenim, quae de ea re vel Iudaei, omnibus institutis suis antiquitatem maximam adserere cupientes, tradiderunt, vel *Danzius* (*de Antiq. baptismi Initiationis Israel.*) statuit, ea mihi semper contortissima visa sunt, nixa *lauandi* verbo, similibusque, e quibus tale quid deriuare non est interpretis, quod in verbis inest, agnoscentis, sed, quod inesse velit, exprimere per vim conantis: cuiusmodi est etiam de latino verbo eiusdem *Danzii* oppido ridicula (§. 58.) sententia, cum in verbis *Taciti* de Iudaeorum proselytis, (*H. V*, 5.) *nec quicquam prius* imbuuntur, *quam contemnere Deos cet. euidens* esse, cum magna fiducia affirmat, (*nisi me omnia fallunt*, inquit,) *baptismi Iudaici testimonium*, fretus verbo *imbuendi*: in quo nullam talem vel leuissimam suspicionem locum habere, vel tiro latinitatis intelligat. Mihi autem de ea re sic videtur. Etsi Deus Abrahami genus delegerat ex omni genere humano, vt id veram religionem teneret, eamque ob caussam etiam circumcisione secreuerat ab omnibus populis; tamen non modo non prohibuerat gentiles ab aditu ad vera sacra, sed etiam obscure ab initio (*Gen. IX*, 27.) clarius deinde et ipse praedixerat (*Gen. XVII*, 7. *coll. Gal. III*, 8.) et per Prophetas, Dauidem maxime et Esaiam, tempus fore, quo gentiles omnes promiscue ad communionem bonorum per Messiam sperandorum, vocarentur et adducerentur, idque fore tum, cum Messias venisset. Neque id ignorabant Iudaei, inprimis doctiores, agnoscuntque etiam recentiores. v. *Schoettgenii Hor. Talmud. T. II. p.* 621. Veteris Testamenti temporibus, quorum monimenta literis diuinis consignata habemus, aditum gentilibus patuisse ad Iudaica sacra per solam circumcisionem, ipsis libris sacris docemur: vt mirum sit, in illis temporibus origines baptismi proselytici quaeri.

 Reliquo

Reliquo porro ante Christum natum tempore, in sacris Iudaicis suscipiendis nihil praeter circumcisionem commemorari ab auctoribus rerum Iudaicarum videmus. *Iosephus* quidem (*Ant. XIII*, 9. 11.) in Idumaeis ab Hyrcano ad sacra Iudaica adactis eam solam commemorat. Nam Hyrcanum, ait, iis optionem hanc dedisse, vt vel relinquerent patriam, vel περιτέμνειν τε τὰ αἰδοῖα, καὶ τοῖς Ιȣδ. νόμοις χρῆσθαι instituerent, in hasque duas conditiones itum ab iis esse. Sed loca sunt Prophetarum, vt *Ioelis* et *Zachariae*, a Theologis Christianis dudum notata, in quibus haud obscure praedicitur baptismus Christianorum. Ex his necesse est cognitum habuisse Iudaeos, inprimis doctiores, siue sua sponte, siue interpretatione, et doctrina ipsorum prophetarum, regno Messiae initiandos homines fore baptismo. Eius autem regni initia prima recte ponebant in aduentu Eliae, a *Malachia* denunciato. Atque hinc commode intelligi possunt multa, quae vel non recte a multis capiuntur, vel ad opinionem de proselytorum baptismo trahuntur. Primum, quod, peruulgata de Ioannis baptismo fama, innumerabilis multitudo effunditur ad eum suscipiendum, id non factum propterea, patet, quod baptismo iam essent adsueti: etenim ille, si erat, ad solos gentiles pertinebat: sed quod regnum Messiae adesse audiebant, eique initiandos per baptismum homines fore, didicerant. Deinde, quod legati Consilii Iudaeorum publici Ioannem interrogant, an sit Elias, vel Christus, quia baptismos exerceat, itemque, quod mirantur, quid sit, quare hoc faciat, cum se nec Eliam, nec Messiam, nec prophetam, ei rei a Deo missum, profiteatur, id clare arguit, ita esse, vt diximus, h. e. venisse iis in mentem de vaticiniis illis. Nam, si de proselytorum baptismo cogitabant, quid id ad Ioannem, qui Iudaeos baptismo imperticbat: deinde, quid opus mirari institutum Ioannis, de eo publicum consilium habere, publice mittere legatos? sed illos ipsos Patres non minus ac plebem, audita re, percussos esse cogitatione

hac,

hac, an adesset regnum Messiae, tanto probabilius fit, quod satis constat, illis temporibus inter Iudaeos hanc opinionem, nixam illam vaticiniis prophetarum, fuisse, non procul abesse Messiae regnum, cum etiam esset propheta, (*Luc. II.*) cui promissum esset diuinitus, non moriturum ante, quam vidisset Messiam: quem id clam habuisse, nullo modo credi potest. Quodsi ante Ioannem fuit aliquid baptismi, quod in proselytis vsurparetur, quod nec pro certo affirmauerim, nec praefracte negauerim, quamquam id non diu ante institutum esse potuit: id, non improbabile mihi videtur, ortum esse ab illa re, quam diximus, quod scirent, ad Messiae regnum, ad quod gentiles quoque vocandi essent, aditum fore per baptismum; eamque rem iam tum adumbrare vellent. Sed hanc suspicionem aliis diligentius examinandam relinquo.

50. Enimuero illi ipsi baptismi, quos Ioannes diuino de praecepto vsurpauit, an et quomodo a baptismo Christi diuersi fuerint, disputari in scholis Theologorum solet: neque necesse est, hic eam rem explicari. Et est nimis clarum, in vtroque spem condonandorum peccatorum, et salutis per poenitentiam et fidem in Messiam fuisse propositam, atque hactenus neutrum aliquid ab altero diuersum habuisse: idque aduersus Romanae Ecclesiae Theologos abunde demonstratum a multis est. Sed quoniam quidam ad tollendam baptismi Ioannei vim abusi sunt loco *Lucae*, *Act. XIX*, 4 *sqq.* quod ii, qui Ioanneum baptismum iam susceperant, vsi esse dicantur baptismo altero Christi, propterea coeptum est in eo loco explicando laborari, et verba *ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίζοντο cet.* relata sunt ad illos ipsos, qui ante a Ioanne initiati essent, et ad Ioanneum baptismum ipsius suasu susceptum: h. e. non propter rationes exegeticas, quae in tali re solae sunt audiendae, nec, quae per eas clare insunt in verbis librorum diuinorum, vllo modo obesse possunt, aut repugnare summae veritatis Christianae.

Sed per illas rationes nullo modo alius ſenſus ex illis verbis exprimi poteſt, quam hic, vt, cum Paullus demonſtraſſet, Ioannem quidem baptiſmum inſtituiſſe, qui aboleret peccata, *v.* 4. ſed per fidem in *Meſſiam mox venturum*; enimuero opus eſſe nunc fide in *Meſſiam*, *qui venerit*, et baptiſmo cum tali fide ſuſcepto, poſt quem etiam dona Sp. S. darentur, quae ſolus Chriſti baptiſmus daret, tum vero, his auditis, ſuſceperint baptiſmum Chriſti, impoſitisque manibus acceperint dona Sp. S. Hoc ita eſſe, quicunque primum hunc locum legerit, nondum imbutus aliqua opinione, exiſtimabit, et exiſtimauit omnis Eccleſia vetus, cuius doctores eum locum ſummo conſenſu ſic interpretantur. Eam autem interpretationem non eo valere, quo quidam etiam SS. Patrum trahunt, vt Ioannis baptiſmus ἀτελὴς fuerit, ſed bene conſentire cum ſententia Eccleſiae noſtrae, de perfectione et vi baptiſmi Ioannei, non alienum eſt demonſtrare paucis. Pertinet enim ad accurate cognoſcendam primi in N. T. inſtituti arbitrarii rationem.

51. Primum, hoc negari vix ſine impudentia aut magna inſcitia ſermonis poteſt, verba ἀκέσαντες δὲ ſemper indicare rem, orationemue praegreſſam, ad quam referantur, qua audita dicantur homines aliquid cogitaſſe, decreuiſſe, feciſſe cet. referrique ad orationem primariam, non verba a dicente relata. In ipſis libris ſacris ſic ea forma eſt omnibus locis, vt *Act. II*, 37. nec exemplum in contrarium afferri poteſt. Deinde, Ioannes non ἐβάπτισε εἰς τὸ ὄνομα Ἰησȣ̃, *profeſſos fidem in Ieſum:* etenim id nomen Meſſiae fore, tum nondum conſtabat: ſed Apoſtoli demum ſic fecere. Paullus porro ipſe tantum *per interpretationem* docet, Ioannem initiaſſe homines in nomen Ieſu, *non diſerte*, *ac nominatim:* per ἐρχόμενον, intellexiſſe hunc ipſum Ieſum, qui ſuis dona Spiritus daret, *non* ipſum *nominaſſe.* Denique neceſſe eſt, vt ii, qui ἐβαπτίσθησαν, ſint ii, ad quos pertinet mox ſequens αὐτοῖς: καὶ ἐπιθέντος αὐτοῖς Παύλȣ τὰς χεῖρας:

ſed

sed hi alii, quam ἀκȣ́σαντες illi, esse non possunt. Enimvero demonstrare me posse, confido, non propterea consequi, aut timendum esse, ne Ioannis baptismus vi sua priuetur. Ac vel illud argumento est, hunc timorem inanem esse, quod, si susceptio baptismi Apostolici post Ioanneum huius vim aboleret, consequens esset, vt etiam baptismus tolleret vim circumcisionis, quae et ipsa veniam peccatorum et salutem dabat per fidem in Messiam: quod nemini venit in mentem suspicari. Sed res erit, vt ego arbitror, planissima, si sic eam intelligamus, vt profecto intelligi debet.

52. Circumcisio, id quod satis constat, dabat salutem et bona promissa a Deo, *per fidem in semen Abrahae venturum.* Ioannis baptismus dabat eadem, sed *per fidem in* τὸν ἐρχόμενον: non bene interpretantur simpliciter *venturum:* quod, si nihil aliud requirebatur, non opus erat baptismo, cum omnes ante credidissent, venturum Messiam, inde ab Euae temporibus, in eamque fidem facta erat circumcisio. Messias in V. T. omni dictus est ἐρχόμενος, *venturus*, κατ' ἐξοχὴν, e *Gen. XLIX*, 10. vt innuit *Cyrillus* Hierosol. *Catech. XII. p.* 261. *ed. Preuotii:* ἀλλ' ȣ̂τος ὁ ἐρχόμενος προσδοκία ἐθνῶν. Sed in Ioannea doctrina intelligendus est *mox venturus*, *statim a Ioanne venturus:* μετ' ἐμȣ̃, ὀπίσω μȣ, inquit ipse: vt patet etiam e summa eius: ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν ȣ̓ρανῶν, *Matth. III*, 2. non, *futurum est*, sed *imminet*, *adest*, *instat.* Iudaei igitur, cum ante credidissent, Messiam venturum, eiusque adeo desiderio tenerentur, si non pio, atque a cupiditate bonorum coelestium nato, at eo, quod opinione de potentia Messiae in rebus humanis ortum esset, non mirum est, si libenter baptismum Ioannis susceperunt, *Matth. III*, 5. praesertim cum, vt ante diximus, aliunde iam concepissent spem aduentantis regni noui. Sed postea-quam Messias et venerat in hanc vitam, et ex ea in coelum abierat, constituto iam et praesente regno Christi, isque iusserat baptismum suscipi in nouam formulam,

suum-

ſuumque nomen, non ſufficiebat baptiſmus in Meſſiam mox venturum, vt non ſuffecerat paullo ante circumciſio in futurum, ſed debebat fieri in Meſſiam, qui veniſſet, credique et profeſſione declarari, eum eſſe Ieſum Nazarenum, in cruce pro nobis mortuum, et in coelos ſublatum. Itaque, vt Ioannis tempore non ſufficiebat circumciſio, quae ſuſcepta erat in Meſſiam quocunque tempore venturum, ſed baptiſmus ſuſcipi debebat etiam a circumciſis, qui inſtitutus erat diuinitus ad homines mox venturo Meſſiae regno praeparandos, ſic tum ii, qui Ioanneo baptiſmo vſi fuerant, debebant regno praeſenti Chriſti per nouum baptiſmum initiari. Neque enim ſufficiebat ad ſalutem, credere Meſſiam mox venturum. *Matthaeus* (*III*, 5.) tradit, non modo *vrbem Hieroſolymitanam* effuſam eſſe ad illum baptiſmum obeundum, ſed etiam *Iudaeam vniuerſam*, *et omnem Iordanicam oram*. In his quam multos fuiſſe, credibile eſt, qui Ieſum non agnoſcerent eum, quem mox venturum crediſſent, ſed repudiarent, et ſupplicio eius cum Saulo fauerent? His igitur non magis proderat poſthaec ille baptiſmus, etiamſi vero animo ſuſceptus antea, quam circumciſio. Vnde fit, vt neceſſario ab iisdem omnibus Chriſti baptiſmus ſuſciperetur, ſalua priſtina et circumciſionis, et Ioannei baptiſmi vi. Quod etiam colligi poteſt ex eo, quod Petrus, cum graui illa concione, cuius ſumma refertur a Luca *Act. II.* commouiſſet omnium animos, interrogatusque eſſet, quid ſe facere vellet, ſimpliciter reſpondet: βαπτισθήτω ἕκαςος ἐπὶ τῷ ὀνόματι I. X. Non excipit eos, qui Ioanneo baptiſmo vſi eſſent, qui eſſe poterant in tanta multitudine, ſed omnes ſine exceptione ſuſcipere baptiſmum iubet in nomen I. C. Atque ita vſi ſunt Chriſti baptiſmo hi, de quibus eſt in illo controuerſo Lucae loco ſermo. Nam, cum audiſſent, Ioanneum baptiſmum quidem et ipſum ad Chriſtum pertinuiſſe, ſed mox affuturum, nunc autem e praecepto Chriſti baptiſmum eſſe ſuſcipiendum in nomen Ieſu Nazareni, atque ita ſe etiam

ventu-

venturos in communionem donorum Spiritus S. cognouissentque et praeceptum diuinum, et promissum, obierunt baptismum, eoque suscepto, cum ipsis imposuisset manus Apostolus, etiam accepere coelestia dona.

53. Hic solet obiici locus ex iisdem *Actis XVIII extr.* de Apollonio, quem accuratius quidem edoctum fuisse, aiunt, Christi doctrinam, quam ante e Ioannis disciplina acceperat, sed sine repetitione baptismi. Enimuero nuspiam dicitur eum non rursus vsum esse baptismo: res, vt nota et solennis, praetermittitur. Ecce enim nec illud traditur, eum accepisse impositis Apostoli manibus τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, h. e. dona Spiritus sancti extraordinaria. An propterea negabimus, ea accepisse? Immo, quia id fiebat semper, eam ob caussam praeteriri silentio solet. Multo autem minus aliquid in contrariam partem valet locus alter *Act. VIII*, 14. quod ibi ne sermo quidem est de discipulis Ioannis. Nam λόγος Θεοῦ, quem Apostoli audierant, receptum fuisse Samariae, Euangelium fuit, quod a Philippo ibi traditum fuerat, et baptismus ab iis susceptus fuerat e manibus eiusdem Philippi, non Ioannis. Itaque non repetitione baptismi opus erat, sed impositione manuum Apostolica, vt donis Sp. S. bearentur.

54. Sed, vt *Sacramenta vniuersa* ad disputationis nostrae consilium accommodemus: in omnibus institutum religionis voluntarium, quod nulla ratio humana sua sponte potuit assequi, nec habet vllam necessariam copulationem cum natura vel diuina vel humana. Neque alia facile res est, in vniuersa religione Christiana, in qua magis arbitrium illud diuinum religionis constituendae appareat, quam baptismus. Est enim clarum, eum nihil habere, quoad aqua perfundit hominis corpus, quod habeat per se aliquam efficientiam, pertinentem ad animos humanos atque salutem. Et tamen Deo placuit, huic tali, tam tenui rei, praecepto ac promisso suo, adstringere rationem salutis vel expetendae vel sperandae, *Marc. XVI*,

XVI, 16. *Act. XXII*, 16. *etc.* 38. et ita, vt alia taceam, ius ſuum in religione oſtendere ac firmare. Neque enim in illa aquae affuſione eſt mera cerimonia, aliquam vtilem ad monendos homines tantum ſignificationem habens, vt quidam exiſtimant, quamquam hanc quoque: quod ſi eſſet, tamen vt inſtitutum, pertinens ad fidei et pietatis exercitationem, probaretur: ſed quaedam pars religionis Chriſtianae, ad ſalutem neceſſaria: quam neceſſitatem ille omnem habet a voluntate ac decreto diuino. Itaque diſerte refertur ad βȣλὴν Θεȣ̃, *Luc. VII*, 29. ſiue, vt Paullus loquitur, quamquam in alia re, *Eph. I*, 11. βȣλὴν τȣ̃ θελήματος αὐτȣ̃, *ad liberrimum decretum diuinum.* Eſt omnino locus ille perſpicuus pro cauſſa noſtra: in quo plebs, et improbiſſimum genus hominum, τελῶναι, cognita Ioannis diſciplina, ſuſcepiſſe dicuntur baptiſmum, in eoque δικαιῶσαι τὸν Θεὸν, *Deo ius ſuum reddidiſſe*: βαπτισθέντες, ait, ἐδικαίωσαν τὸν Θεὸν, *ſuſcipiendo baptiſmo ius ſuum Deo reddidere.* Quomodo ius Deo reddidere? Nempe agnoſcendo eius in ſalutis ſperandae et petendae ratione arbitrium, eius βȣλῇ, voluntati ac decreto, ſe ſubmittendo, et beneficium diuinum, quod in ea re tribueretur, videndo. Theologi autem Iudaeorum quid fecere? Reiecerunt baptiſmum. In eo quid commiſere? μὴ βαπτισθέντες τὴν βȣλὴν τȣ̃ Θεȣ̃ ἠθέτησαν, *repudiando baptiſmo repudiarunt decretum Dei, ſanctionem diuinam* de ſalute humana, et, quantum in ipſis fuit, Deo ius ſanciendi religionem eripuerunt. Nam βȣλὴ τȣ̃ Θεȣ̃ in cauſſa religionis, non eſt *conſilium Dei*, ne quis erret, quale noſtra vernacula ſonat: ſed ratio a Deo praeſcripta ſalutis petendae ac ſperandae, voluntarium Dei decretum de modo quaerendae ſalutis, חפצו, εὐδοκία αὐτȣ̃, θέλημα: quomodo βȣλὴν Θεȣ̃ dixit apud eundem *Lucam* Paullus, *Act. XX*, 27. cum ſe, ait, Epheſi tradidiſſe, ſumma cum fide, πᾶσαν τὴν βȣλὴν τȣ̃ Θεȣ̃, h. e. omnes religionis a Chriſto inſtitutae partes ad ſalutem neceſſarias, μετάνοιαν maxime εἰς Θεὸν καὶ πίςιν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν I. X. *v.* 21.

Verbum

Verbum autem ἀθετεῖν, quo vſus eſt *Lucas*, propriam ſedem habet in legibus, et in iis, qui auctoritatem legislatoriam obtinent, quorum decretis parere fas eſt, vt *Hebr.* X, 28. *Iud.* 8. Enimuero, quae de baptiſmo diximus, ea, in promtu eſt, communia eſſe Sacramento Veteris Teſtamenti primo, cuius viſibilis ratio fuit in pudendorum virilium circumciſione. In Sacramento autem corporis et ſanguinis I. C. quod eſt N. T. alterum, etſi non eſt par baptiſmo neceſſitas; propterea, quod in eo eſt potius exercitatio et alimentum diuinum fidei amorisque in Deum hominesque, et pignus ſpei ſalutisque noſtrae amabile, quam partae per Chriſtum ſalutis conſequendae lex et modus: tamen neceſſitatem habet hanc, vt, qui ſit in facultate huius cerimoniae rite obeundae, neque tamen ea facultate vtatur, in eo vera fides eſſe atque ſpes adeo ſalutis nulla poſſit. In quo ſimillimum eſt Sacramento V. T. in cuius locum ſucceſſit.

55. Sed omnium talium inſtitutorum communis haec eſt ratio, vt nullam habeant naturalem neceſſitatem, ſed neceſſitatem ſuam ducant ab auctoris voluntate, ſintque in numero rerum voluntariarum. Eaque ipſa neceſſitas non eſt in inſtituendo, ſed in obeundo. Neceſſe eſt homini, inſtitutis iſtis vti diligenter e praeſcripto diuino: ſed neque diuina neque humana natura habet aliquid, propter quod neceſſe fuerit Deo, eas partes religionis conſtituere. Coniunctionem igitur habent ex inſtitutione diuina neceſſariam cum religione, ſed non cum natura diuina et humana: quae ſi eſſet, ratio humana intelligere ſua ſponte eas res vel potuiſſet, vel poſſet. Quod non eſſe, quis non intelligat? Neque vero eſt, quod quis nobis obiiciat, omnes eas partes religionis, vel Iudaicae, vel Chriſtianae, quas voluntarias dicamus, primum non eſſe alienas ab diuinis perfectionibus, ſed cum iis praeclare conſentire; deinde accommodatas naturae humanae: quae eſſe ab natura arbitrii aliena. Etenim nos non ſumus ii, qui dubitemus, quin omnes illae arbitrariae religionis

ligionis partes nihil habeant abhorrens a natura vel diuina vel humana: quippe id in omni hac disputatione intelligi voluimus; cum nihil tale possit a Deo proficisci. Sed in eo est mera conuenientia, quae hanc vim habet, vt Deus tales res possit, salua maiestate sua, instituere, non autem necessitas talis, vt repugnet, Deum eas non instituere, vt intelligi et plane demonstrari possit, Deum eas res praescribere, et in parte religionis ponere debuisse, si conseruare suam bonitatem, suam sanctitatem vellet, et has denique potius, quam alias: qualis necessitas est in partibus religionis eius, quam naturalem vocamus, quae est tota prorsus necessaria: vnde fit, vt omnes eius partes rationis humanae vis assequi possit, et assecuta sit: quod, omnes vident, secus esse in iis, de quibus nos disputamus, religionis Christianae partibus. Illud etiam fatemur, ista instituta non modo non abhorrere a perfectione diuina, sed eius etiam magnitudinem, vim diuinae benignitatis, sanctitatis, sapientiaeque, praeclare demonstrare, id quod omnibus paginis clamant Epistolae Paullinae, nosque propria Disputationis parte demonstraturos professi sumus. Sed ne hoc quidem talem efficit necessitatem, qualem esse in naturalibus religionis partibus diximus. Sapientiam arbitrii diuini ea res demonstrat, non arbitrium ipsum tollit. Neque enim arbitrium sua natura repudiat bonitatem, iustitiam, sapientiam, sed ab ea in homine regi debet, in Deo semper regitur, non, vt, quicquid ab iis non abhorret, id statim decernat, sed vt, quod decernat, id iis semper consentiat, id iis illustrandis prosit. Quae duo, video, a nouitiis disputatoribus parum subtiliter confundi, cum sint longe diuersa: eaque res nos admonet, vt contra eorum rationem aliquid de vniuersa religionis *οἰκονομία* dicamus. Sed ante absoluamus id, quod nunc agimus. Videamus igitur, quicquid est institutorum humanorum, in republica, in artibus, in disciplina publica et priuata: omnibus hoc reperiemus esse commune, vt habeant coniunctionem

aliquam

aliquam et conuenientiam cum ea re, cuius caussa comparata sunt, ob eamque probentur et laudentur, sed vt ea nemo propterea necessaria putet, ac non agnoscat arbitrium eius, a quo sunt profecta. Itaque alii legislatores humani, alii magistratus imperatoresque, alii artifices, alii doctrinae professores, alii denique patres familias aliis institutis, alia disciplina vtuntur: in eoque fit saepe, vt in diuersitate institutorum idem consequantur, sitque interdum perdifficile ad iudicandum, vter plus ac citius profecerit. *Aditur non vna via*, *Plinius* ait de altera villa sua, *Ep. II*, 17. Laurentina et Ostiensi. Sed Laurentina a quartodecimo lapide, Ostiensis ab vndecimo relinquenda erat. Vtrinque excipiebat deinde iter simillimum solo ac regionibus. Quid igitur? Vtraque via XVII. passuum millia habebat. Vtra iret Plinius, nihil referebat; eodem tempore in villam veniebat. Poterat igitur Deus istis Sacramentorum institutis non vti: etenim salutem hominibus dedit ante illa instituta: poterat etiam aliis vti: quis enim audeat sapientiae diuinae hos tam angustos limites circumdare, vt praeter haec ei in mentem nihil tale venire potuerit, quod parem vim haberet, eamque infra ingenii humilitatem deprimere, quod multas sibi ad eandem rem vias munire ac patefacere potest? Quod ea induxit in religionem, quod haec potius, quam alia: in eo vero arbitrii diuini libertas est agnoscenda, sapiens illa quidem, et benigna, et sancta, sed libertas tamen, quae ei, salua natura ipsius, eripi nullo modo possit.

56. Atque haec facile etiam poterunt accommodari ad alteram religionis Christianae voluntariam partem, h. e. *ad fidem*: de cuius vera natura supra (§. 36.) dictum est. Nam et ipsa refertur ad βȣλὴν Θεȣ̃, *Act. XX*, 21. in qua decretum diuinum de modo salutis expetendae et accipiendae intelligi, vidimus. Ea vero etsi ita accommodata est naturae humanae imbecillitati, vt nihil sit ad intelligendam benignitatem diuinam erga genus humanum, et sapientiam illustrius, quod me, duce et auctore Paullo,

tertia parte claris et non refellendis argumentis demonſtraturum confido: tamen nullo modo in ea intelligi poteſt neceſſitas aliqua, propter quam Deus hunc ſperandae accipiendaeque ſalutis modum ſtatuerit. Nam primum non decet homines, his vinculis conſtringere arbitrium diuinum, vt ei licuiſſe negent, ſine tali conditione, partam a Chriſto ſalutem dare hominibus. Impium eſt, et a recta ratione alienum, ſi quis Deum cogat beneficia ſua ſine conditione tribuere, nullam accipiendi legem ponere, vt prima diſputatione vicimus: ſed nec illud ſatis conſentit reuerentiae, quam Deo debemus, ei non hoc iuris concedere, vt ſimpliciter et ſine tali conditione poſſit beneficia ſua largiri. Nec magis conuenit exiſtimare, cum Deo placuiſſet, certum accipiendae ſalutis modum hominibus praeſcribere, qui eſſet ſe dignus et homini aptus, nullum alium ipſi occurriſſe, in quo talis et dignitas et conuenientia eſſet, Deique adeo arbitrium huic vni, qui nunc eſt, adſtrictum fuiſſe. Nimis profecto anguſtos fines poneremus infinitae intelligentiae diuinae, nimis in ordinem cogeremus libertatem Dei. Εὐδόκησεν ὁ Θεὸς, ait *Paullus* (1 *Cor. I*, 21.) *διὰ μωρίας τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας, libuit Deo per diſciplinam ſtultam ſalutem dare credentibus.* Εὐδοκία Θεοῦ igitur, *arbitrium diuinum*, eſt in tota illa ratione ſalutis dandae et accipiendae, ſed eiusmodi, quod inani quidem ſapientia elatis hominibus, qui omnia ſuis opinionibus metiantur, ſtultum minimeque probandum videatur, ceterum recte et modeſte iudicantibus, et arcana ſapientiae diuinae pie ſcrutantibus, plenum ſapientiae reperiatur.

57. Nihil habet Chriſti diſciplina voluntarium, praeter fidem et Sacramenta, quoad hominibus modum ſalutis accipiendae quaerendaeque tradit; in quo ipſo perſpicua ſapientiae diuinae veſtigia impreſſa ſunt, quae perſequemur alio loco: ſed habet, quoad modum ſalutis humano generi redditae explicat ac demonſtrat. Ea res quamquam ita euidens eſt iis, qui in doctrina Chriſtiana nihil,

nihil, nisi diuinam auctoritatem vident, literis sacris proditam, vt disputatione minime egere videatur: tamen inani subtilitate, siue potius argutatione eorum, qui scabiem aliquam demonstratiuam, quam celerrime arripiunt ingenia non bene subacta humaniorum literarum disciplina, e scholis Philosophorum ad Theologiae disciplinam attulerant, ita est obscurata, vt saltem illam demonstrationum metaphysicarum caliginem dispellere, et solis lucem retegere necesse sit. Summa autem earum demonstrationum, quas cum suis auctoribus commemorare nihil attinet: nam rem, non homines, notamus, quos etiam non malo consilio peccare confidimus: ea igitur summa redit fere huc, vt docere conentur, ea, quae Deus decreuerit, fecerit, vt a pernicie seruatus homo ad felicitatem veram aeternamque adspirare posset, habuisse eam coniunctionem cum eius bonitate et sapientia, vt aliter facere vix, immo nullo modo potuerit. In quo illi specie aliqua artis ac subtilitatis conturbati, totam rationem differendi de talibus rebus perturbarunt. Nam primo, non viderunt, toto, vt aiunt, coelo diuersa esse haec duo: primum, hoc Deus fecit, decreuit, voluit: bonum igitur, et sapiens, et diuina maiestate dignum, et praedicandum est: alterum, hoc mihi videtur esse non alienum a bonitate et sapientia diuina, hoc si Deus fecerit, decreuerit, bene et sapienter vel fecerit, vel mihi, hominiue alii, facere videatur, nec aliud, quod magis bonum, salutare, sapiens sit, scio, aut intelligo, aut quisquam intelligit: fecit igitur, facietue; nihil igitur aliud facere potuit, fecit facietue, vt qui optimum sequitur per naturae suae perfectionem necessario. Prima illa ratio est verissima, et constanter tenenda; in qua si quis indaget etiam, aliisque demonstret argumenta bonitatis, et sapientiae diuinae, ad eum modum, quo Physici quidam in rebus naturalibus, hoc nostro maxime seculo, inuestigarunt, rem fecerit, quae laudetur merito, et omnium studiis commendetur. Etenim Deus voluit in ratione seruandi ge-

neris humani, quam *οἰκονομίαν* Paullus vocare ſolet, *πλοῦτον χάριτος, πολυποίκιλον σοφίαν, diuitias benignitatis, et multiplicem ſapientiam* (*Eph. I*, 7. *II*, 7. *III*, 10. *etc.*) demonſtrare hominibus; quas adeo conuenit ſcrutari et agnoſcere. Sed altera ratio tota eſt fallax et nugatoria, vt paucis docebimus.

58. Primum igitur, qui tu es homo, quae ingenii tui vis, qui audeas, ratiunculis quibusdam tuis fretus, decernere, quid in quaque, ſiue in tali, tam graui cauſſa, bonitas et ſapientia diuina deſideret, vt tam confidenter pronuncies, quid et quare Deus fecerit, facere debuerit? cum ne angeli quidem id videre ſe putent, et in illa ſalutis humanae cauſſa viderint? Sed ſit aliquid non abhorrens a benignitatis diuinae magnitudine. An propterea conſequens eſt, vt id faciat Deus feceritque. Nec abhorrebat ab ea, te ſubtilem diſputatorem efficere. Immo alia ei non minus atque adeo magis conſentanea eſſe poſſunt. Qui tu aſſequi rationem ſperes, propter quam Deus hoc potius, quam cetera, quae tu etiam ignoras, omnia facturus ſit feceritque? Decreuerit porro aliquid Deus, inſtituerit, fecerit. Bene eſt, benigne et ſapienter feciſſe fatemur. Sed an propterea neceſſario primum fecit, decreuit? deinde hoc fecit, hoc decreuit? An aliquis audeat dicere, nihil aliud vidiſſe Deum, in quo poſſet non minus benigne et ſapienter facere? cum homines poſſint videre, videant, diuerſisque ſaepe viis, quo velint, pari opportunitate et celeritate perueniant, diuerſis artibus idem efficiant? Quanto modeſtius, et ad pietatem reuerentiamque, quam Deo debemus, aptius, denique aduerſus benignitatem Dei gratius eſt, agnoſcere diuinum in tota ratione et oeconomia reparatae ſalutis humanae arbitrium, omnibus illis vinculis liberum, quae ei ratio humana argutiis ſuis iniicere conatur, et ita beneficii diuini magnitudinem augere. Eſt enim hoc inſitum in animis noſtris, vt, quanto quis liberior fuerit in tribuendo beneficio, praeſertim magno, tanto maius beneficium

putemus,

putemus, tanto plus ei nos debere iudicemus, a quo nobis est tributum.

59. Ac profecto ipsa rei natura, et multo magis diserta sacrarum literarum auctoritas ita nos iubet statuere, vt, quaecunque Deus salutis nostrae caussa decreuerit atque fecerit, ea omnia arbitrii eius, ab omni necessitate liberi, fuisse dicamus. Primum, cum homines culpa sua perdidissent salutem, in tanta facultate retinendae integritatis, quam facta ad similitudinem sanctitatis diuinae natura dederat; nihil homini, praeter spem fortasse aliquam, sed plane incertam, et hinc preces, relinquebatur, quibus benignitatem diuinam adiret. An rationes sapientiae sanctitatisque diuinae ferrent, vt venia sibi daretur, an Deus daturus esset, nullo modo ratiocinando assequi poterat. Itaque videmus, Deum non exspectasse preces supplicis hominis, sed ei veniam et spem salutis obtulisse. In quo est magnum eius rei perspicuumque argumentum. Etenim, quid caussae esse dicamus, quare Deus non preces humanas exspectarit in re tanta, qui eas in aliis rebus omnibus, quarum potiundarum spes est homini, pietatis officiisque nomine exigit? nisi quod, cuius rei sperandae nulla idonea subest caussa, in ea preces locum non habent, in ea nec fiunt ab homine non stulto nec exspectantur aut requiruntur ab aequo et sapiente. Vnde fit, vt res omnis de salute homini reddenda, plane redierit ad arbitrium diuinum: quod non minuebatur benignitatis diuinae magnitudine. Benignitas enim, quamuis magna, tantum vniuerse valet eo, vt quis a beneficiis tribuendis non alienus putetur: non huc, vt ex ea singulis in caussis, quid quis facere vel debeat, vel facturus sit, certa ratione definiri possit, intercedente iam voluntatis arbitrio, quod non modo benignitate, sed aliis etiam virtutibus, iustitia, sanctitate regitur: quibus omnibus in consilium adhibitis, quid velit fieri, decernit. Fuit igitur totum hoc decretum diuinum, de hominibus ad salutem reuocandis, plane voluntarium ac liberi arbitrii.

60. Atque id claris sacrarum literarum dictis confirmari potest: primum omnibus iis, quibus tota haec generis humani quasi in integrum restitutio, χάρις, φιλανθρωπία, ἔλεος, χρηστότης appellatur, et tota ad beneficium refertur. Enimuero beneficium, quod vere et proprie dicatur, totum esse debet positum in arbitrio eius, a quo venit. Quod est planius edisserendum. In omni beneficio humano concurrunt duo, beneficium ipsum et officium. In illo est libertas plena, in officio necessitas aliqua, quae illam ipsam beneficii libertatem aliqua ex parte minuit, propterea, quod homo debet benefacere ei, cui beneficium dat. Sed hae res duae diuersam habent σχέσιν. Nam quoad benefacientis actio refertur ad Deum, a quo officium ducitur, hactenus non est omnino libera, aut arbitrii humani, quod officii necessitate, vt diximus, quodammodo coercetur: sed, quoad pertinet ad hominem, qui beneficium accipit, est merum beneficium, hoc est, omni ex parte libera et arbitraria: neque vllo modo licet homini, vel dignissimo beneficiis, dicere ei, a quo beneficium petit, vel sperat; debes mihi beneficium dare, bene mihi facias necesse est. Igitur humana beneficia Deo necessaria, homini accipienti libera sunt. In diuinis autem beneficiis, praesertim iis, quae nulla promissio praecessit, nec debemus, nec possumus quicquam necessitatis talis intelligere, propterea, quod vnam tantum ac simplicem habent relationem ad eum, cui tribuuntur, nec vllam habent copulationem cum officio, quod nullum in Deum cadit. Vnde clarum est, primum, nihil esse in illo, de quo loquimur, beneficio diuino, quod habeat aliquam vmbram necessitatis, e qua homo ratiocinando intelligere possit, id Deum vel tributurum, vel non potuisse non tribuere: deinde, qui hoc ratiunculis velit efficere, vt Deus non potuerit non salutem hominibus reddere, eum beneficium diuinum conuertere in officium, quod in Deo locum non habet, et minuere beneficium ac tollere. Itaque, sicut Paulus χάριν negat

negat esse χάριν, sed μισθὸν et ὀφείλημα, si ea tribuatur recte factis et legi, *Rom. IV*, 4. eosque iudicat ἀθετεῖν τὴν χάριν, *tollere beneficium*, qui eam a legis et seruati officii necessitate repetant: sic profecto eos quoque tollere beneficium diuinum dicemus, qui id non potuisse non Deum tribuere hominibus demonstrent, et arbitrii diuini in eo tribuendo libertatem limitibus vllis circumscribant.

61. Sed, vindicato arbitrio diuino in beneficio restituti generis humani vniuerso, restat, vt pari arbitrio vsum esse Deum vincamus in οἰκονομίᾳ χάριτος, in modo constituendae salutis per filium ἐνανθρωπήσαντα, peccatorum expiandorum caussa foede interfectum, et inter summos animi corporisque cruciatus mortuum. In quo quaeri potest: an hic vnus modus fuerit positus in facultate et potestate diuina, quo succurreret homini? Quod si est, nihil in eo fuit Deo liberum, cum placuisset opem ferre hominibus. Atque nos non sumus ii, qui nobis arrogemus, confidenter in alterutram partem pronunciare. Accipere ita oportet beneficia diuina, vt eorum magnitudinem ponderemus potius et laudemus, quam vt quaeramus, aliudne beneficium, alioue modo tribui potuerit. Sed vidi tamen praeclaros Theologos, qui statuerent, nihil impedire, quominus credamus, Deum, pro infinita sapientia, pluribus modis reuocare quasi in concordiam potuisse benignitatem et sanctitatem suam, et sic hominum saluti consulere. Quod si probamus, efficitur, vt ea ratio, qua Deum fuisse vsum videmus, praestantissima illa quidem sit omnium, quarum Deo facultas fuit: quid enim maius filio Dei cogitari potest, per quem nobis salutem dedit: ceterum in ea quoque arbitrium Dei amabile intelligatur. Atque eam sententiam hoc facilius sequor, quod est valde consentanea litteris sacris, nititurque diuina auctoritate. Nam in epistola ad Ephesios *Paullus* (*I*, 5.) cum ait, Deum nobis destinasse ius adoptionis per Iesum Christum, κατὰ τὴν εὐδο-

κίαν, addit, *τοῦ θελήματος αὐτοῦ, εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος, liberrimo voluntatis suae decreto, ut admirabilis benignitas sua illustraretur.* In quo ne putemus, decretum referri ad beneficium vniuersum, h. e. ad destinationem illam adoptionis, non ad modum beneficii tradendi, ad Iesum Christum, cauit *Paullus* ipse, eadem re repetenda, et clarius exprimenda. Nam mox (*v.* 9 *sqq.*) *ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, reparationem salutis per mortem Christi* appellat *μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, arcanum voluntatis benignae decretum.* Quale illud decretum tam liberum fuit? *εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν Χριστῷ· tempore, quod consilio suo destinarat, omnia per Christum reuocare ad vnum caput,* ad communemque salutem: per quem et sibi hanc salutem destinatam ac datam esse dicit, *κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, benefico decreto Dei, omnia arbitrio suo agentis:* quibus similia sunt in eadem epistola pluribus locis. Atque ego non ignoro, ea omnia maxime a Paullo referri ad bonorum per Christum partorum communicationem cum gentilibus, horumque cum Iudaeis in Ecclesia Christiana coniunctionem: clara enim res est e c. III. sed manet tamen id, quod caput rei est, hanc salutem, hanc *ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ*, hanc *ἀνακεφαλαίωσιν* per Christum, esse ab *εὐδοκίᾳ τοῦ θελήματος Θεοῦ, κατὰ βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ.* Vnde licet colligere, non, quod alia ratio nulla Deo in promtu esset, propterea hanc fuisse probatam, sed quod ea maxime ipsi placeret, quia vellet hominibus *τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐν χρηστότητι ἐφ᾽ ἡμᾶς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, immensas diuitias benignitatis suae, beneficio suo nobis per Christum tribuendo,* demonstrare *II,* 7. quod luculentius, immo aeque luculenter, fieri alio modo nullo posset.

62. Neque vero est, quod quis nobis illa philosophorum oracula occinat, sapientem, multoque magis Deum nihil

nihil frustra facere: ire via breuissima: quod per minora fieri et pauciora possit, non facere per maxima et plurima: aut illam (quam acumen Francogallicum, lepide scilicet, *legem parsimoniae*, *la loi d'Epargne* appellauit) naturae corporeae legem de minimo: de quo minimo maxima nuper nata erat controuersia. Nam ea oracula omnia pertinent ad res corporeas, et regni naturalis dispensationem, quoad rebus constat intelligentia carentibus, non autem ad regnum Dei in genus humanum, vel naturale illud ac sensibile, vel inuisibile, quod est per Christum institutum. In regno quidem naturali et adspectabili, Deum non necessitati modo hominum consuluisse, aut vllam *parsimoniae legem* secutum esse, sed copiis etiam nostris, ac deliciis prospexisse scimus, estque a nobis parte prima paucis demonstratum. Quo loco etiam docuimus, illas angustias, quae excludant, quicquid necessarium non sit, quae certam in vnoquoque genere, eamque valde modicam mensuram definiant, legemque constituant, plane abhorrere ab intelligentium et liberarum naturarum indole, easque ipsum sensum communem repudiare. Quo minus absunt ab impietate aduersus Dei maiestatem, qui eius arbitrium etiam in religione, et modo salutis humanae reparandae, suis ratiunculis in ordinem redigere, et Deo demonstrare audent, quid per suae, hominum, sapientiae leges probare, quid sequi debuerit, vbi plus minusue facere, vbi hoc, non aliud, cur denique quidlibet deligere ac probare, si bonitatem ac sapientiam retinere voluerit. Nos vero credamus, Deum in omnibus rebus, quae etiam salutis nostrae caussa ac religionis nomine decreuit, constituit, sanxit, summam sapientiam et benignitatem demonstrasse, sed eundem in iis omnibus digno maiestate sua arbitrio esse vsum, tantoque magis esse amandum ac praedicandum, quo magis cum salute et vtilitate nostra eo arbitrio vsus sit: quod tertia disputationis nostrae parte demonstrabimus.

PARS TERTIA

Deum arbitrio ſuo in religione conſtituenda magna cum gloria ſua et hominum vtilitate vſum eſſe.

63. Iucundiſſimam inſtitutae diſputationis partem aggredimur explicare, demonſtrationem gloriae diuinae, quae, cum hominum ſalute et vtilitate maxima, illuſtratur per ea ipſa, quae arbitrium diuinum in religione ſanxit. Quid enim iucundius animo Chriſtiani hominis aut debet eſſe, aut poteſt, quam videre ac ſentire effulgentem ex operibus inſtitutisque diuinis perfectionem auctoris ſummam; quae non modo ſua ſponte, quia perfectio eſt, admirabilis eſt et ſuauis, ſed etiam quia res ipſae, in quibus eam perſpicimus, ad felicitatem noſtram ſunt comparatae. Neque vero in eo ſuperuacaneam rem ſuſcepiſſe videri debemus, quod quaecunque a Deo inſtituta conſtat, ea praeclara eſſe, et ſapientia eius, ceteraque perfectione digniſſima, dubitari non poteſt. Nam qui ita ſcit ac credit ſapientiae conſentanea eſſe, quae a Deo facta aut conſtituta ſunt, pie ille quidem et reuerenter iudicat, ceterum nihil admodum vltra verbum ipſum intelligit: nec ea ſcientia vel animum admiratione Dei et laetitia explere, vel ad refellendos veritatis aduerſarios valere poteſt. Paullus quidem Apoſtolus, vt ſupra §. 57. 61. dictum eſt, a Deo in conſtituenda οἰκονομίᾳ ſalutis noſtrae per Ieſum Chriſtum demonſtratum eſſe ait ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ, καὶ πολυποίκιλον σοφίαν, (*Eph. II*, 7. *III*, 10. *cet.*) Sed illas tantas diuitias benignitatis et ſapientiae, vt non verbis, ſed rebus demonſtrauit; ita non verbotenus, ſed rebus ipſis intuendis, et veſtigiis earum perſequendis, cognoſcere debemus; praeſertim cum ea cognitio confirmet veritatem, eamque reddat animo cariorem et iucundiorem. Nam vt magis quisque perſpicit magnitudinem benignitatis et ſapientiae diuinae in iis, quae arbitrio diuino conſtituta ſunt-

funt in religione, ita magis et credit et gaudet, ea esse a Deo instituta.

64. Atque nos non sumus ii, qui ignoremus, sapientiam hanc diuinam a multis ante nos esse demonstratam, qui eam aduersus *Tindalium*, similesque religionis Iudaicae et Christianae, qua arbitrariis Dei institutis continetur, aduersarios defenderent. Sed ea defensio minus late, quam debebat, patuit. Nam, quod nos quidem cognouerimus, tota occupata fuit in cerimoniis ac ritibus sensibilibus, quos hactenus vtiliter, atque hanc ob caussam sapienter institutos esse defenderent viri doctissimi, quod in iis esset materia exercendae alendaeque pietatis in Deum atque virtutis. In quo etsi plane cum iis sentimus; tamen non satisfactum esse summae caussae existimamus, propterea, quod ea disputatione nihil aliud efficitur, nisi vt in iis, quae Deus adiunxerit religioni naturali, insit quaedam eius exercitatio vtilis et disciplina, non pars religionis eiusmodi, quae ad summam (essentiam) ipsius religionis diuinitus nobis traditae pertineat, et per se habeat hanc vim ac necessitatem, vt nos gratos Deo reddat, habeatque spem certam salutis consequendae *). Itaque nulla mentio fit fidei, quae propter Christi meritum et satisfactionem spem habeat aeternae felicitatis, exclusa etiam bonorum operum vi et necessitate, in quo summam esse religionis, litteris diuinis traditae, ab ipsis litteris diuinis edocemur. Quo magis hoc nobis agendum sumsimus, vt hanc maxime partem ad gloriam diuinam illustrandam plurimum valere, in eaque religionis Christianae summum decus esse et gloriam ostenderemus; cetera, quae ab aliis bene tractata sciremus, leuiter attingeremus.

65. Sed nobis ante, quam de singulis partibus dicere incipiamus, vniuerse explicandum videtur, quibus quasi vestigiis persequi sapientiam et benignitatem diuinam in reli-

*) Vid. dicta a nobis in *Bibl. Theol.* P. I. p. 115 f.

religione, praesertim arbitrio eius constituta, debeamus, quibusque signis ea se cognoscendam et conspiciendam praebeat mentibus nostris: ita facilior erit singularum partium explicatio. Ac nobis quidem videtur perfectio diuina ita maxime in religione declarari atque intelligi, *si in ea referantur omnia ad diuinae maiestatis et sanctitatis conseruationem, spes autem omnis et ratio salutis consequendae ad beneficium diuinum.* Quae sunt diligentius nobis et explicanda e religionis natura, et confirmanda.

66. Religio vera etsi Deum hominemque attingit, vt supra dictum est, (§ 4.) tamen ad vltimum redeunt omnia, et necessario redeunt ad Deum, ad quem proprie religio pertinet. Nam Deum ipsius caussa amplectitur, hominem propter Deum, h. e. vt ipsa hominis felicitate illustretur benignitas diuina, et vniuersa eius maiestas. Ex quo fit, vt primum ipsa spei propositio, et lex eius spei tenendae debeat esse Deo digna, hoc est, nec ab sanctitate abhorrens, nec ab iustitia diuina, a quibus, dubitari non potest, quin modus benefaciendi et delectus dirigi debeat. Neque enim pugnam inter perfectionis diuinae partes inducere debent beneficia diuina, quae in Deo ne intelligi quidem potest, sed cum conseruatione consensus cuiusdam tribui debent. Atque nos non dubitamus, esse quaedam genera beneficiorum diuinorum, in quibus bonitas diuina nullis iustitiae aut sanctitatis vinculis teneatur, sitque plane libera, et velut arbitrii sui. Nam et experientia ita esse demonstrat, et scripturae docent. Ac ne commemoremus id, quod maxime solet esse in promtu, cum vel accusant homines impii benignitatem Dei erga improbos prolixiorem quam in probos, vel pii in dubitationes coniiciuntur per res secundas illorum et aduersas suas: in eo quis non agnoscit arbitrium quoddam liberum bonitatis diuinae, quod Israeliticum potissimum populum suum esse voluit, in quo conseruaretur vera religio, et nasceretur is, per quem salutem hominibus erat daturus. Neque enim quicquam est, propter quod necessa-

necessarium Deo putemus fuisse, vt hoc beneficium huic potius, quam alii cuicunque populo, tribueret; vnde etiam *electio* in ea re commemoratur in scripturis, quae est libertati maxime propria. In quo quin sit aliqua pars maiestatis diuinae, nec res ipsa dubitare nos sinit, nec Apostoli Paulli praeclara demonstratio. Etenim satis intelligi maiestas diuina, et imperium summum in mundum hunc et res humanas, non potest sine libertate quadam agendi et arbitrio, in rebus iis, quae non habeant necessariam coniunctionem cum sanctitatis et iustitiae necessariis legibus: propterea, quod in summa maiestate et imperio infinito, necessario par inest potestas, quae *ἄνευ αὐτεξουσιότητος*, vt *Origenes* appellat, *ἀνυπευθύνως*, sine arbitrio libero, consistere nullo modo potest. Itaque Deus nequaquam incuriosus illius iuris et potestatis fuit, sed illam non minus quam ceteras diuinitatis partes, agendo testatam fecit, et agnosci voluit ab hominibus. Paullus quidem *Rom. IX.* 11. hac de caussa Esauo et Iacobo ante, quam nati essent, et quicquam recte secusue fecissent, h. e. sine virtutis, et recte maleue factorum respectu, fortunam suam ita destinatam esse ait, vt minor felicior esset maiori, *ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις μένῃ*, *vt libertas decreto diuino de ea re constaret:* eoque trahit Dei ad Mosen verba: *ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω, ὃν ἂν οἰκτείρω·* vnde rectissime colligit, id genus bonorum diuinorum e solo arbitrio diuino pendere *v.* 16. eumque adeo, *ὃν θέλει, ἐλεεῖν, ὃν δὲ θέλει, σκληρύνειν:* *beneficiis largum se praebere, cui lubeat, parcum atque duriorem, cui lubeat.* Nam hunc esse sensum horum verborum, alibi a nobis demonstratum est.

67. Nec vero est, quod quis dicat, tale arbitrium esse reliqua perfectione diuina, quae sapientia, bonitate, et iustitia cernitur, indignum. Nam primum, id circumscribimus earum rerum finibus, quae nullam necessariam copulationem habent cum vera hominis beatitudine, sed vt iis aliquis vtitur, ita ad salutem et perniciem possunt con-

conuerti; ex quo genere ſunt bona omnia, quae humana vulgo et terrena dicuntur, quibus neque tributis proprie beatus fit homo, neque detractis, vere, et vt Philoſophi ac Theologi loquuntur, miſer. Nec porro hoc arbitrium ita Deo tribuimus, vt ab cetera eius perfectione prorſus ſeiunctum velimus; ſed ei adiungimus ſapientiam, quae vel praecurſet eius decreta, vel ſequatur. Neque enim dubitari poteſt, quin vel in tribuendis maiora conſilia, in rerum vniuerſarum gubernatione propoſita, ſpectet, vel tributa dirigat ad magnum aliquod bonum, id quod ei facillimum eſt. In quo tamen clarum eſt, nullam hominis, cui tribuantur, rationem hanc haberi, quae cum dignitate et merito eius coniungatur, vt iuſtitiae diuinae, et cuidam neceſſitati, res data videri poſſit.

68. In quo, vt hoc obiter addamus, magna argumenta inſunt defendendae diſpenſationis diuinae in rebus ac bonis vitae humanae, non negligenda iis, qui in hac defenſione recte velint verſari, et ſatis occurrere vel criminationibus vel dubitationibus et querelis humanis. Nam quod in hac vel defenſione vel conſolatione maxime ſolet eſſe in promtu, vt futurae poſt mortem vitae commemoratione inuidiam detrahamus bonis, quibus improbi ſaepe in hac vita beneficio diuino fruuntur, et aegritudinem leniamus fidelium; id, quamquam eſt admodum graue, tamen rem non prorſus conficit; propterea, quod improborum indignitatem fruendorum talium bonorum non tollit, quae conſentire cum iuſtitia et ſanctitate diuina non videtur. Sed ſi hoc demonſtretur piis, ad maieſtatem Dei pertinere, vt eius imperium liberum agnoſcatur, id autem in talibus rebus maxime, conſeruata ſanctitate diuina, doceri poſſe, quibus proprie felicitas non contineatur, in hac ipſa autem libertate vſurpanda referri omnia ad conſilia eius, quae cum generis humani commodis vniuerſis, cum vtilitate eccleſiae coniunctionem habeant: cedant vtique libenter Deo, et ſuam commoditatem, et ſuauitates vitae condonent eius voluntati et

conſi-

consiliis maioribus, praesertim si intelligant, sibi in vitae humanae incommodis et molestiis esse materiam pernecessariam virtutum maximarum et Christiano dignissimarum, patientiae, fortitudinis, fidei denique vniuersae, exercendarum paratam, quibus virtutibus carere quomodo vel optet vere Christianus homo? careat autem necesse est, si expers malorum humanorum viuat.

69. Sed nobis in hac disputatione non est oratio de tali genere beneficiorum diuinorum, sed de eo, quod habet coniunctionem cum natura hominis morali, in quibus tribuendis sapientia diuina etiam reliquae morali perfectioni suae, iustitiae et sanctitati consulere debet, nec ab iis discrepare: quod sane nihil aliud esset, nisi semet ipsum et naturam suam abnegare, quod nullo modo fieri potest. 2 *Tim. II*, 13. Nam iustitia et sanctitas non minus necessaria Dei sunt attributa, h. e. quibus contraria in Deo cogitari non possunt, quam bonitas, quae etiam ab eo cum hac, in describenda maiestate sua, coniungitur *Exod. XXXIV*, 14. *Psalm. XLV*. Eas autem etiam puniendo exerceri et conseruari, declarat ipse Deus, cum se *puniendo sanctificari* pronunciat *Leuit. X*, 3. agnoscente ipso *Crellio de Ver. relig. l.* 28. in iisque etiam puniendo demonstrandis non minus se laetari, ait, quam bonitatis largitate *Deut. XXVIII*, 63. Sed haec saepe luculenter demonstrata sunt; nec ea repetere necesse est in hac disputatione: tantum locus attingendus fuit, propterea, vt clarum fieret id, quod volebamus, hoc est, religionem, quae arbitrio diuino constituta dicatur, si digna Deo esse debeat, nec spem salutis proponere posse aut debere eam, quae abhorreat ab iustitia et sanctitate diuina, cum consentiat cum bonitate, nec legem ac modum illius spei consequendae, in quo iustitia diuina idoneam conquerendi caussam habere videatur. Id autem fieri duobus modis, existimandum est; primum, si iustitia teneat ius suum, nec cogatur ita in ordinem, vt sine idonea, et certis legibus suis apta caussa, puniendi facul-

tas,

tas, siue potius necessitas, adimatur; deinde si sanctitati quoque suum tribuatur, h. e. si in vtroque, inprimis in modo spei tenendae, nihil sit, quod hominibus vel necessitatem sanctitatis colendae demat, aut minuat: vel voluntatem, denique facultatem: sed omnia ad arctius adstringendum obligationis vinculum, ad studium eius incendendum, et ad facultatem eius consequendae ingenerandam augendamque valentia. Nam ita rebus constitutis, etiam, vt ita dicamus, lucratur maiestas diuina, h. e. non modo salua ipsa relinquitur iustitia et sanctitas, sed etiam illustratur, et bonitatis et sapientiae operibus gaudendi caussas accipit; in quo ipso inest omnium inter se conspiratio et concordia.

70. Sed quoniam non minus bonitas Dei sapiens illustrari debet, quam cetera eius maiestas, huius quoque ratio habetur in religionis perfectione iudicanda. Itaque tum maxime consentaneam perfectioni diuinae et dignam maiestate eius dicemus, si spes salutis consequendae tota conferatur ad beneficium diuinum, in eaque nulla homini pars relinquatur: non, quo ita ei tribuatur, vt iustitia et sanctitas diuina laedatur, quod ante repudiauimus; sed vt in spei firmitate, non suo merito aut sua dignitate, sed sola Dei bonitate nitatur. Quae ratio hanc vim habet, vt in salute hominis omnia sint diuina, nihil humani; quod plurimum valere ad magnitudinem beneficii, et bonitatis adeo diuinae intelligendam, omnes vident. Sed habet ea res etiam hoc commodum, in hac quidem tali caussa, in qua salus hominis et tranquillitas vera mentis agitur, longe maximum, quod ita spes salutis accipit summam veritatem, et ἀσφάλειαν, vt bene docet etiam D. Paullus, qui propterea κατὰ χάριν salutis spem propositam ait *Rom. IV*, 16. *εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν, vt firma et certa sit promissio.*

71. Etenim etsi omnis spes, quae promissione diuina proponitur, habet firmitatem tantam, quantam intelligere mens humana potest, ab necessitate absoluta, quae est

est in veritate ac fide diuina, quod est πρᾶγμα ἀμετάθετον, ἐν ᾧ ἀδύνατον ψεύσασθαι Θεόν· Hebr. VI, 18. locus tamen fit dubitationi humanae, cum promissio habet adiunctam conditionem talem, quae aut sit supra vires humanas, aut in cuius iudicio aliquid ambiguitatis incidere possit, per quam incertus fiat animus humanus, an ei fecerit satis. Quae dubitatio et ambiguitas excluditur penitus, cum spes est tota beneficii diuini, nec suspenditur e conditionis talis lege, quae in spei faciendae societatem veniat. His igitur ita explicatis ac constitutis, age ad rem propositam veniamus, demonstremusque, religionem Christianam, quoad arbitrio diuino constituta sit hominibus, talem esse, in eaque adeo re Deum ita, vti dignum esset vniuersa maiestate sua, versatum esse.

72. Ac primum hic liceat sumere, aut postulare, vt nobis concedatur id, quod est abunde demonstratum a multis, religionem, quae in Testamento Vetere praescripta fuerit populo Israelitico, summa rei nihil differre ab ea, quam Deus in Nouo per Iesum Christum sanxerit: hoc est, vtrique commune esse hoc, vt salutis spes proposita sit fidei, quae promissionem diuinam salutis, propter Messiam factam, vero animo amplectatur. Nec habet profecto res demonstrationem difficilem, vno loco Paulli 2 *Tim. III*, 15. litem plane dirimente, in quo libris Test. Vet. hoc clare tribuitur, vt erudire possint homines de salute per fidem in Iesum Christum, totoque Cap. XI. Epistolae ad *Hebraeos*, inprimisque versiculo 25. 26. pro ea re clamante; vt alia taceamus. Hanc igitur summam, hoc caput religionis, arbitrio diuino hominibus constitutae, ante omnia docebimus, habere omnia, per quae talem religionem esse demonstrauimus conseruandae et illustrandae maiestatis et gloriae diuinae. In eoque nobis erit hoc magis laborandum, quod caput hoc paene totam caussam continet.

73. Sed hanc ipſam rationem, de ſalutis ſpe per fidem I. C. quae res contineant, cum in elementis doctrinae tradatur, ea repeti hoc loco non eſt neceſſe. Inter eam porro rationem, i. e. fidem I. C. et ſalutem ac felicitatem ei propoſitam, nullam eſſe naturalem ac neceſſariam copulationem, id ipſum quoque in ſuperiori Parte diſputationis demonſtratum eſt. Quamquam res demonſtratione non eget, cum propter illam ipſam cauſſam, et, quia in hac ratione ſalutis ſperandae manifeſte omnia Deo libera ſunt, et arbitrio diuino conſtituta, fides ipſa repudietur ab male ſapientibus, qui nihil in religione ferre, niſi neceſſaria, volunt. Relinquitur igitur, vt oſtendamus, hanc rationem habere primum hoc, vt omnia faciat beneficii diuini, eaque re illuſtret gloriam bonitatis diuinae, et ſpem ſalutis reddat omnino certam; deinde alterum quoque, vt ad diuinae iuſtitiae et ſanctitatis conſeruationem, eo, quo ante definitum eſt, modo valeat.

74. Iam primum, quod ſpes ſalutis e ſola promiſſione diuina pendet, et fide, quae promiſſionem amplectitur, ea re ſalutem omnem fieri beneficii diuini, id res ipſa declarat, et Paullus cum omnibus Prophetis et Apoſtolis clare docet, cum ſpem ſalutis datam docet, *Rom. IV*, 16. 24. *διὰ τῆς πίστεως*, *ἵνα κατὰ χάριν*, *vt ſit beneficium bonitatis diuinae*, ſimus *δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ Θεοῦ χάριτι*, gratuitam remiſſionem peccatorum beneficio diuino habeamus, in eoque demonſtretur magnitudo benignitatis diuinae *Epheſ. II*, 7. 8. et ita omnia referantur ad Deum. Atque haec eſt cauſſa, quare Deus ſalutem hanc, quae per fidem ſolam deſtinata eſt hominibus, appellet *ſalutem et iuſtitiam ſuam*, *Eſ. LVI*, 1. itemque Paullus *Rom. I*, 17. *δικαιοσύνην Θεοῦ*, ex *Eſaiae l. c.* In quo ſua ſponte intelligitur, quanta ſit vis ad officium amoris aduerſus Deum commendandum animis hominum, tantum beneficium accipientium ſine vllo ſuo labore ac merito, e quo etiam in humanis beneficiis commendatio

maxima

maxima petitur. Nec difficile est, hic intelligere sapientiam diuinam. Nam cum magna et efficacissima pars religionis et cultus diuini sit in amore eius, cuius nomine Deus subinde omnia religionis officia complectitur, a cuius fonte etiam integritas et veritas obedientiae legum diuinarum ducitur, apparet, sapienter sic esse rationem salutis consequendae constitutam, vt in ea ipsa esset adiumentum et incitamentum omnis pietatis et officii.

75. Nec minus clarum est, ea ratione certam et ab omni dubitatione liberam fieri spem salutis. Nam quod Paullus dicit, sic institutum esse a Deo, vt salus contingeret κατὰ χάριν, *beneficio ac dono*, quo βεβαία ἡ ἐπαγγελία, *firma promissio* efficeretur, id res etiam ipsa declarat. Nam quia promissio Dei ipsa necessario vera et certa est, sequitur, si ei nihil adiunctum sit conditionis, quod euentum eius dubium reddere possit, omnem dubitationem e mentibus humanis excludi; quod secus foret, si contra esset. Etenim si fingamus ei promissioni adiunctum esse, non hoc, quod erat in promissione legis, vt omnibus numeris perfecta obedientia legi diuinae praestaretur, sed illud modo, quod ad salutis spem certam sufficere volunt necessariae religionis defensores, vt, quantum quisque posset, essetque positum in his viribus humanis, tantum in obediendo fieret: clarum sit, nihil certi esse posse in spe salutis; propterea, quod nunquam confidere quisquam potest ac certo scire, se tantum fecisse, quantum posset. Est enim totum hoc iudicium per se incertum, et nihil est, quod det facultatem cum fiducia iudicandi: nec quisquam, etsi optimae voluntatis sibi vere conscius, nisi valde sibi assentetur, aut temere iudicare velit, vel singulis diebus possit certo scire, se fecisse quantum potuerit, nec commisisse aliquid, cuius vitandi facultas fuerit, aut neglexisse, quod facere debuerit ac potuerit. Itaque si ex hoc iudicio suspensa esset spes salutis, et euentus promissionis diuinae; videmus, qui locus fieret sollicitudinum et angorum in re ea, in qua habere

animum humanum aliquid certi, quo plane acquiefcere poffit, maxime intereft. Idque adeo fatentur Pontificii, falutem e fanctitate fufpendentes, cum dicunt, quia nemo fcire poffit, quando fatis operum bonorum habeat, femper debere dubitare, an fit in gratia: quae eft horribilis et defperationis plena opinio. Quo magis agnofcitur benigna fapientia Dei, quae fpe falutis ad folam bonitatem et promiffionem fuam conferenda, omnem dubitationem amouit, et animis piorum veram tranquillitatem reddidit; quam talem fpem, vt vere ait Paullus, *Ebr. VI*, 19. ὡς ἄγκυραν ἔχομεν τῆς ψυχῆς ἀσφαλῆ τε καὶ βεβαίαν, *vt ancoram animi certam et firmam* tenemus, qua firmiter niti, et omnes dubitationum ventos et fluctus contemnere fecuri poffimus.

76. Sed hic occurrat nobis aliquis fic, vt dicat, in ipfa fide adiunctam effe promiffioni diuinae conditionem aliquam, homini praeftandam: eam autem ipfam effe eiusmodi, vt dubium reddere animum in euentu fperando poffit; cum fatis conftet, incidere animis poffe dubitationes de fide, cum metuant, vt habeant fidem veram, cui promiffio facta fit. Haec non fine fpecie veri dici fcimus: nec tamen, quid certi refponderi poffit, non habemus. Primum enim, veriffimum profecto eft id, quod Theologi noftri, qui accuratioris loquendi formae curiofi fuere, defenderunt, cum negarent, in fide agnofcendam effe conditionem falutis, idque verbum ex hac cauffa plane excludi vellent. Nam profecto in fide, fi rem recte reputare velimus, nihil aliud reperiamus, quam modum beneficii accipiendi, fiue ipfam acceptionem, quae fit contraria repudiationi. Qui ad beneficium dandum paratus eft, idque offert indigenti, non profecto dat cum conditione accipiendi, quia vult accipi; et cum reuocat beneficium, quod fpernitur nec accipitur, non quia conditio in dando propofita non praeftatur, reuocat, fed quia beneficium, accipere recufanti, dari non poteft. In fide igitur nihil aliud eft, nifi beneficii a Deo oblati receptio,

receptio, sine qua contingere id homini posse, absurdum sit existimare.

77. Atque etiam hoc considerandum est in hac dubitatione, quod illa ipsa fides, si maxime in conditionis loco haberi posset, tamen non debilitaret spem beneficii, propterea quod secus se res habet in fide, ab Euangelio sancita, quam in iustitia, ab lege spei salutis adiuncta. Nam lex iubet illa quidem facere et non facere, sed vim faciendi et non faciendi non dat, nec dare potest per naturam suam: demonstrat illa quidem viam ad salutem, et eam inire, spem et metum proponendo hortatur; sed facultatem ingrediendi constanter et tenendi non adfert. In quo grauis error intercessit olim Pharisaicae doctrinae, quae legi non modo vim illuminandae mentis ad videndum officium, sed etiam roborandi animi ad faciendum tribuebat, vt e *Iosephi de Maccabaeis* libello clarum est. Quam contra coortus Paullus, τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, *imbecillitatem legis*, in ea re asserit, et caussam eius demonstrat *Rom. VIII*, 3. Sed Euangelium non modo hortatur salutem Dei accipere per fidem, sed etiam vi sua ingenerat, et inspirat fidem. Itaque Paullus hanc primam et summam Euangelii commendationem ponit *Rom. I*, 16. 17. quod sit δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν, *efficax et certissimum salutis humanae medium*, idque intelligi vult ex eo ipso, quod in eo proponatur δικαιοσύνη Θεοῦ ἐκ πίστεως, iustitia et salus, quae tribuatur a Deo, veniat ab Deo vno, eiusque beneficio, sine opera humana, propter fidem. Sed talis δύναμις esse ac dici nullo modo posset, si modo praeciperet fidem, non etiam vi sua mentibus humanis ingenerare posset. Hoc discrimen legis et Euangelii idem Paullus etiam demonstrat in eiusdem Epistolae *cap. X. v.* 5 *sqq.* cum legem nihil aliud, nisi praecipere obedientiam, ait, salutem petentibus; at Euangelium longe aliter et loqui et facere. Nam in proponenda spe iustitiae et salutis non praecipere rem ita supra vires humanas positam, vt obedientiam legis; sed nihil nisi fidem

exigere, quam ex ipſo Euangelio venire; ἄρα ἡ πίςις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεῦ, quod eſſe Euangelium, v. 17. docet. Atque id etiam rei ipſius, i. e. fidei et Euangelii natura facile declarat. Nam fides eſt hominis, in ſenſu peccati, et metu irae ac poenarum diuinarum, et deſiderio ſalutis, credentis, et acquieſcentis promiſſioni veniae et ſalutis propter Chriſtum. Euangelium autem eam promiſſionem ita proponit, vt eius veritatem et firmitatem omni modo ſtabiliat, et animo attente et cupide audientis, et ſuis momentis ponderantis, admoueat, agente etiam in ipſo vi diuina, quae iis rebus inclinet animum ad credendum.

78. Ex alia autem parte difficultatem habere res videatur hanc, quod in ipſa fide oriuntur dubitationes, quae ſollicitos et anxios habeant animos, cum dubitant, an in ſe ſit fides ea, quae vere accipiat promiſſionem; vnde et ſpem ſalutis dubiam reddunt, quam nos, per rationem a nobis deſcriptam, ab omni ambiguitate liberari diximus. Enimuero longe diuerſum eſt hoc genus dubitationis ab eo, quod ante §. 75. tetigimus, nec eſt proprie dubitatio talis, quae fidei veritatem ipſam minuat aut tollat, ac propterea periculum ſalutis habeat. Nam in legis iuſtitia, ſpes proprie nititur actionibus noſtris, quibus propter dignitatem ſalus datur. Itaque iuſta de iis dubitatio conquieſcere animum non ſinit: tollit enim ſpem ſalutis. At in iuſtitia Euangelii, nititur ſola promiſſionis diuinae veritate, quae vbi ſalua eſt in animo hominis pii, etiam ſalutis ſpes, et ſalus hominis ipſa ſalua maneat et certa neceſſe eſt. Sed homines pii, cum de fide ſua ſe dicunt dubitare, non de promiſſionis veritate dubitant, quam etiam fateri ſolent, eſſe ſibi ratam et minime dubiam. Ergo non proprie de fide ſua, quam in ſe eſſe illa profeſſione declarant, ſed vel propter modeſtiam, de dignitate dubitant, quae e ſanctitatis magnitudine veniat, quod etiam ſalubre eſt, vel opinionibus quibusdam ſuis perturbantur. In quo genere maxime frequentem cognouimus

hanc,

hanc, quae sensus quosdam mirificos, ad consolandum, pacandum, et exhilarandum animum ita adiungit fidei, vt sine iis, eorumque constantia et assiduitate, fidem nullam esse putet, nec credat literis diuinis, quae fidei iudicium non e talium sensuum inconstantia et varietate suspendunt, sed ad infallibilem et constantem regulam verbi diuini dirigunt, quod illos sensus, eorumque inprimis constantiam et vigorem, ἐν τοῖς συμβεβηκόσι, in contingentibus fidei, numerat, necessariumque facit vnum hoc, vt vero et integro animo benigne promittenti propter Iesum Christum Deo reddatur sua veritas ac bonitas; quod tribuitur Abrahamo omnium fidelium principi et verae fidei exemplari, qui εἰς τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, ἀλλ' ἐδυναμώθη τῇ πίστει, δοὺς δόξαν τῷ Θεῷ — — διόπερ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην· — *non promissionem Dei in dubitationem vocans, fidem ei detraxit, sed promissionem fide ratam habendo, Deo gloriam suam reddidit — et hanc adeo ob caussam id ei imputatum est pro iustitia.* Est sane locus hic magnus, et diligenter tractandus, propterea quod in eo est aliquid lubrici, quod fallere vestigium non firmo gradu incedentis possit: suntque multi hodie, qui illos sensus incaute et immodice iactando, vel sanctitatis speciem colligere tentant, vel simplices et incautos animos in errorem inducunt, et grauibus animi terroribus obnoxios faciunt. Sed hic tantum attingi potuit.

79. Sequitur, vt, quemadmodum propositum est, doceamus, hanc rationem salutis sperandae esse accommodatissimam conseruandae iustitiae, et sanctitati diuinae, et illustrandae, ad eum modum, quem supra descripsimus §. 69. Atque, vt ab *iustitia* initium faciamus, clarum et testatum est litteris sacris, bonitatem diuinam, in concedenda et promittenda salute, non ita sibi indulsisse, vt iustitiam negligeret aut obscuraret. Non enim simpliciter voluit salutem dari poena dignis, sed intercedente peccatorum ἱλασμῷ, *expiatione* iusta, et ἀπολυτρώσει, *redem-*

redemtione, per I. C. vt intelligeretur non minus iuſtitia quam bonitas diuina, *εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ· vt eſſet iuſtus pariter et iuſtificans credentem:* vt in eadem re iuſtum ſe et benignum probaret, reuerendum et amabilem hominibus redderet, ipſe autem praeclaris iuſtitiae pariter ſuae et bonitatis operibus gauderet §. 68. Quo in loco, vt aliis, in quibus Chriſtus nos *ἐξαγοράσαι*, *redemiſſe*, dicitur, 1 *Cor. VI*, 7. *ἀντίλυτρον redemtionis pretium dediſſe* 1 *Tim. II*, 6. *ſoluiſſe quod non debuerit Pſ. LXIX*, 5. inprimisque capitali illo *Eſ. LIII*, 4 *ſqq.* tanta euidentia eſt verborum et ſententiae talis, vt nulla ratione obſcurari poſſit. Itaque Sociniani, eorumque aſſeclae, ſe in omnes partes verſare coguntur, vt aliud quid in iis reperiant, diſſentiuntque ipſi in ſenſu eorum locorum definiendo; ſed omnes ita interpretantur, vt interpretationis nullum fundamentum ſit in verbis et vſu loquendi, a quo diſcedere in ſententia conſtituenda, non iam eſt interpretari, ſed, quod lubeat, fingere. Quae res certo argumento eſt, non modo omnes illas interpretationes eſſe falſas, ſed etiam noſtram, quae iuſtitiae diuinae et ſanctitati per Chriſtum ſatisfactum defendit patiendo et agendo, et in qua nihil demonſtrari poteſt abhorrens a verbis, immo non optime conſentiens verbis et vſui loquendi, veram et certam eſſe. Nobis autem in hac noſtra diſputatione nihil aliud demonſtrare neceſſe eſt, quam per rationem hanc ſalutis, quae arbitrio diuino conſtituta ſit hominibus, ita bonitatem ſe exſerere, vt iuſtitia et ſanctitas in peccatis condonandis conſeruetur. Nam neceſſitatem rei et modi talis, et ea ſatis arguunt, quae de iuſtitia et ſanctitate Dei ante diximus §. 68. nec eam philoſophando demonſtrare attinet. Ac neſcimus, an omnino ſupervacuum et inane ſit, longis et ſubtilibus diſputationibus ſuper hac neceſſitate vti. Nam cum nobis hic pugnandum ſit cum iis, qui ſe Chriſtianos profiteantur, agnoſcantque auctoritatem ſacrarum litterarum, ſatis eſſe debet demon-

demonstrasse euidentia testimoniorum scripturae sacrae, talem satisfactionem iustitiae et sanctitati diuinae per I. C. intercessisse in caussa salutis nostrae. Etenim vbi res ipsa clara est, intelligi debet sua sponte necessitas eius: quippe absurdum est existimare, Deum huc descensurum fuisse, vt sibi ita satis fieri vellet, si nulla necessitas digna sua maiestate id postularet. Itaque nobis optimum factu videtur, in hac cum Socinianis disputatione, niti sola hac euidentia auctoritatis Scripturarum, per eam vrgere ipsos, nec alii disputationi se immittere, donec ostenderint, nostram sententiam non inesse in verbis diuinis, nec inesse posse; quod nunquam poterunt efficere. Ita nulla iis elabendi rima dabitur, quam facilius inueniunt in philosophando super necessitate et possibilitate talis satisfactionis, praesertim cum incidunt in disputatores non satis instructos subtilitate differendi, quorum est maximus numerus: nec potest negari, in libris vulgaribus multa parum subtiliter in hanc partem disputata reperiri.

80. Sed *sanctitati* diuinae in hac nostra ratione salutis non modo communiter cautum est cum iustitia, quae in puniendo cernitur, sed etiam proprie multis modis, et plane ad eam legem, quam supra proposuimus §. 69. h. e. ita, vt *necessitas* sanctitatis non modo non sublata et minuta, sed etiam aucta sit; *voluntas* porro iniecta, et *facultas* sanctitatis persequendae data. Quae sunt breuiter nobis demonstranda. Ac *necessitas* illa quidem officiorum omnium seruandorum, et sanctitatis vniuersae, quam scholastica consuetudo obligationem appellat, siue ab ipsa officiorum natura, siue ab lege, et legislatoris ac Domini iussu, siue ab vtroque venit, de quo nihil hic attinet disputare; ea igitur necessitas conseruatur in illo arbitrio diuino; quod eo nec natura rerum humanarum ac diuinarum peruertitur, nec lex diuina aut voluntas, quae illam legem sanxit, mutatur aut tollitur: fieri enim nullo modo potest, *Matth. V*, 17. quod secus est in necessitate cerimoniarum seruandarum, quam lex Mosis attulerat ad

certum modo tempus, et e consilio Dei, vt ita dicamus, temporario. *Ebr. VII,* 12. 13 *cet.* Nec modo salua relinquitur illa necessitas, sed etiam dupliciter augetur: primum sic, vt magis intelligatur ac sentiatur: deinde vt nouis caussis firmetur et adstringatur. Nam cum ita existimatum esset ab hominibus expertibus Euangelicae sapientiae, vt sperarent, Deum remittere in hominibus de iure iustitiae, et peccatorum culpam et poenam deprecantibus, propter ipsam deprecationem, condonare, quod nunc quoque tantopere placet necessariae et naturalis religionis patronis; ex Euangelica illa, de spe salutis per fidem in Christum doctrina, intellectum est longe planius, quam grauiter irascatur peccatis iustitia diuina *Rom. I,* 18 *sqq.* et quanta sit legis conseruandae necessitas, qua ipsa bonitas illa infinita Dei superetur, vt non possit iis, qui legem violassent, se benignam praebere, si maxime cupiat, nisi satisfactum sit legis maiestati, et iustitiae, cuius est, maiestatem illam legis tueri, eamque ob caussam necesse habuerit, si vellet seruare homines, et poenis eripere, idoneam victimam dare ad expiandam legem et iustitiam suam. Quae res habet tantam euidentiam, vt ipsi aduersarii huius capitis agnoscere cogantur, si res ita sit, vti nos, credentes verbis Scripturae, statuamus, et legi diuinae necessitatem seruandi summam accedere, et iustitiam, quae irascatur peccatis, tantam fieri, quantam capere mens humana non possit. Nos igitur, quod dant, accipimus, et ad laudem Oeconomiae Euangelicae, tantopere illustrantis augentisque vim legis et iustitiae diuinae, conferimus: alterum hoc loco refellere non suscipimus. Nec tam quaeritur in diuinis, quid mens humana capere possit, quam quid credere Dei verbo debeat. Quamquam ea magnitudo non tam contra aut supra rationem est, quae iustitiam a Deo ne cogitando quidem seiungi posse (§. 68.) intelligit, quam contra cupiditates humanas, quarum interest, legis et iustitiae diuinae vim quouis modo minui, vt sibi, minori cum timore,

timore, indulgeri poſſit. Vere ergo Paulus: Νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τὸν νόμον ἱστῶμεν. *Num abolemus fide defendenda legem? immo legem ſtabilimus. Rom. III*, 31.

81. Nec vero ratio illa ſalutis tenendae legem modo ſtabilit, neceſſitatem eius ſeruandae clariſſime demonſtrando, ſed etiam afferendo *voluntatem* ſtudiumque eius ſeruandae, et ſanctitatis verae perſequendae: quam quomodo non iniiciat, alatque, et firmet? cum nihil ſit, quod valere apud hominem in tali re, et vim habere ad voluntatem talem poſſit, quod non abunde adferat, et admoueat animis humanis. Atque in eo haud dubie longe vincit legem, quae metum et ſpem adhibet animis humanis; cum Euangelica ratio amoueat metum, benigne promittendo, et non modo ſpem adhibeat certam praemiorum maximorum, ſed etiam amorem iubentis, in illa ratione clariſſimis et maximis documentis demonſtratum, *Io. III*, 16. *Rom. V*, 8 *cet.* quo nihil in voluntate mouenda, et ad obedientiam allicienda efficacius eſſe, conſentiunt omnes. Accedit exemplum I. C. ſanctiſſimum et pulcerrimum in omni genere officiorum, quod non poteſt non allicere hominis voluntatem ad imitandum, non modo communi illa exemplorum illuſtrium vi, de qua nemo dubitat, ſed etiam propria quadam et longe potentiori, quam ei dat beneficiorum, ab ipſo nobis maximarum aerumnarum et cruciatuum mercede partorum, magnitudo, et ipſius I. C. ad imitandum leniſſima et amoris pleniſſima inuitatio, *Matth. XI*, 29. qua non poteſt non moueri, qui illa beneficia et eorum conciliatorem agnoſcat, et partam ab eo ſalutem per fidem teneat, et vero etiam ſentiat.

82. Sed haec voluntas, non eſt imbecilla et ignaua, atque inefficax in agendo, vt eſt plerumque in iis, qui, alicuius humani exempli aut virtutis pulcritudine cognita, ſuauiter mouentur ad voluntatem imitandi: quae magis voti imbecillitatem, quam verae, certae, et actiuae volun-

tatis

tatis firmitatem habet. Nec enim, quod optamus a nobis fieri, id ſemper facere ſerio volumus, obſtantibus voto aliis cupiditatibus, aut, quae volumus, eadem poſſumus. Itaque Paullus rectiſſime diſtinguit *velle*, et *facere*, quae velis, *Rom. VII*, 15. 22. 23. *Phil. II*, 13. et non neceſſario coniuncta oſtendit, ſecutus magiſtri, I. C. auctoritatem, qui voluntatem paratam ſaepe deſtitui docuit a virium imbecillitate, *Matth. XXVI*, 41. Euangelica autem ratio habet hanc vim, vt etiam promittat et det *facultatem* obediendi, veraeque ſanctitatis conſequendae, et ſic vere ac proprie legem ſtabilit ac ſancit per fidem, quae diuinam ſalutis promiſſionem vero animo complexa eſt. Quam vim ei cum tota Euangelii doctrina aſſerit, tum Paullus inprimis. Nam *Rom. VIII*, 1. abſoluta demonſtratione, quam in ea epiſtola ſuſceperat, et eius ſumma repetita, quae vni fidei in I. C. innocentiam et ſecuritatem a culpa et poena peccatorum attribuit, eidem vim ad veram ſanctitatem generandam, et facultatem obediendi legi diuinae vindicat. Hanc autem vim et facultatem ducit hinc, *v.* 2. quod cum fide detur *πνεῦμα τῆς ζωῆς*, i. e. *ζωοποιῦν*, *ſpiritus vitalis*, per quem homo liberetur *ἀπὸ τῦ νόμυ τῆς ἁμαρτίας, καὶ τῦ θανάτυ*, *a lege et poteſtate mortiferi peccati*, de qua ſuperiori capite egerat, h. e. ab illa non modo *ἀδυναμίᾳ* legis ſeruandae, ſed etiam ab imperio inuictae peccandi libidinis, quae lege non tollitur, *VII*, 5. *) ſed potius irritatur, *ibid.* 8 *ſqq.* Etenim quod lex efficere non potuerit, fracta eius vi, et ſublata per naturae humanae imbecillitatem, et vitiorum humanorum vim longe maiorem, id Deum, miſertum generis humani, effeciſſe, per Ieſum Chriſtum, ita deſtructa

vi

*) *Ὅτε ἦμεν ἐν τῇ σαρκὶ, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν, τὰ διὰ τῦ νόμυ, ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν*, i. e. cum adhuc eramus alieni a fide Chriſti, adhaerentes ſoli legi, vis peccatrix cupiditatum, quae cum lege manebat (*τὰ διὰ τῦ νόμυ*, vt *Rom. II*, 27.) integra, efficacem ſe demonſtrabat in omnibus partibus naturae noſtrae.

vi peccati, (hec enim est, κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί·) quae nobis dominabatur, vt fideles vere obedire legi possent, *v.* 3. 4 *sqq.* Et idem Apostolus, cum in religione Christiana, et ratione salutis sperandae a Christo proposita, omnia fidei esse pronunciat, *Gal. V*, 6. eam fidem sic describit, vt ab ea vim obediendi Deo, et praeceptis eius, venire ostendat. Etenim fidem ἐνεργεῖσθαι δι' ἀγάπης, *efficacem se praestare per amorem*, qui est verae obedientiae optimus magister, et omnis officii fons: vnde legis summa, et πλήρωμα dicitur, *Matth. XXII*, 40. *Rom. XIII*, 8. 10. Itaque recte notam verae fidei facit Iacobus hanc, si virtutes et bene facta efferat, *II*, 17. qui sunt fructus illi, quibus *per I. C.* homines repleri ait Paullus, *Phil. I*, 11., quod nihil aliud est, nisi *per fidem.* Sed haec latius multo edisseri possent, si laudes, fidei tributas in Scripturis, colligere et copiose tractare vellemus: quod non est instituti nostri; ex quo satis est, hoc totum leuiter attigisse. Quamquam compendium earum laudum quoddam habemus in Epistola ad Hebraeos *XI*, vbi docet Apostolus, a fide esse obedientiam, etiam iis in rebus, quae duram conditionem habeant, *v.* 8. contemtum rerum humanarum in vtramque partem, *v.* 24 *sq.* constantiam, fortitudinem, et patientiam in rebus aduersis, *v.* 23. 27. 36 *sqq.* Quae omnia pertinent ita ad laudem fidei, vt ei vim sanctificandorum hominum clarissime afferant.

83. Hanc autem vim quomodo habeat fides, etsi concedimus *Episcopio*, *in Apol. Confess. R.* non opus esse nobis, vt sciamus, aut quaeramus, propterea, quod nec, qui habet veram fidem, ea de caussa recte faciendi facultatem non habet, quia modum ignorat, quo eam facultatem fides dat; nec, qui caret fide, modi illius scientia fit sanctus: tamen, postquam iniecta est illa quaestio, propositis eius explicationibus variis, non videtur negligenda his, qui doctrinae publicae praesunt, ne a peruersis eius explicationibus vitium capiat fidei ipsius vis et notio,

notio, quae vel sic satis vexatur, vel impietate hominum, vel inscitia; omni modo laborantibus permultis, vt fidem nobis efficiant, quae sit legis non Euangelii, non Christi sed Philosophorum, non gratiae sed naturae. Atque, vt ne quis in hac quaestione vagetur incertis regionibus, vnde declinatio fiat ad errores graues; illa prima et summa cautio est, ne, dum faciliorem nobis eam explicationem reddere cupimus, in fidem inferamus id ipsum, cuius caussam quaerimus; quod faciunt cum Arminianis, qui in ipsa fide inesse dicunt voluntatem firmam obediendi, et amorem Dei, aut animum se suaque omnia dicantem et consecrantem Deo, et alia his similia. In quibus sane admodum facile est, videre, quomodo e fide nascatur obedientia cum bonis operibus. Sed ita adiungitur fidei ipsi, quod a fide oriri, clare loquuntur scripturae, vt ante docuimus, et fides inter legem et Euangelium male diuiditur. Nam Euangelii est sola promissio, quam fides amplectitur, amor autem et voluntas Deo obediendi, et se Deo consecrandi, est legis, quae Deum super omnia, adeoque etiam supra nosmet ipsos, et nostra omnia, amare iubet. Itaque nec hi placent, qui in fide Christum non modo vt mediatorem et expiatorem, sed etiam vt doctorem et regem ac dominum teneri iudicant, vt sanctitatis origo ex fide declarari possit, vt *Witsius Oecon. Foed. din. p.* 355. et alii: nec, qui fidem eam, quae salutem dat, assensu, ad omnia doctrinae Christianae capita, vt de Deo, de summo bono, promissis omnibus, pertinente, capiunt; vnde per naturam animi necessario amor Dei, et sanctitas, sequatur. In quo non modo fidei verae inscitia peccant, sed etiam veri et efficacis amoris, qui non oritur e boni scientia, sed e boni potius accepti possessione, fructu, et sensu. Veteres nostri Theologi, quamquam de hac re plerumque ita loquuntur, vt potius rem ipsam, hoc est, coniunctionem sanctitatis cum fide, vt effectus cum sua caussa, affirment, et similitudinibus congerendis, vt ignis, vt magnetis, vt arbo-

arboris felicis, illustrent, quam vt modum coniunctionis distincte explicent: tamen non obscura verae rationis vestigia impressa in scriptis suis reliquere, donatum fidelibus Spiritum S. et grati animi studium commemorando, inprimis *Melanthon* in *Comment. in Epist. ad Rom.* et in *Locis*. Recentiores autem, ab illius simplicitatis contemtu, dum philosophorum more modum coniunctionis, accommodate ad intelligentiam nostram, explicare instituerunt, in varias sententias discessere, et magnis se difficultatibus impediuerunt.

84. Ac nobis videtur difficultas rei, et dissensus doctorum hinc maxime nasci, quod, formis loquendi popularibus, et similitudinibus iis, quas diximus, conturbati, illam coniunctionem talem imaginati sunt multi, vt tota sanctitas cum suis fructibus e fide statim sua sponte, et necessario ac physice, et ex ipsa fidei essentia, vt *Hulsemannus* loquitur, de *Auxil. Grat. p.* 412. consequeretur. Quae res profecto in deuia abegit multos, in his *Curcellaeum Inst. Rel. Christ. VII*, 7. et in *Diatr. de Iustific. in fin.* qui non aliam magis ob caussam negat, fidei iustificantis formam esse in accipiendo beneficio per Christum parto, quam quod, quomodo hinc caritas et vniuersa sanctitas nascatur, prorsus intelligi non possit. Sed id hoc modo intelligi non debebat. Nec ita intelligere ipsa sanctitas et virtutum ac bonorum operum natura, sacris literis tradita, sinit; per quam non possunt repente existere, ac velut in animos infundi. Quorsum autem opus esset praeceptis, de sanctitate ad fidem adiungenda, et cohortationibus? quae exercitationum porro necessitas esset, quarum assiduitatem et constantiam fidelibus commendamus, vt constantiam recte agendi consequantur? Vim Deo vere obediendi secum *adfert* fides, quae fouenda, alenda, et ad firmitatem exercitatione perducenda est, vt ad fidem vera sanctitas et virtus accedat. 2 *Petr. I*, 3. 5. vbi ἐν τῇ πίστει intelligendum est *cum fide*, vt in ceteris formis similibus, quae sequuntur. Animus, vt

vt primum nata eſt fides, ad pietatem et officium leniter mouetur. At illis motibus, quibus noua vis ſe exſerit, obediendum eſt exercendo, adiuuante Spiritu S. Nec aliud voluere Theologi noſtri in hac diſputatione, quorum ſimilitudines, a magnete, igne et arboribus ductae, non ad viuum reſecandae, ſed accommodate ad rei naturam explicandae ſunt, vt omnes ceterae, quae a rebus corporeis ductae, ad res incorporeas et liberas transferuntur. Quomodo autem illa facultas et illa initia ſanctitatis cum fide veniant, in eo nihil melius fuerit, quam Scripturam audire et naturam fidei conſulere.

85. Primum igitur audiamus Scripturas: quae fundamenta huius nouae facultatis ponunt in fide, non *ἀμέσως*, qua eſt acceptio beneficii diuini, et actus animi humani, ſed *ἐμμέσως*, per eius effectus et fructus proximos; quorum alter cernitur in remiſſione peccatorum, quae, de beneficio Dei et promiſſione, cum fide ita coniuncta eſt, vt non tempore, ſed ſola cogitatione, ab ea diſcerni poſſit: alter in tranquillitate conſcientiae ex fide, per peccatorum condonationem, *Rom. V*, 1. Et ab remiſſione peccatorum quidem clare origines ſanctitatis et obedientiae repetuntur apud *Ieremiam*, in vaticinio nobili de N. T. felicitate *XXXI*, 33 *ſq.* repetito per *Paullum Hebr. VIII*, 9 *ſq.* Nam cum dixiſſet, huius noui foederis rationem longe diuerſam fore a priſtino: propterea, quod vetus non ſeruatum, hoc autem ſanctitatem veram et virtutem allaturum eſſet; rationem eius tanti boni ſubiicit hanc *Ierem. l. c.* 35. *Hebr. l. c.* 12. *etenim propitius ero malefactis eorum*, et *peccata ac delicta eorum obliuioni traditurus ſum.* In quo proprie ineſſe foederis illius beneficium, e quo alterum ſequatur, idem Paullus declarat alio loco (*Rom. XI*, 27.) idem vaticinium repetens: *αὕτη αὐτοῖς παρ' ἐμοῦ διαθήκη, ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.* Res autem ſic ſe habet. Cum Deus per fidem purgauit hominis animum, abſtergendis condonatione peccatis, *Act. XXV*, 9. adoptauitque per fidem regene-

regeneratum, venit in eum Spiritus S. *Gal. IV*, 5. 6. ſuamque ibi vim explicat in opere ſanctitatis per ſuum verbum, a quo ille, *Io. I*, 12., vim recte agendi et omnia accipit; vnde noua illa ſanctitas ἁγιασμὸς πνεύματος vocatur 2 *Theſſ. II*, 13., et omnia recte facta, omnesque nouae virtutes καρποὶ πνεύματος appellantur *Gal. V*, 22. Nam Deus Spiritu ſuo ſanctificare homines decreuit, cum ratio et natura non poſſet: ſed eum donare niſi purgatis non poteſt. At condonationem peccatorum ſtatim ſequitur Spiritus S. donatio, vt noſter *Philippus* loqui ſolet. Hoc fere modo rem explicant etiam Auctores *Declar. F. C. art.* 2. *et* 3. Ex quo intelligitur, renouationem hominis credentis in I. C. et inde ortam ſanctitatem cum bonis operibus coniunctam eſſe cum fide, non phyſice, vt ex ipſa acceptione beneficii per Chriſtum parti, in qua eſt forma et eſſentia fidei, qua tali, neceſſario naſcatur, vt *Hulſemanno* et aliis viſum videtur; nam id intelligi nullo modo poteſt: ſed beneficio libero Dei, qui Spiritum ſanctificantem donare decreuit ei, qui beneficium Chriſti acceptaſſet, h. e. qui Spiritui S. fidem in animo generaturo per verbum, non repugnaſſet, ſed eum abſoluere hoc opus ſuum ſiuiſſet. *Placetta de Fide II*, 24 *extr. Il ne faut pas chercher dans la nature de choſes mémes la veritable cauſe de l'inſeparabilité de la foi et de la pieté. Il faut, ſi je ne me trompe, la chercher uniquement dans la volonté de Dieu. Il faut dire, que cet effet vient de ce, que ni la foi, ni la pieté ne pouvant ſe former dans l'ame, que par une operation ſurnaturelle du S. Eſprit, il plût á cet Eſprit Saint, de ne produire jamais l'une de ces choſes ſans l'autre.* Bene facit et nobiscum ſentit, cum illam coniunctionem a benefica Dei voluntate et diſpenſatione repetit: nec id nouum eſt eius inuentum, ſed cum antiquioribus Theologis noſtris commune. Sed id erat diſtinctius explicandum; et vltima ſic intelligenda, vt neceſſitas remoueatur, exiſtimeturque Spiritus ſanctificationis dari cuilibet, qui ei, fidem

generaturo in animo, non restitisset. Omnis alia ratio, quantum nos iudicare possumus, aut parum subtilis, aut Scripturis non satis conueniens, et diuersa male permiscens reperietur.

86. Nec tamen sumus ii, qui in hac caussa excludamus alterum fidei fructum, qui est in pacata per ipsam conscientia; a qua nonnulli ita sanctificationem repetunt, vt per eam naturali quodam vinculo cum fide coniungatur, cum dicant, fieri non posse, vt eum non amemus, atque ei adeo obediamus, a quo tantum beneficium acceperimus, vt *Witsius* in *Irenico c.* 15. §. 15. Sane non videtur fieri posse per naturam animi humani, vt ille sensus tranquillitatis et omnino beneficii diuini, per Christum dati et accepti, non alliciat animum ad amandum Deum, atque adeo aliquem amoris sensum commoueat. Sed tamen non vna hic difficultas exoritur, si rem diligentius consideremus, propter quam nec ab hoc fonte vno, nec proprie aut maxime, possumus *facultatem* Deum vere et constanter amandi et sancte viuendi, deriuare. Nam primo, si fidem ille sensus secutus erit, praesertim viuidior et constantior, habebit ille profecto vim pertinentem ad amorem Dei, atque inde ad obedientiam; sed et hic sensus et haec ipsa eius vis erit a Spiritu S. illapso per fidem animis, *Rom. XIV*, 17. eritque illa vis magis in alliciendo et incitando ad amorem et officii studium, vt supra diximus, quam ingenerando vero et constante amore, et pari obedientia, aut facultate obediendi legi diuinae conferenda. Omninoque ipse amor, qui proprie dicitur, non tam facultatem dat obediendi, praesertim si res praecepta est supra vires, quod accidere posse clarum est, quam voluntatem ingenuam et integram, quae tamen et ipsa multis rebus debilitari potest, et in se, per illecebras rerum humanarum, et in actione ipsa, opponentibus se multis intrinsecus et extrinsecus impedimentis, quae vinci, nisi viribus a Spiritu S. acceptis, et adiuuante ipso, non possunt. Quid vero, si in ipsa fidei

fidei veritate, tamen ille talis ſenſus tranquillitatis et laetitiae, aut omnino non exiſtit, aut obſcurus eſt et hebes? quod ſaepe accidere, non dubitare nos ſinunt exempla piorum, eo nomine querentium: quippe et Spiritus Sanctus hoc χάρισμα nec omnibus, nec eadem menſura tribuit: et obſcuratur ſaepe ſenſus ille multis etiam humanis et naturalibus cauſſis, vt bene admonetur in *Declar. F. C. art. 2. p. 672.* Nec ille ſenſus facile oritur niſi a πληροφορία πίστεως, in qua non eſt eſſentia, ſed ſummus gradus fidei, ad quem forte pauci perueniunt. Atque etiam eſt inconſtans et varius, quia non neceſſarius eſt ad ſalutem, vt ſupra diximus §. 78. Sed res tam varia et inconſtans non poteſt eſſe vna aut propria ac neceſſaria cauſſa rei certae et conſtantis, qualis eſt, aut eſſe debet ſanctitas a fide profecta. Relinquitur ergo, vt effectus ille fidei, qui eſt in conſcientiae pacatae ſenſu ſuaui, et laetitia e beneficio Dei, ſi contingat credenti, valeat ad bonam voluntatem, et hactenus etiam ad facultatem obediendi legi diuinae, quod ea eſſe non poteſt ſine vera et integra voluntate, ſumma rei proprie tribuatur Spiritui Sancto propter fidem dato, per verbum operanti, et hominem ad ſanctitatem contendentem in exercendo adiuuanti, vt ſupra demonſtrauimus.

87. In hac ipſa autem Oeconomiae diuinae parte, i. e. modo facultatis huius vel tribuendae vel adiuuandae, multiplex bonitas et ſapientia diuina cernitur. Primum bonitas, quod miſertus imbecillitatis noſtrae, hanc quoque partem religionis ac cultus, per quam ſalutis compotes, dignos ſe auctore ſalutis ſanctiſſimo praeſtarent, ſui beneficii eſſe voluit, largiendo Spiritu ſuo, nec eius beneficii aliam conditionem in conferendo tulit, quam ſalutis ipſius veram et cupidam acceptionem, in conſeruando autem eius vſum talem, per quem appareret, non temere datum eſſe hoc ſanctum beneficium, et abiectum, ſed in loco poſitum, h. e. apud eum, qui id conſeruare atque etiam augere amore, cura, labore, exercitatione

cuperet. Et erat illius bonitatis tanta necessitas, vt sine ea nunquam verae, integrae et constantis sanctitatis ac virtutis facultas contingere potuisset: quae nunc etiam ita oppugnatur vndique a reliquiis vitiositatis naturalis, vt saepe post grauem demum et longam luctam vincat. Huic autem bonitati par est sapientia, quae cernitur in eo, quod Spiritum suum noluit vi infinita agere et absolute in sanctificandis fidelibus, et operibus sanctitatis efficiendis, in quo esset coactio et vis, cui resisti non posset, tollensque virtutis veritatem, quae, nisi libertate salua, ipsa salua esse non potest: sed *modo quodam*, apto ad conseruationem libertatis humanae, et *lege certa*.

88. Nam vti conuertendi hominis, ita sanctificandi rationem omnem sic adstrinxit verbo suo, vt per id solum opus vtrumque perageretur a Spiritu suo, non modo docendo, sed etiam efficiendo *Luc. XVI*, 29. 31. *Io. XVII*, 17. 1 *Petr. I*, 22. 23. Qua re fit primum, vt vis Spiritus Sancti agens, vel in intellectum hominis vel in voluntatem, cum per se sit infinita, ἄμαχος et ἀνυπέρβλητος, (nam est in nutu voluntatis eius, cui simpliciter et nullius rei finitae interuentu [immediate] agenti, resistere nihil potest, *Rom. IX*, 19.) vt ea igitur accipiat in ipso actu aliquem modum, ab instrumenti [medii] natura, per quem illa sufficit quidem efficiendae fidei et sanctitati, sed ita, vt ei resisti possit. Est enim hoc commune omni generi instrumentorum, vt ab iis vis agentis in modo agendi determinetur, eaque se exserat in obiecto pro instrumenti ratione ac natura. Est autem verbi diuini eadem natura, quae est omnis veritatis ad actionem spectantis, vt eius actio sit primum in intellectum, deinde per hunc in voluntatem et animum vniuersum. Sed et illius in intellectum actionis, a veritate qualibet, effectus impediri potest multis modis, vt constat inter omnes, et omnis motus voluntatis et animi ex intellectu ortus, liber est, et repugnandi facultatem relinquit. Itaque quamquam vis diuina in verbo et veritate verbi agens in

mentem

mentem hominis longe maior eſt cuiusuis alius veritatis vi: neque enim poſſet vincere vel tenebras mentis, vel duritiem animi: tamen a veritatis natura et ratione ita veluti temperatur, vt abſit a coactione, retineatque animus, cum ei cedit, ſuam libertatem. Quae res primum eſt digna homine, cuius natura, qua non eſt vitioſa, ſed ſimilis diuinae, recte conſeruatur: deinde Deo, Patre et Domino generis humani, eodemque ſancto et iuſto, cui primum vera obedientia debetur, quae eſſe non poteſt, niſi libera ſit; qui deinde praemia tanta, quanta promiſit liberaliter, virtuti neceſſariae et mechanicae impertire nullo modo poſſit.

89. Illud ipſum, quod hanc vnam et ratam legem fidei et ſanctitatis a ſe gignendae, et ab hominibus ſperandae, quaerendae et parandae fecit, quantum beneficii et ſapientiae habet? nec modo propterea, quod ea eſt omnium hominum ingeniis, fortunae, temporibus denique omnibus apta, ſed etiam, et multo magis, quod ea non ſinit hominum ſpem, aut voluntatem incertam vagari, ſed demonſtrat, quo eundum ſit, quid agendum, nec ſinit errare quemquam, aut fallit ſpem. Vis conuerti, ad fidem adduci, ſanctificari? Ne longe quaere viam, aut incerta ſpe exſpecta, dum tu vi diuina conuertaris, credere, et ſanctificari poſſis. Vt qui ſatiari vult, ſcit ſibi cibum capiendum, et ad eum parandum ſumendumque feſtinat; neque in eo dubitat, aut errare poteſt: ſic tu ſcito, verbo diuino recte audito, lecto, et cogitato opus eſſe, nulla alia re. Audies ergo, leges et meditabere ſerio verbum. Et vt ille ſatiatur, ſic tu conuerteris, credes et ſanctificabere. Quid poteſt eſſe ſalubrius hac tali certitudine, aut ad tranquillandum animum aptius? Eſt autem certitudo illa et ſecuritas in agendo cum in omni re graui optabilis, tum maxime in cauſſa ſalutis noſtrae: nec quidquam magis cruciat et angit animum, quam cum in tali re incertus errare ac trepidare cogitur, nec certo ſcit, quo ſe conuertere, quid et quo-

modo agere debeat. Quo magis etiam, vt hoc obiter addamus, repudiandi, et vltimae ſtultitiae accuſandi ſunt, qui vel malint per actionem diuinam ſine verbo, h. e. per vim, quae proprie dicitur, ad fidem et ſanctitatem duci, ſiue potius trahi; vel illuminationem, fidem et ſanctitatem contingere ſine verbo putant, et incerta ſpe exſpectare iubent. Etenim peruertunt et vituperant ſapientiam diuinam, repudiantque ſummum beneficium, eruntque in illa ſua exſpectatione ſimillimi ruſtico Horatiano, qui non eo, quem res et ratio et vſus demonſtrat, modo tranſire flumen obiectum tentat, ſed exſpectat, dum defluit amnis.

90. Longi fuimus in fide ad arbitrii diuini laudem conferenda, ſi longi eſſe poſſumus in ea re, cuius praeſtantia nulla diſputatione atque oratione exhauriri poteſt. Nos autem nulla in re libentius indagamus veſtigia diuinae bonitatis et ſapientiae, quam in fide et verbi Dei indole; et nobis hoc magis neceſſaria viſa eſt diligentior huius capitis tractatio, quod maxime obnoxium eſt corruptelis humanis, et religionis reuelatae aduerſus *Tindalium* defenſores id plane praetermiſerunt, vel parum digne et Scripturae S. conuenienter tractauere. Sed ſit tamen modus rei, veniamusque ad cetera inſtitutae diſputationis. In quibus aptiſſimum fuerit, prima commemorare *Inſtituta* religionis ea, quae in ſcholis *Sacramentorum* nomine appellantur. Habent enim coniunctionem cum verbo diuino tantam, vt etiam genus quoddam verbi diuini videantur *Auguſtino Tr. in Io.* 80. *verbum viſibile* appellanti, laudante iudicium et acumen viri *Melanchthone in Apol. A. Conf. art.* 13. vim autem ad fidem et ſanctitatem vel generandam vel alendam verbo parem, certe ſimilem, vel hanc ipſam ob cauſſam, quia cum verbo Dei iuncta ſunt, et vim ſuam a verbo Dei accipiunt, non modo iubente iis vti, ſed etiam promiſſionibus eorum vſum commendante. Atque hac ipſa de cauſſa iis communia ſunt, quae diximus de verbo Dei ipſo

ipso §. 87 sqq. Sed habent etiam propria documenta bonitatis et sapientiae diuinae, in eo maxime, quod in iis est pignus fidei perspicuum et sensibile, et vis ad roborandam fidem promissorum diuinorum, amoremque aduersus Deum hominesque inflammandum. Cum enim sit ea hominum natura, vt sensibus valde ducantur, iisque res quaeque ita certior videatur, vt magis ad sensus pertinet, aut per sensus percipitur: non quo res sensibiles sua natura certiores sint intelligibilibus, et inadspectabilibus, sed quod sensus earum, et certitudinis, acrior est et viuidior in animis humanis: profecto magnum beneficium sapientiae diuinae putari debet, quod per Sacramentorum instituta quodam modo ad sensus ipsos admouit certitudinem promissorum suorum, atque ita eos vocauit in communionem fidei, vt per eorum vim adiuuaretur fidei certitudo et acueretur certitudinis sensus. Quemadmodum igitur quondam Deus iridem coelestem adiunxit promissioni, qua timorem diluuii talis, quale Noachicum fuerat, ex animis hominum tolleret, vt pignus visibile promissionis haberent, existimarentque tam certum illius promissionis euentum fore, quam certum esset, se illam iridis speciem oculis cernere: sic e. c. Eucharistiae sacramento instituto, hanc nobis facultatem dedit, vt in edendo ac bibendo cogitemus, quam certum sit, nos hunc panem, atque hoc vinum hoc tempore edere ac bibere, tam certam esse veniam peccatorum nostrorum propter I. C. tam certam spem salutis. Atque vt illa certitudo etiam sanctior et amabilior esset, eam non pane et vino promiscuo ac ψιλῷ sumendo fieri voluit, sed augustiori re adiuncta, sanguine et corpore Domini nostri Iesu Christi, per quem illa venia peccatorum et spes salutis aeternae parta est. Quibus cogitationibus ac sensibus plenus in accipiendo animus, salutis cupidus, mirifice confirmetur necesse est, et per hanc ipsam confirmationem expleatur consolatione et laetitia verissima ac dulcissima. Hac porro reflectitur animus ad cogita-

 tionem

tionem benignitatis diuinae et Domini I. C. tali modo consulentis sibi et imbecillitati suae; vnde amor accipit alimentum dulcissimum, nec minus inflammatur animus ad studium vniuersae pietatis et obedientiae. Haec qualia et quanta sint, sentiunt pii, et intelligere etiam ceteri facile possunt, si ea recte considerare velint. Est enim in promtu, omnia hic esse plena bonitatis et sapientiae diuinae. Nondum dixi, quanta in iisdem institutis vis sit ad iungendos Christianorum animos et amoris concordiaeque vinculo adstringendos; in quo ipso est sapientiae diuinae magna commendatio. Sed illam tam salubrem et Deo dignam vim horum institutorum eius demonstrat Paullus non vno loco 1 *Cor. X*, 17. *Eph. IV*, 5 *cet.* Addat, qui volet, *Stakhusium* in *Defens. Relig. Christ. c.* 23. §. 50 *sq.* et *Fosterum* in *Def. vtil. et verit. Rel. Christ. c.* 5. qui tamen omnia refert ad virtutis et officii commendationem, quo in genere multa bene disputat.

91. Atque ita absoluta est pars disputationis nostrae ea, quae ad arbitraria religionis instituta vel communia vtrique Oeconomiae, vel propria nouae pertinet. Transitus hinc datur ad ea, quae antiquae sunt: quem facere non possumus, nisi breuiter explicatis, aut saltem tactis caussis diuersitatis, quae eo in genere cernitur in vtraque Oeconomia, vt et hinc aliquid lucis accedat sapientiae diuinae in modo arbitrii illius, quod defendimus, regendi. Ea diuersitas est in numero talium institutorum, qui in prisca illa Oeconomia religionis est permagnus, in hac noua autem, per Christum et Apostolos sancita, perparuus, vt vidimus; sublatis quippe omnibus praeter fidem, et sacramenta, in quibus formae priscae abolitae sunt, genere ipso seruato, et nouis formis inductis. Cum autem dubitari non possit, quin Deo liberum fuerit, numerum hunc augere; quaeri libeat, quae esse potuerint huius paucitatis caussae Deo dignae. In qua quaestione explicanda non suffecerit, vt putamus, id, quod videmus afferri a multis, cum dicunt, in illo Leuitico

cultu

cultu adumbrationem futuri Messiae, et rerum ab ipso peragendarum fuisse, *Hebr. X*, 1. quam locum non habuisse post euentum. Nam, vt mittamus id, quod statim occurrat cuique, id valere modo ad necessitatem abolendorum eorum, in quibus esset talis adumbratio et praesignificatio, quam non omnibus institutis Leuiticis, ne sacrificiis quidem, communem fuisse in promtu est, (cf. Disp. II. §. 38.) quid impediebat, quo minus iis, quae propter commutationem rerum, commutanda et ipsa erant, alia succederent, accommodata ad nouam temporum rationem; praesertim cum in iis esse posset, vt de Leuiticis demonstrabimus, vtilis disciplina fidei et officii? Nam illud quidem dici non potest, quod alicui in mentem veniat, ab illa Leuitici ritus abrogatione hominibus minus opus esse institutis bonae disciplinae. Nec ea instituta impeditura erant consilium diuinum conciliandae generis humani concordiae, et tollendae inimicitiae ex ritibus Mosaicis, *Eph. II*, 15. *Col. II*, 14. Nam noua et omnibus communia, et propterea libera erant ab omni tali inuidia futura, qualem Mosaica ratio, quamquam nullo vitio suo, incenderat.

92. Ac fortasse optimum fuerit, in hac re potius se referre ad illud: *quis mentem et consilium Dei assequitur? Rom. XI*, 34. quam incertas coniecturas tentare. Sed nescio quomodo animus noster semper inclinauit ad hanc partem, vt putaremus, hanc rationem fuisse ad illa tempora, et consilium diuinum communicandae cum omnibus gentibus salutis per Christum partae ac propositae accommodatissimam, atque hanc ob caussam sapientia diuina dignissimam. In operibus sapientiae diuinae hoc est non paruum, quod regnum gratiae ita cum regno naturae copulatur, vt alterum sit aptum alteri. In quo sunt omnia digna Deo, vtriusque auctore. In regno naturae saepe ita res gubernat prouidentia diuina, vt aditus et propagatio regni alterius fiat facilior, seruiatque natura gratiae. In regno vicissim gratiae ita Deus tem-

perat rem, vt non intercedat vis infinita, quae tollat rerum naturam et feriem ab ipfo inftitutam, nec tamen inftituta eius ita ipfa indole fua, temporibus ac locis, pugnent cum natura rerum, vt ab ea poffint impediri, fed habeant fucceffum faciliorem. Atque huius rei documentum videtur effe in eo ipfo, de quo quaerimus. Cum ita praedictum effet a Prophetis inftinctu diuino, Meffiae regnum fines habiturum eosdem cum orbe terrarum, eiusque falutiferam doctrinam ad omnes gentes venturam, vt quae ad falutem omnium fine difcrimine hominum pertineret; fapientia diuina rem ita moderata eft, vt ea propagatio doctrinae Chrifti quam maxime cum natura rerum humanarum, h. e. ingeniis humanis, temporibus ac locis confentiret. Id effici duabus rebus poterat: primum, fi ea incideret in tempora talia, quae fua fponte aditum in omnes terrae partes darent iis, per quos propagaretur, fiue, fi diuina fapientia ita praepararet in rebus humanis omnia, vt munita fatis effet via progreffurae quaquauerfum doctrinae Chrifti: deinde, fi ipfa doctrina, quoad falua fumma (effentia) eius fieri poffet, accommodaretur temporibus illis, hoc eft, ingeniis populorum, fenfibusque, vt inde nihil ei, aut quam minimum impedimenti, obiiceretur.

93. Iam quod ad primum attinet, eft fane perfpicuum, et a pluribus animaduerfum, et a nobis in *Inftitutione Interpr. N. T. p.* 211. 12. admonitum, in notis illis migrationibus Ifraelitarum in Affyriam, Chaldaeam, regna Seleucidarum, Lagidarum, vicinasque regiones, denique, ab foedere cum Romanis inito, per omnes deinceps Imperii Romani partes, et, conceffa a Romanis libertate religionis ritu patrio colendae, etiam per conuentus facrorum cauffa locis publicis ac folemnibus habendos, praemunitionem quandam a prouidentia diuina factam ad facilem et celerem religionis Chriftianae propagationem, cum ea res Apoftolis aditum facilem daret, non modo ad omnia oppida culti orbis terrarum,

quorum

quorum nullum paene a Iudaeis tum vacuum erat, sed etiam facultatem daret exponendae palam multis audientibus doctrinae; quae multo minor ac rarior futura erat, si in peregrina et ignota omnia venissent. Accesserat etiam linguae graecae vsus, primum per Graecorum imperium latissime, etiam quodam tempore ad Iudaeos propagatum, deinde per coniunctionem rerum Romanarum cum Graecis inde ab Achaico foedere, et subiectos Romanorum imperio Graecos, ad omnes populos fusus, et in ipsa Iudaeorum sacra receptus; qui Apostolis hoc opportunitatis dabat, vt omnibus in locis publice priuatimque docere et populares suos et alienigenas possent. Quae vt nemo sine numine diuino accidisse putabit; ita valde pertinere ad sapientiam diuinam, et diuinarum humanarumque rerum quandam concordiam, gubernatore sapientissimo dignam, in promtu est. Atque vt hoc obiter addamus, ex his ipsis patet, quare sapientiae diuinae consentaneum visum, illo potius tempore, quam alio, aut maturius proferre hanc religionis formam, quae a Christo tradita est. Quae spero esse planiora iis, quae v. c. *Conybarius* c. *Tindalium cap.* 8. *p.* 388. differit.

94. Enimuero, vt in illo res humanae diuinis, sic in eo, de quo quaerimus, res diuinae attemperatae videntur humanis. Primum illis temporibus philosophia et omnium bonarum artium studia, longe lateque fusa, contemtum cerimoniarum religiosarum attulerant, quarum multitudinem homines illis dediti, in superstitionis ridendae parte ponebant. Omnino, siue hac, siue aliis de caussis, homines multis locis erant ab cerimoniis alieniores. Id etiam ex hoc, vt opinamur, intelligi potest, quod, qui doctrina Iudaeorum capti, in societatem eius venire cuperent, quos fuisse, circa tempora Christi, permultos constat, cerimoniis vti Iudaicis ita recusabant, vt Iudaeis necesse esset, homines religionis suae appetentes a necessitate cerimoniarum seruandarum liberare. Erant porro ad regnum I. C. paullatim vocandi tot populi e Septen-

Septentrione Europae, a quibus nunc omnis prope Europa tenetur. Hi adsueti religionibus vel nullius vel paucarum cerimoniarum, faciliores futuri erant ad Sacra Christiana suscipienda, si ipsorum moribus et simplicitati essent hac ex parte simillima. Et memoriae proditum est, quosdam etiam tam paucis Sacramentis offensos, et difficiliores ad assentiendum factos fuisse. Quid futurum erat, si religio Christi, pari cum vetere Iudaica comitatu rituum stipata, iis se obtulisset? Sed haec, cum in coniectura sint, quam in partem accipiantur, non magnopere laboramus. Illud quidem sine dubitatione proque certa re, licet affirmare, in magno beneficio bonitatis diuinae ponendum esse, quod nec prisca illa tam molesta rituum multitudo mansit, nec in eorum locum alii, pari aut maiori numero successere, agente etiam hoc sapientia diuina, vt homines magis a sensibilibus abducti, in rerum intelligibilium et diuinarum cogitatione totos se collocarent. *Gal. IV*, 1. *Act. XV*, 10. *Io. IV*, 23. 24. Hunc locum miror a *Capello* inter *praerogatiuas Eccl. N. T. supra veterem Iudaicam*, esse praetermissum. Nam *Witsius Oecon. IV*, 15. quod caput est *de bonis N. T.* leuiter, vt alii, ab ea parte attigit, quae ad Iudaicarum cerimoniarum abrogationem pertinet. Sed ad veterem illam Iudaicam veniamus.

95. In qua maxime offenduntur aduersarii nostri, propter illa arbitraria, quae in ea insunt plurima. Sed eorum non modo ea est *innocentia*, vt sine iusta caussa iis offendantur homines, sed etiam *salubritas*, vt honorifica sint et religioni, et auctori Deo. *Innocentia* quidem talium institutorum cernitur in hoc, si in iis, eorumque vsurpandorum modo, nihil est, quod pugnet cum pietate in Deum, et ad eam vel peruertendam falsis opinionibus, vel impediendam et debilitandam in animis humanis necessario valeat; si porro nihil, quod virtutis reliquae veritatem obscuret, eiusque necessitatem tollat. *Salubritatem* porro habent, si in iis est disciplina verae sapien-

ſapientiae, pietatis, et virtutis, apta vſurpantium ingeniis, moribus, etiam temporibus. Quibus conſtitutis, non eſt difficile, vtramque ritibus V. T. aſſerere. Ac nos non ignoramus, hunc locum, praeſertim quoad innocentiam attingit, tractatum eſſe a quibusdam Britannis, qui aduerſus *Tindalium* ſibi certamen ſumſerunt, in his a *Iac. Foſtero, cap.* 4 *et* 5. ſed eius diſputatio, etſi innocentiam bene defendit, quod eſt facillimum, tamen ſalubritatem nimis arctis finibus conſtringit, totam ponens in perſpicua et perpetua ſeiunctione Iudaeorum ab gentibus ceteris, quae veritate religionis carerent, et remedio idololatriae; cuius vtriusque neceſſitatem ad conſeruandam in illa gente religionem veram bene defendit. Itaque non alienum putauimus, hunc locum noſtro modo explicare.

96. Et in *innocentia* quidem longam diſputationem ſuperuacuam facit et rei ipſius perſpicuitas, et inſtituti noſtri ratio, quod *ſalubritatem* magis attingit, quam innocentiam; quamquam illa in huius veluti fundamentis conſiſtit. Nam totam illam cerimoniarum multitudinem, quoad iis acquieuerit Iſraëlitica natio, nec ab iis ſe ad alios ritus traduci paſſa ſit, inuiolatum reliquiſſe verum de Deo vno, inuiſibili, mundi auctore, et rerum omnium conſeruatore, ſenſum, eoque de praeſcripto ipſius, pietate, obedientia, et virtute colendo, res ipſa declarat: nec ea res vllam dubitationem poteſt habere. Nihil igitur hic vitii eſt, ſed innoxia omnia. Cum autem haec ſit indoles ingenii humani, praeſertim plebeii et indocti, vt adhaereſcat rebus ſenſibilibus, oblitum intelligibilium et coeleſtium, in illisque totam religionem et ſanctitatem ponat, et poni cupiat, propterea, quod facilius eſt, corpore agere, eique imperare, quam animo: cautum eſt his incommodis diligenter in illa ipſa religione, per praecepta eiusmodi, quae plane et ſeuere docerent, in illis cerimoniis non eſſe maximum cultum Dei, aut totum, ſed longe maiora eſſe interna, quae mente et animo peragerentur,

rentur, fidem, obedientiam, sine quibus illa, velut mente ac sensu cassa, etiam displicerent, 1 *Sam. XV*, 22. *Ps. L. Es. I*, 11 *cet.* Itaque si quid in hoc genere ab Israëlitis peccatum est, quod factum esse plus, quam satis esset, docent querelae Prophetarum, eius culpam omnem sustinent homines, nihil inde cerimoniae ipsae vitii aut noxae trahunt.

97. Sed innocentia earum multis et magnis commodis cumulatur. In quibus primum facile agnoscimus ea, quae diximus a *Fostero* et aliis demonstrata, vnde etiam sapientia diuina illustratur, quae conseruandae religioni verae, et cauendae superstitioni ita aptas res inuenit et sanxit. Quod si quis Spencerianam rationem probet, cuius vitia non ignoramus; adiuuerit et ipse caussam nostram. Est enim benignitatis et misericordiae paternae, demittere se ad imbecillitatem suorum, quoad ipsius sanctitas et religionis dignitas patiatur. Sed nos aliis et maioribus rebus salubritatem istarum cerimoniarum aestimamus, vt diximus. Et quoniam in iis proprie non est ipsius religionis pars, nisi quoad obedientia Deo in iis seruandis praestatur, sed disciplina religionis virtutisque colendae; ea quomodo insit, breuiter demonstrandum videtur. Nos autem non sumus ii, qui disciplinam ponamus modo, aut maxime, in coërcendis rebus malis; sed etiam, et multo magis, in adiuuandis bonis. Neque enim disciplina est propria improbis, quos coërceri seueritate institutorum idoneorum conuenit, sed communis etiam probis. Et est multo melior, quae bonis prodest, quam quae malos coërcet. Nam haec modo abstrahit a delictis externis, et cogit facere externum virtutis et religionis opus: illa adiuuat pietatem et virtutem ipsam, per quam vera opera sanctitatis fiunt. Habuerunt ergo
322 cerimoniae Mosaicae disciplinam illius generis, quoad necessitatem attulere sacrorum certis temporibus obeundorum, et peccatorum quocunque modo expiandorum. Quorum alterum cauebat, ne homines improbi paullatim omnem

omnem religionis sensum exuerent, sed perpetuam peccati exprobrationem, et officii ac poenitentiae admonitionem haberent, per quam occasionem quin interdum homines ad meliorem mentem reuocati sint, dubitari vix potest: alterum autem homines saltem in peccando timidiores reddebat, et metu a peccatis multis abstrahebat. Sed melior illa ad pios pertinens disciplina, vel ad scientiam et fidem refertur, vel ad animum eiusque sensus, vel ad actionem; contineturque institutis apte excogitatis ad scientiam religionis augendam et firmandam, fidem alendam et excitandam, sensus animi ad normam certam pietatis et virtutis fingendos et roborandos, actionem denique vitae adiuuandam per exercitationes idoneas. Talem vero disciplinam fuisse in cerimoniis Mosaicis, si per omnes partes eundo demonstrare institueremus, vix finem habitura esset disputatio. Itaque paucis exempli caussa ponendis defungemur, e quibus de ceteris iudicare facile sit.

98. Atque vt a parte ea initium faciamus, quae ad scientiam verbi diuini pertinet a quo omnis vera fides et sanctitas ducitur; de *Sabbati* instituto primum videbimus. In quo non docebimus, quam vtilem disciplinam habuerit in eo, quod, feriandi necessitate imposita, paene traheret homines ad sacra statis horis obeunda, aut quod imitatione Dei opera sua intuentis post sextum diem et probantis, vocaret homines ad acta superiorum dierum recolenda, et eorum rationes a se reposcendas, vt fierent post cautiores, si aberratum a lege viderent: (*Philo de Decal. p.* 758.) sed modo, quantum profuerit ad verbum Dei cognoscendum atque imbibendum. Etenim quod omnibus Sabbatis ita audiebatur necessario pars verbi diuini, vt certo Sabbatorum numero, olim lex tota, post libri etiam Prophetarum omnes absoluerentur, homines adulti, iisdem saepe audiendis, ita percepta tenebant omnia, vt nihil eos fugeret. Cuius rei auctorem ac testem habemus *Iosephum*, cuius egregius est et dignus lectu

lectu locus c. *Apionem II*, 16. 17. vbi ostendit, apud Iudaeos coniuncta fuisse, quae alii populi distracta haberent, διδασκαλίαν et ἄσκησιν τῶν ἐθῶν, *doctrinam* et *disciplinam institutorum:* horum autem pulcerrimum fuisse in ista assiduitate per dies Sabbatorum audiendae legis, per quam effectum sit, vt omnia legis capita *non minus* quisque *quam nomen suum* teneret. Quod ille quidem de legibus Mosis dicit, de quibus id eo loco praedicari satis erat, sed pariter de Prophetarum libris dici poterat. Nec in ea re ostentationis suspicio est, cum et mulierum in libris sacris, et eorum qui nunc sunt Iudaeorum exempla rem firment. Mariae quidem preces illae pulcerrimae totae ita nexae sunt verbis diuinis, vt appareat ei familiarissima fuisse ex illis crebris auditionibus verba et sententias sacrorum librorum. Et nunc, satis constat, Iudaeos permultos, etiam expertes eruditionis Iudaicae, ita tritos esse in libris V. T. vt plerosque Christianorum in eo genere longe superent. Atque illa tanta totius verbi diuini scientia, magnam hominibus, praesertim piis, facultatem dabat meditandi assidue verbum diuinum e descriptione Dauidica, *Ps. I*, 2. Itaque non modo propterea inerat beneficium in hoc instituto, quod vacationem dabat corpori humano a laboribus, ipsum quoque magnum et amabile; sed etiam, et multo magis hac de caussa, quod disciplinam verbi diuini exercitatione tali imbibendi efficacissimam habebat.

99. Atque hac ipsa de caussa in eodem instituto erat *disciplina fidei*, quae assidue audiendo verbo venit et manet, nascitur et alitur. Sed huius disciplinae aliud, nec parum efficax genus fuit in genere sacrificiorum eo, quod animalium sanguine fundendo peccata expiaret. Nam cum in eo esset adumbratio futurae per Messiae mortem expiationis, ad omnes peccatorum poenas abolendas pertinentis, et veniae impetrandae spes tota referretur ad misericordiam et beneficium diuinum, non minus ad excitandam et alendam fidem virium habebant, quam nunc

nunc Euchariſtia recte celebrata. Nec vero hic nobis explicanda eſt, vt opinor, diſputatio longa, qua vincamus, hanc admonitionem in eo genere ſacrificiorum ex inſtituto et conſilio diuino fuiſſe, cum ea res claris Chriſti et Apoſtolorum teſtimoniis nitatur, ſintque eius etiam in Iudaeorum libris veſtigia, quae *Schoettgenii* diligentia collegit in *Horis Talmud. T. II. p.* 483. Quod ſi ea feris V. T. temporibus paullatim obliterata fuit, et ignorata pleriſque, hominum id vitium fuit, qui in talibus rebus facile adhaereſcunt in eo, quod in ſenſus incurrit, neglecta parte meliori, quae mente peragenda eſt. Nec quod in lege ipſa nulla eius rei mentio facta eſt, propterea negari, aut ignota veteribus exiſtimari debet. Nec enim legis illa doctrina fuit, ſed Prophetarum, in quorum ſcholis ea tradebatur. Nam nec hoc in lege diſerte ſcriptum eſt, in talibus ſacrificiis obeundis cogitationem peccatorum cum dolore vero, et deprecatione veniae, et voluntate ſeria peccatorum poſtea cauendorum requiri, ſine quibus inutilia eſſe ſacrificia, et ad augendam culpam et poenam valere. Et tamen hoc non ignoratum aut non traditum eſſe doctrina religionis Iudaicae, tum Prophetarum libri docent, tum Iudaeorum poſteriorum ſcripta, vt *Philonis* de *Victimis*, item de *Sacrificantibus*, et *Targum* ad *Eccleſiaſt. IV. vlt. cet.* Ex quo illud quoque intelligitur, quod praeteriri non debet, in ſacrificiis iſtis fuiſſe *diſciplinam poenitentiae* vtilem et ſalutarem: in quo ipſo magna eorum eſt commendatio, et ſapientiae diuinae laus.

100. In ceteris porro ſacrificiis et oblationibus omnibus fuiſſe egregiam *diſciplinam pietatis* aduerſus Deum, omnia bona vitae humanae, omnes euentus ſecundos, referentis ad beneficium diuinum, res propemodum ipſa clamat. Neceſſario enim occurrebat in tali genere ceremoniae, Deo deberi, quidquid boni obtigiſſet: eius rei profeſſionem ſolennem et gratam edi tali ritu obeundo: ab eodemque eſſe ſperanda ſecunda in poſterum. Nec dubitem,

bitem, *in legibus de discrimine ciborum*, fuisse de consilio diuino, *disciplinam* aliquam *cupiditatum castigandarum* et *refrenandarum*, per necessitatem abstinendi ab cibis iis, quibus alii populi delectarentur; idque innuit *Iosephus l. c.* Et sunt multa alia, quae dici in hanc sententiam possunt: sed modus adhibendus est; et via per haec ad indagandum est patefacta. Ceterum si non potest in omnibus talis aliqua vis indagari et explicari, non propterea nihil huiusmodi in iis fuisse iudicandum est, quod esset salubre homini, gloriosum Deo. Etenim non est mirum, si nos, tam longe ab iis temporibus remoti, quibus illius disciplinae vera ratio et verus vsus et perspectus erat Prophetarum traditione, et frequentabatur vulgo, ea ignoramus, et nostra sponte indagare non possumus, cum etiam Christi temporibus perpauci essent, qui maiorum rerum veram rationem et legitimum, de consilio Dei, vsum tenerent. Et sunt fortasse quaedam in his similia Parabolarum Euangelicarum περιςάσεσι et minutis partibus, quae non propriam caussam aut significationem habent, sed explendo Parabolae quasi corpori seruiunt; in quibus si quis proprium aliquod Dei consilium ad disciplinam talem pertinens indagare velit, argutias citius parum probabiles exprimat, quam veritatem reperiat, quod *Philoni* et aliis allegoricae rationis amicis saepe accidit.

101. Illud autem praeteriri non debet, quod maxime pertinet ad disputationis nostrae consilium: disciplinae talis etsi non ea necessitas fuerit, vt sine ea ad religionem, fidem, poenitentiam cet., adduci homines non possent, aut vt alia esse non posset; tamen cum Deo salubre ad consilia sua visum esset, cerimonias tales ac mores sancire §. 96. summam salubritatem fuisse, eamque ob caussam laudandam esse et sapientiam diuinam, quae eas summae religionis ita aptauerit, et bonitatem, quae per hanc disciplinam talem adiuuare homines in omni parte religionis, et consuefactione quadam ad fidem et pietatem addu-

adducere voluerit. Quanta autem vis sit talis disciplinae institutorumque exercendae cuiusque virtutis vel artis, sapientissimi quique omni tempore intellexerunt. Grauis enim error est eorum et perniciosissimus, qui in rebus ad actionem pertinentibus satis esse putant, si doceant, quid et quomodo agendum sit, et cohortatione, hoc est, commemorandis iis, quae motiua vocari solent in Scholis, vtantur. Quibus rebus nihil aliud effici potest, nisi vt sciat aliquis officium, et ad id vtcunque impellatur animus, i. e. ad optandum, vt officium ipse faciat: nisi vero etiam Rhetores praeceptis eloquentiae tradendis et laudibus eius, pulcritudine et vtilitate, commemorandis, disertos facere discipulos possunt. Enimuero vt facias, et constanter facias, quod est proprium verae virtutis, id sine exercitatione multa fieri non potest, quam teneri disciplina certa et apta, id est, institutis ad vitia paullatim coërcenda et excludenda, et ad actionem rectam celeriter et facile suscipiendam valentibus, in promtu est. Haec est illa disciplina, qua lapsa, virtutem ipsam lapsam queruntur historici Romani. Pulcerrimus est locus apud *Xenophontem* in *Cyropaedia tertia*, non longe a fine: vbi Cyrus inducitur Chrysantae monenti, vt et ipse cohortatione apud milites vteretur, quod id faceret rex Assyriorum, ita respondisse, vt diceret: *μηδέν σε λυπούντων αἱ τοῦ Ἀσσυρίου παρακελεύσεις. οὐδεμία γὰρ οὕτως ἔσται καλὴ παραίνεσις, ἥτις τοὺς μὴ ὄντας ἀγαθοὺς αὐθημερὸν ἀκούσαντας ἀγαθοὺς ποιήσει· οὐκ ἂν οὖν τοξότας γε, εἰ μὴ ἔμπροσθεν τοῦτο μεμελετηκότες εἶεν, οὐδ' ἀκοντιστὰς, οὐδὲ μὴν ἱππέας γε, οὐδὲ μὴν τάγε σώματα ἱκανοὺς πονεῖν, ἢν μὴ ἔμπροσθεν ἠσκηκότες ὦσι· Ne tu timeas cohortationes Assyrii. Nulla enim esse potest tam pulcra cohortatio, quae eos, qui fortes non sint, statim audiendo fortes faciat: non certe bonos sagittarios, nisi ante eam artem exercuerint, nec iaculatores aut equites, aut qui corpore labores sustineant sine praegressa exercitatione.* Et post demonstrat, non modo legis praeceptis opus esse, sed

etiam magiſtris et praefectis, qui *doceant* et *conſuefaciant* facere ea, quae leges iubeant. Et his ſimilia ſunt in *Platonis* de *Republica* libris, quae alibi a nobis ſunt indicata. Sed vt ad eundem locum pluribus ſaepe viis pervenitur, pari commoditate viatorum, ſaltem pro cuiusque rationibus et conſilio, nec neceſſe eſt omnibus eadem via ire: ita illa diſciplina, quamuis bona pro indole gentis et ratione temporum, aboleri a Deo potuit, inducta alia ſimpliciore et omnibus populis apta.

102. Non ignoramus, eſſe plura, de quibus in hanc partem dici poſſit, non modo in Iudaica religione, ſed etiam in ea, quae primis generis humani parentibus in Paradiſo fuit. Sed ſupergreſſi iam ſumus modum Academicae Exercitationis. Itaque hic finem facimus *Vindiciarum* noſtrarum: quas vt optimo animo ſuſcepimus, ita plurimis prodeſſe ad agnoſcendam ſapientiam et bonitatem inſtitutorum diuinorum cupimus; quod nobis in tota huius cauſſae actione ſpectatum fuit. *Deo ſoli bono et ſapienti ſit laus et gloria in omnia ſecula!*



DE

DE
DISCIPLINA
CHRISTIANA

DE
DISCIPLINA CHRISTIANA

PRAEFATIO.

Quum omnes fere artes atque doctrinae paullatim incrementa maiora ceperint, et per ingeniorum multorum inuenta, curam et diligentiam, elaborationem maiorem acceperint: tum vero etiam Theologiae pars ea, quae de vita et moribus Christianorum praecipit, in eius felicitatis societatem venit. Eius rei caussa haud scimus an praecipua fuerit institutum illius partis separatim ab altera tractandae, quae ad fidem proprie pertinet, et ad corpus proprium doctrinae redigendorum omnium, quae cum vita et moribus habent coniunctionem: cuius instituti auctorem *Georgium Calixtum* fuisse constat. Nam ab Apostolorum inde temporibus ea sic a doctoribus Ecclesiae tractabantur, vt, in interpretandis populo scripturis sacris, et quae ad fidem pertinerent, ad vitae conformandae vsum conferrentur, et praecepta vitae atque morum per locos communes illustrarentur et inculcarentur: vt tum ab aliis, tum a *Chrysostomo* factum esse videmus, cuius vel solae Homiliae in Matthaeum prope omnes vitae Christianae partes complectuntur; vel vt separatim in concionando, aut per alias ocasiones, pars aliqua officii christiani explicaretur. Posteaquam vero Corpora doctrinae Christianae fieri coepere ad scholarum vsum, e scripturarum sacrarum et doctorum clariorum sententiis coagmentata, libri sententiarum appellati, in ea congesta sunt, non modo quibus fides Christianorum, sed etiam quibus animus, mores et

 vita

vita informarentur. Nostros quidem ab *Lutheri* tempore, qui talia corpora Doctrinae Christianae conficerent, vt sub Locorum theologicorum nomine, ea per varia capita, vt de peccato, lege, bonis operibus, aliaque, dispersisse, satis constat. In qua ratione haud facile erat videre, quid deesset, aut, quomodo cohaererent omnia inter se, perspicere. At posteaquam ea secerni coepere a ceteris, et ad formam doctrinae propriae reuocari, maior opportunitas data est, singula elaborandi diligentius, et ordine apto inter se coniungendi, et a certis principiis omnia repetendi.

2. Atque ea res etiam fecit, vt non modo doctores saepius ac copiosius de officiis pro concione dicerent, sed vt etiam homines magis appeterent ac requirerent de moribus homilias, quam quae de capitibus fidei exponerent. Nam si quis inde colligere velit, vitae sanctae appetentiores et studiosiores factos esse homines, quam ante fuissent, aut ea re sanctiores factos, aut id doctores maxime spectasse, valde erret. Alias res habet etiam illecebras. Atque vt a doctoribus incipiamus, prima illecebra est facilitas rei. Nam facilius doctrinae moralis caput, quam fidei, et recte accurateque intelligas atque explices, et, vt nunc sunt tempora, satisfacias in eo audientibus. Accedit, quod, qui comto ornatoque genere dicendi vti cupiant, in rebus moralibus rem expeditiorem habent. Nam eae facile a sententiis atque figuris ornatum quendam capiunt, et admouentur ad sensus humanos: at dogmata fidei pro concione recte explicare, et rationibus idoneis firmare, idque facere cum aliqua commendatione orationis, id est, ornatu talibus rebus apto, id quidem est magnae difficultatis. Nam res dogmaticas, propter communem tenuitatem rerum abstractarum, ad sensus humanos perdifficile est admouere, et longe maioris ingenii et artis, quam in rebus ad vitam pertinentibus, disertissimum esse atque vberrimum verbis, figuris et sententiis. Nec vero alia caussa est, quare homines moralia libentius audiant, quam

quam dogmatica. Nempe et facilitate audiendi capiuntur, et multo magis ornatu verborum, ſententiis acutis et bellis, et motibus animi mollibus. Itaque plerumque nullum alium iis audiendis fructum capiunt, quam e ſpectatis et auditis in ſcena tragoediis.

3. Tantum vero abeſt, vt ab omnibus vniuerſa conſuetudo crebrius tractandi res morales in concionibus ad populum probata ſit, vt potius multi fuerint, ſintque et nunc, qui ſuper ea re grauiter conquererentur. Atque nos facile largimur, ſub iis querelis interdum aliquid vel iniquitatis, vel odii et inuidiae, fortaſſe etiam aliquid vanitatis latere: nec tamen, eas interdum iuſtas eſſe, negari poteſt, vt in iis, qui doctrinam quandam inducunt de officiis et moribus, ſpecie illam quidem magnificam ad ſenſum populi illius, qui plus ſapere didicit in diſciplina ſcenae et libellorum vulgarium, fauorem hominum, per bellas ſententiolas et verborum nouellorum condimenta quaerentium, reuera magis oſtentatricem vanitatis cuiusdam, quam verae et Chriſtianae virtutis magiſtram et commendatricem: quo ſane quidam hodie inclinauere.

4. Quid vero de iis dicamus, qui in officiis explicandis pro concione totam rem eſſe putant confectam, ſi virtutes et officia pariter ac contraria illis vitia atque peccata, ita tractent, vt primum eorum indole, fortaſſe etiam cauſſis bene explicatis, incitamenta varia vel ſeruandi officii, vel cauendi peccati, vel e ratione et experientia, vel e ſcripturis ſacris repetita proponant? quae ratio a pluribus retro annis ad noſtra vſque tempora fere dominata eſt in concionando. Enimuero non difficile eſt, eius rationis vitium animaduertere. Nam nulla in re, quae quidem pertinet ad actionem, ſatis eſt ſcire, quid aut quare ſit faciendum, niſi ſi res ſit eiusmodi, vt modus illius agendae ſtatim ſit in promtu, nihilque ad agendum requiratur, praeter ſolam voluntatem vndecunque ortam et commotam: nec in vlla arte humana, quae

homines ad actiones certas erudit, haec sufficere creduntur: vt mirari satis non possimus, quomodo quis in iis possit acquiescere, quum homines ad officium faciendum adducere instituit, et sibi persuadere, quemquam par ea faturum talem, qualem esse velit, aut acturum, quae facere iubeat. Immo vero intelligendum erat atque faciendum, quod magistri humanarum artium bene faciunt, vt etiam modus virtutis et officii consequendi explicaretur. Saepe etiam, vt agere possis, quod debeas aut velis, opus est exercitatione aliqua, cuius modus et ratio est cognoscenda. Nec in iis cognoscendis satis est generalia quaedam praecepta tradere, sed quae sint accommodata ad cuiusque actionis, officii, virtutisque indolem atque naturam. Sed haec post planius explicabuntur. Restat igitur, vt pars doctinae moralis eo pertinens diligentius in populo docendo adhibeatur, et tractetur inprimis excolaturque in scholis diligentius. In ea est, quae proprie *Disciplina Christiana* dici debet, de cuius natura et modo exponere instituimus.

SECTIO I.

De disciplina vniuersa.

5. Ante vero quam ipsam explicemus Disciplinae Christianae naturam, de vocabulo quaedam videntur praemonenda. Ac satis quidem frequens est consuetudo verbi huius de doctrina ipsa vsurpandi, siue de eo, quod per doctrinam cognoscitur vel cognosci debet; sed eam aberrare a propria verbi vi et vsu veteris latinitatis, haud difficile est intelligere. Nam ea disciplinam, in scholis quidem, refert ad methodum docendi atque discendi, intelligitque instituta, quibus magistri vtuntur, non modo ad bene intelligendum et cognoscendum, sed etiam ad faciendum, quod cognoueris: id quod vsu optimi cuiusque scriptoris latini potest confirmari. Quo pertinet quod

quod apud *Ciceronem* disciplinae de sectis dicuntur, vt *Nat. Deorum* I, 7. Nam philosophia vna est: at plures eius sunt disciplinae propter varietatem philosophiae tradendae. Est et disciplina rhetorica, quae et vniuerse ad methodum refertur, doctori cuique in tradendis praeceptis propriam, et vero maxime ad modum exercendi tironis, non tam vt discat praecepta dicendi in arte, quam vt ea ad vsum conferre paullatim consuescat per exercitationes legendi, scribendi ac declamandi, accommodate ad praecepta dicendi tradita. Omnino disciplinae verbum propriam sedem habet in actionibus, tum internis, tum externis regendis et confirmandis. Cuius quidem generis est *disciplina domestica* saepe veteribus, inprimisque *Ciceroni* commemorata; tum *disciplina ciuitatis* aut *reipublicae*, quae institutis moribusque publice receptis continetur ad ciues legibus parentiores efficiendos, *Orat.* I, 1 et 34. *Brut.* 10. *Verr. III*, 69. Ex eodem genere est *naualis disciplina* Rhodiorum, *Manil.* 18. tum *disciplina militaris*, quae proprie inest in institutis, omnibusque exercitationibus, per quas boni milites fiunt, i. e. qui possint in bello gerendo operam bonam et vtilem nauare, non in scientia rei militaris, quae ducibus propria est. E quibus intelligitur, eos valde errare atque abuti disciplinae verbo, qui in ea, cum ad vitam moresque refertur, tantum castigationes per vim poenasque intelligunt; vnde etiam de nostris quidam, qui de disciplina ecclesiastica tradere instituerunt, rem paene omnem eo retulerunt. Enimuero vetus latinitas Ecclesiastica, cum de disciplina ea loquitur, omnia complectitur instituta publica, exercitationesque externas, quibus mores Christianorum regi, formari, contineri, omninoque pietas et virtus adiuuari possit.

6. Apud Graecos disciplinae verbo respondet παιδεία. Quod conscripsit opus egregium, sub titulo παιδείας Κύρου, *Xenophon*, est de *disciplina Cyri*, i. e. institutis Cyri, et vniuersa, vt vulgo loquimur, methodo, i. e. arti-

bus

bus imperandi bello ac pace. Sed ipſae ſcripturae ſacrae vtuntur hoc verbo de genere inſtitutorum diuinorum pertinente ad Chriſtianos exercendos, tum ad omnem pietatem atque virtutem, tum inprimis ad conſtantiam atque patientiam, quod genus crucem appellamus, *Hebr. XII*, 5. 7. 8. 11. Paullus autem, quum *Epheſ. VI*, 4. coniungit παιδείαν cum νουθεσία, non profecto tantum iubet elementa doctrinae Chriſtianae tradi liberis, ſed maxime ea intelligit, per quae a parentibus liberi adduci poſſunt ad amorem pietatis et virtutis, per quaeque adſuefieri vitae pie et honeſte agendae. Nec multum abludit ἡ παιδεία ἡ ἐν δικαιοσύνῃ, pro εἰς δικαιοσύνην. Hinc fit, vt παιδεύεσθαι et παιδεία pro conſuefactione per bona inſtituta et exercitationes idoneas dicantur. Itaque hoc verbo Hebraeorum מוסר veteris teſtamenti interpretes Graeci expreſſere, vt *Pſ. L*, 17. quod verbum aptiſſime exprimit diſciplinam, quae proprie dicitur, coërcentem vitioſas cupiditates et adſuefacientem homines ad cuſtodiam legum et officii. A Graecis Eccleſiae ſcriptoribus etiam verbum ἀσκήσεως in ea re adhiberi ſolet, quamquam proprie tantum partem diſciplinae exprimit, habetque ea conſuetudo et ipſa fundamentum in vſu ſcripturarum. *Act. XXIII*, 16. coll. 1 *Cor. VIII*, 27. *Clementis* quidem *Alexandrini* (*Strom. IV*. p. m. 484.) κυριακὴ ἄσκησις, quam dicit ἀπάγειν τὴν ψυχὴν τοῦ σώματος εὐχαρίστως, *tradita a Domino Ieſu Chriſto ἄσκησις, commode abducit animum a corpore*: nihil aliud eſt, quam diſciplina vitae, a Chriſto tradita et inſtituta. Tum omnia inſtituta et Eccleſiae publica, et ſingulorum priuata, adiuuantia opus cauendorum deponendorumque vitiorum, tum pietatis aſſumendae et virtutis, ἀσκήσεως nomine appellantur. Paullatim proprie appellari verbo eo coepere inſtituta ea, quae ad cupiditates carnales refrenandas et exſtinguendas valere deberent, vt ieiunia, vigiliae, ſolitudo et ſimilia; vnde tota diſciplinae ratio corrumpi, et ad exercitationes corporales ſiue caſtigationes referri coepit.

coepit. Sed de hoc verbo, et eius vniuerſo ac vario in vetere Eccleſia vſu, adeant ſtudioſi *Caſaubonum* aduerſus *Baronium Exerc. II. n.* 13. *et Antonellum*, in Diſſ. *de Aſcetis*, inter *Iacobi Niſibeni* Homilias, *cap.* 2. Sed ad rem a verbis veniamus.

7. Omnis omnino diſciplina, tum quae eſt Chriſtianorum, tria habet. Primum eſt, vt ſenſus animis iniiciat, quibus verae pietatis atque virtutis amor excitetur, foueatur, magis magisque alatur et firmetur, denique etiam conſeruatio officiorum facilior et conſtantior reddatur. Alterum eſt in inſtitutis, apte excogitatis, per quae primum ſenſus illi pii et honeſti in animum ſuſcepti, confirmentur acuanturque, deinde actiones ipſae Chriſtianae, et opera pietatis, tum externa, tum interna, faciliora reddantur, detracta inprimis moleſtia, quam in agendo habent apud animos, eorum adhuc rudes: adde, per quae praeparantur homines ad actiones maiores, ſimilitudine quadam actionum. Tandem omnis diſciplina exercitationes quaſdam deſiderat, quibus vitioſas conſuetudines debilitare, peccata cauere, tentationes, quae nobis obuenerint, ſuperare poſſimus, denique, quod volumus facere, certo et conſtanter facere, adque omne bonum opus apti reddamur atque idonei.

8. Haec tria et intelligi in diſciplina a veteribus, et in ea requiri, ſi facere debeat officium, quod ei proprie attribuitur, non difficile eſt demonſtrare. Et illud quidem quoniam in diſciplina Romanorum priuata iam demonſtratum eſt in iis, quae de ea ſcripſimus, (*Opuſculorum Philologicorum pag.* 35. *ſqq.*) diſciplinae publicae exemplo vtemur. In ea igitur veteres inprimis commemorant ſenſus, quibus Romani a pueris imbui ſolebant, auctoribus iis, qui ciuitatem Romanam conſtituiſſent, Romulo inprimis, Numa Pompilio, Seruio Tullio, Bruto, eosque tradunt ad reuerentiam religionis, iurisiurandi, legum, magiſtratus, ad dignitatem rei militaris, rei ruſticae, honeſtatem paupertatis, ad amorem libertatis, impe-

imperii et patriae pertinuisse cet. cf. *Rollin*, *Maniere d'étudier et enseigner les belles lettres T. III. p.* 379. *sqq.* His porro sensibus publicis ciuitatis Romanae adiungunt, in disciplina commemoranda et explicanda, maiorum instituta, vt *Cicero Verr. III*, 69. vbi *liberos erudire* iubet *ad maiorum instituta et disciplinam ciuitatis*, locisque aliis: nec quicquam frequentius est, apud Latinos quidem, mentione institutorum, quae saepe cum moribus coniunguntur, apud Graecos autem, laudibus institutorum Romanorum, vt apud *Polybium*, in libri sexti excerptis; in his eius, quo in funeribus nobilium vtebantur, quod ille ait efficacissimum fuisse ad ingenerandum amorem virtutis et laudis, et iniiciendos stimulos rerum pro patria gerendarum. Vicissim Latini saepe instituta Lycurgi et Solonis laudant, vt solertissime excogitata, et efficacissima ad virtutem ciuium. Denique exercitationes sollemnes et publice praescriptas commemorant, quibus v. c. iuuentus vteretur necessario, vt consuesceret molestias laborum, paupertatis, dolores vulnerum ferre, omninoque facere, quod propter vtilitatem publicam bello ac pace faciendum esset.

9. Quodsi Philosophos consulimus super disciplina priuata virtutis, et ciuitatis publica, eadem omnia reperimus in partibus disciplinae poni. Admirabilis inprimis in hoc argumento tractando est *Plato*, cuius libri Politici nihil pulcrius habent disputationibus de disciplina priuata et publica, vt inprimis liber quartus *de Republica*, non vnus *de Legibus*, vt primus, secundus, septimus, et *Epinomis*. Sed ille disciplinae, per quam boni viri et ciues fiant, omnia ea tribuit, quae nos in eius partibus posuimus. *Epicteti* Enchiridion profecto nihil habet aliud, quam disciplinam virtutis. Eam autem tradit sensibus, institutis, et exercitationibus, aptis ad virtutis amorem et consuetudinem suscipiendam, vt, qui legerit attente, facile reperiet: vnde Graeci Philosophi, qui id opusculum commentariis illustrauere, *Arrianus* et *Simplicius*, multi

ti ſunt in his generibus rerum tractandis. Vide v. c. *Arrianum I*, 16. 18. *III*, 2. & 12. Nec alia eſt diſciplina *Antonini* Imperatoris, cuius libri magnam habent cum Epicteto ſimilitudinem. E Latinis Philoſophis, ne *Senecam* attingamus e diſciplina Stoica, *Ciceronis* liber Tuſculanarum Diſputationum, de vincendo dolore, etiam exemplum egregium talis diſciplinae habet.

10. Sed inſtituta et exercitationes quid differant, dicendum videtur, ne propter ſimilitudinem confundantur, et a nobis male diſtingui videantur. In illis igitur, in inſtitutis, proprie actio eſt et conſuetudo aliqua, in qua aliud fere ſpectatur, quam agitur, idque, quod agitur, non propter ſe, ſed propter aliud ſuſcipitur. Velut in illo quod *Sextius*, antequam obdormiſceret, facere ſolebat, vt eſt apud *Senecam*, fuit inſtitutum virtutis comparandae. *Faciebat hoc Sextius*, inquit ille *de Ira III*, 36. *vt, conſummato die, quum ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum: quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es?* Nam in ea cogitatione vel actione animi non fuit officium ipſum, aut opus officii et virtutis, nec ſuſcipiebatur propter ſe, ſed propter aliud, h. e. vt fieret ad curam virtutis diligentior. Cuius generis eſt etiam prouiſio futurorum, et cogitatio, quid nobis poſſit accidere, quomodo res ſuſcepta euenire cet. vt nihil quicquam inopinati nobis obveniat. Non illa ipſa cogitatio habet per ſe aliquid boni, nec adeo ſua cauſſa fit, ſed propter aliud, ne malum, vbi euenerit, moleſtius nobis ſit, vt ante, quid, vbi acciderit, faciendum ſit, praeparare animo poſſimus. Ex eodem genere ſunt ieiunia, vigiliae, ſtatae precandi horae, et ſimilia. In exercitatione vero actio eſt, quae propter ſe ſuſcipitur in officii parte ac loco; atque exercitatio fit in ea re ipſa, quae quaeritur, quae ad officium pertinet: vt, cum exercemur in ſcribendo ac dicendo, in laborando, ſimilibusque, id facimus conſulto ac deſtinato, vt ea ipſa facere recte, et facile, et quolibet tempore poſſi-

possimus. Bene *Simplicius* in Epicteti Enchir. p. 10. πάντα γυμνασία διὰ τῶν αὐτῶν ἐπιτελεῖται, δι' ἃ καὶ προηγουμένη ἐνέργεια, πρὸς ἣν γυμναζόμεθα. Ἡ γοῦν πρὸς πάλην γυμνασία διὰ τοῦ συνεχῶς παλαίειν γίνεται. cet. *Omnis exercitatio per eadem fit, per quae principalis actio, cuius caussa exercemur. Veluti exercitio ad luctam fit assidue luctando.* Ac nos non ignoramus, esse, qui instituta et sensus in exercitationis partibus numerant, qui fere sunt, qui disciplinam omnem in exercitatione ponunt, veluti *Simplicius* in *Epictetum* p. 66. qui duas partes exercitationis commemorat, vnam, vt recte de rebus ad officia nostra pertinentibus sentiamus, alteram, vt ad ea simus praeparati: sed rectius distingui, facile arbitramur intelligi.

11. Sed huius talis disciplinae, singularumque partium necessitatem vtilitatemque videamus. Ac necessitas quidem intelligitur ex eo, quod scientia officii, quid et quare agendum sit, vt supra iam obiter monuimus, raro sufficit, neque sufficere potest ad faciendum officium, nisi in iis forte rebus, quae prorsus a nostro pendent arbitrio, quaeque ita in potestate nostra sita sunt, vt in efficiendo nihil desiderent praeter voluntatem bonam, veluti, decernere de re aliqua, adfirmare aut negare, probare et improbare, quaeque exsequendo nihil habent impedimenti a cupiditate aliqua nostra, aut praua consuetudine, aliaue qua caussa, vt statim in leui aliquo animi motu possint fieri. Quare omnibus temporibus iudicavere viri sapientes atque prudentes, in omni vitae ac rerum maiorum genere opus esse tali disciplina, per quam quis id, quod debet aut vult facere, recte constanterque facere consuescat. *Platonis* quidem praeclaros de Republica libros si quis legat, facile intelligat, magnam eorum partem consumi in constituenda disciplina, cum privata, tum publica, per quam homines singuli ad conservationem officiorum adducantur, ciues autem legibus, ad salutem reipublicae scriptis, obedientes efficiantur. Cicero illos *e vetere et seuera disciplina domestica patres fami-*

familias commemorat, *disciplinamque ciuitatis*, non, quae sit in legibus, sed in sensibus potius ciuium, in institutis atque exercitationibus: quam in libris de Legibus explicare, more *Platonis* instituerat. *Horatius* autem *vanas iudicat sine moribus*, i. e. sine disciplina, *leges*, quamquam bene ac seuere scriptas *Carm. III*, 23, 35. et *Liuius* in *praefatione*, a lapsa disciplina vetere corruptionem totius reipublicae ducit, quamquam legibus saluis. Sed nihil pulcrius et clarius est loco *Xenophontis* in *Cyrop. IV.* p. 228. edit. *Hutchins.* Nam instante praelio, quum ad moneretur a Chrysanta Cyrus, vt oratione cohortaretur milites ad pugnandum fortiter, quod id factum apud hostes a Duce audierat: *ὐδεμία ἔςαι*, respondet, *ὕτως καλὴ παραίνεσις, ἥτις τὺς μὴ ὄντας ἀγαθὺς αὐθήμερον ἀκύσαντας ἀγαθὺς ποιήσει, ὐκ ἂν ὖν τοξότας γε, εἰ μὴ ἔμπροσθεν τῦτο μεμελετηκότες εἶεν — ὐδὲ μὴν τά γε σώματα ἱκανὺς πονεῖν, ἢν μὴ πρόσθεν ἠσκηκότες ὦσιν.* cet. *nulla erit tam bona cohortatio, quae homines non fortes eodem, quo eam audiuerint, die fortes reddat; non sagittarios quidem bonos, nisi eam artem prius exercuerint; — ne hoc quidem effecerit, vt corporibus perferre possint laborem pugnae, nisi se prius ad id exercuerint* cet. Sed totus locus ille pulcerrimus est legendus. In *Memorabilium* autem Socratis *sermonum* II, 1, 28. Virtus inducitur rem apta similitudine demonstrans, cum eum, qui velit artium opera, vt picturae, vt statuariae, facere, eum igitur dicit debere primum *artes ipsas discere*, hoc est, praecepta magistrorum de arte, eiusque operibus, deinde vero *exerceri* ad modum earum vsurpandarum. Nec vero aliter Doctores Ecclesiae Christianae iudicauerunt. Vnum *Clementem Alexandrinum* commemorabimus; cuius clara sunt testimonia de necessitate exercitationis, in qua est pars disciplinae latissime patens. Nam *Strom. II, p.* 370 alios, dicit, velle recte facere, et posse: alios, etsi nondum possint, tamen bonam voluntatem habere: sed *τὸ δύνασθαι* esse, ait, *ἐκ συνασκήσεως, ab exercitatione:* quam ille ita late ibi di-

cit, vt omnem disciplinam ea complecti videatur. Contra inconstantiam in recte agendo ait esse in iis, qui exercitatione non vtantur: Lib. II. p. 386. τὸ πολλάκις μετανοεῖν, καὶ ἐπιτηδειότης εἰς εὐτρεψίαν ἐστὶν ἐξ ἀνασκησίας· *saepe poenitere, et procliuitas ad inconstantiam, est e defectu exercitationis;* in quo dicit esse μελέτην ἁμαρτιῶν, *exercitationem peccandi.* Denique hanc necessitatem adstruit locus, cuius supra mentio facta est, Paulli *Eph. VI*, 4, vbi liberis educandis iubet Apostolus non modo νυθεσίαν praecipiendo hortandoque adhiberi, vt quid et quibus de caussis debeant facere, cognoscant, si esse velint Christiani, sed etiam παιδείαν i. e. disciplinam, per quam consuescant facere officium, et facilius atque libentius facere discant.

12. Vtilitas autem talis disciplinae multis ac luculentis exemplis et cunctarum gentium et singulorum hominum satis intelligi potest. Omnes omnino ciuitates, quae maxime floruerunt, disciplinam habuerunt propriam atque solerter a viris prudentibus excogitatam; inter quas Spartana Lycurgi inprimis celebratur, itemque Atheniensis et Romana: eique disciplinae ciuitatem quamque debuisse incrementa sua et felicitatem, prudentissimi ciuitatum gubernatores iudicauere. Et illa tot ac tanta exempla patientiae, constantiae, moderationis, abstinentiae, fortitudinis cet. quae nos stupemus et prope supra fidem esse putamus, quum ab hominibus a vera religione alienis edita reperimus, quia pudori nobis sunt, nec modo a Philosophis, vt Stoicis inprimis, sed etiam aliis multis, profecto non tam scientiae quam disciplinae fuerunt. Ac similia, atque etiam maiora sunt Christianorum veterum, a quibus pariter pudor iniiceretur nobis, si ea modo audiremus aut legeremus; quod nostris temporibus vulgo contemnitur, non sine Christianismi, vt opinamur, incommodo. Enimuero, quod nunc aut nulla, aut nimis rara sunt talia virtutis Christianae exempla, non Christianae religionis et verbi diuini culpa est,

in

in quibus eadem nunc est semperque manebit ad virtutem vis: disciplina illa vetere homines vel carent omnino, vel non vtuntur veterum exemplo ac more: scientiam officii et bonam voluntatem sufficere existimantes, sine disciplinae et exercitationis labore. Sed partibus disciplinae constitutis, et necessitate atque vtilitate disciplinae demonstrata, ad disciplinam ipsam explicandam veniamus. Sit igitur nobis haec de Disciplina Christiana disputatio vel institutio tripartita. Primum dicemus de sensibus, tum de institutis, denique de exercitationibus.

SECTIO II

De sensibus vel imprimendis vel suscipiendis.

13. Sensus itaque, de quibus nobis primo loco est dicendum, in scripturis exprimuntur verbis φρονήματος et φρονήσεως. Nam Paullus *Rom. VIII*, 6. 7. 27. commemorat φρόνημα τῆς σαρκὸς et τοῦ πνεύματος, *Lucas* autem I, 17. in cantico Zachariae, φρόνησιν δικαίων. Sed vtrumque verbum eam vim habet a matre communi φρονεῖν, quod eodem modo in scripturis dicitur. Etenim iubemur τὰ ἄνω φρονεῖν, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, *Col. III*, 2. vel τὰ ἐπίγεια *Philip. III*, 19. *sensus coelestes*, *non terrenos habere*. Τοῦτο φρονείσθω ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, inquit Paullus *Philip. II*, 5. hoc est: *eos sensus habere debetis*, *quos habuit Iesus Christus*. Quodsi autem vocabuli huius vsum in scripturis paullo curatius consideramus, duo in eo contineri deprehendimus. Est enim φρόνημα, animi adfectio erga aliquid in vtramque partem, vel ad amorem, vel ad odium, vel ad admirationem, vel ad contemtum. Atque id intelligitur e verbo φρονεῖν, vnde φρόνημα et φρόνησις ducuntur. Nam id quum proprie sit cogitare, sensu atque animo aliquid concipere, tum vero per figuram orationis transfertur ad modum vniuersum, quo erga hominem aliquem aut rem quamque adfecti sumus. Itaque addere solent Graeci, per quae genus

nus adfectionis, et pars, in quam adfecti sumus, determinetur atque intelligatur, vt εὖ vel κακῶς φρονεῖν, beneuolum vel maleuolum esse, μεγάλα vel μικρὰ, sensus celsos, elatos vel demissos humilesque habere, et alia simi lia; quod multis exemplis aetatis antiquae scriptorum confirmari, non necesse est. Istius vero adfectionis caussa est in iis opinionibus, quas de re ipsa suscepimus ac firmiter tenemus, erga quam in alterutram partem adfecti sumus. Atque ea opinio seu persuasio de rebus, quam commodius sensum hominis animiue dicimus, proprie est, quae per verbum Graecum φρονεῖν exprimitur. Ei primae atque propriae significationi adiunxit vsus loquendi communis, id quod eius est consequens. Nam, vt de quaque re sentimus et opinamur, ita erga eam movemur atque afficimur. Sed haec breuiter sunt illustranda et confirmanda.

14. Ac verba quidem *sentire* ac *sensus*, apud Latinos ita dici, vix, vt opinamur, eget demonstratione longa. *Ciceronis* quidem illa sunt ex hoc genere: *de republica praeclare atque egregie sentire*, item, *male aut bene sentire*, *sensus de republica*, et alia plura, quae etiam Lexica indicant; in quibus semper exprimitur, tum quid quis de republica vniuersa statuat, tum quomodo erga eam adfectus sit, amor et odium reipublicae ipsius et salutis publicae. Φρόνημα porro, apud *Paullum*, est, primum in opinionibus de rebus bonis et malis expetendis et fugiendis, deinde in amore studioque inde orto rerum diuinarum et humanarum, vel odio et contemtu: neque ea res habet aut habere potest dubitationem. Apud Graecos quidem φρόνημα non vsurpatur ad vtrumque exprimendum, sed tantum de adfectione aliqua animi, et magis in deteriorem partem, vt fastu, superbia atque ferocia cet. vt saepissime etiam verbum φρονεῖν· in Nouo autem Testamento, in locis scilicet ante allatis, epistolae Paullinae ad Romanos, vtrumque verbum vtrumque exprimit, et iudicium de rebus, et adfectionem ex eo ortam. Huc

etiam

etiam illa pertinent: ȣ φρονεῖν τὰ τȣ̃ Θεȣ̃, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων, cuius Seruator noſter Petrum arguit, *Marc. VIII*, 33. non ſapere, i. e. probare, optare, amare, quae Deo, quaeque diuinae probantur ſapientiae, ſed quae hominum iudicio et ſenſu probantur, quae homines optent cet. tum illud *Paulli Rom. XIV*, 6. ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν, κυρίῳ φρονεῖ· καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, κυρίῳ ȣ̓ φρονεῖ· in quo verbum φρονεῖν nihil aliud eſt, quam iudicium et opinio de dierum diſcrimine, per quam alicui dies religioſus et ſanctus videtur atque etiam habetur, quum alius aliter iudicet et faciat. Retulimus huc etiam φρονήσεως verbum e *Luca*, in quo vulgo prudentiam intelligunt. Sed id eſſe de ſenſu hominum ſanctorum intelligendum, facile res docere poteſt, et ἐν φρονήσει, eſſe dictum pro εἰς φρόνησιν. His de verbi vſu dictis, definitio ſenſus, de quo dicimus, ponatur. Eſt ergo in perſuaſione animi de rerum vel praeſtantia, pulchritudine, dignitate, bonitate, vel contra, propter quam eas in honore habemus, admiramur, amamus, ſtudio, cura et labore perſequendas putamus, vel contra. Secundum hanc definitionem res ipſa explicabitur.

15. Senſus igitur hominis Chriſtiani duplicis ſunt generis. Nam tot ſunt genera rerum, quos ſenſus eius amplecti poteſt. Ac primum quidem genus ad religionem ſpectat, alterum vero ad res bonas malasque, quibus hominum felicitas vel teneri poteſt vel impediri. Religio prima eſt, quam ſenſus humani amplecti debent. Sed religio tum in ſe ſpectari poteſt, tum qua obiectum, quod amplecti debet. Religionis autem obiectum eſt Deus, eiusque vniuerſa perfectio et maieſtas, tum eius conſilia omnia, inſtituta, leges; inprimisque eo referendum eſt ſalutare illud conſilium, de toto humano genere e miſerrima, in quam prolapſum eſt, conditione eripiendo, et ſalute atque felicitate, ab aeterno illi deſtinata, per filium ſuum reſtituenda. Nam id conſilium Dei noſſe, etiam in ſcripturis ſacris κατ' ἐξοχὴν dicitur Deum

 noſſe.

nosse. Religio autem ipsa est in scientia recta earum rerum omnium, et ad eam scientiam accommodato et composito Dei cultu, quae est pietas vniuersa, εὐσέβεια, fides in Dominum nostrum Iesum Christum, cum suis fructibus. Alterum genus, ad quod sensus hominis Christiani pertinent, est in rebus bonis et expetendis comparandisque ad veram felicitatem, et in malis, quibus cauendis miseria et pernicies euitatur. Sed age, sensus cuiusque generis praecipuos commemoremus.

16. Et in primo quidem genere, quod ad Deum ipsum pertinet, sensus tales sunt in omnibus animi decretis, de perfectione et maiestate Dei, inprimis bonitate, sapientia et iustitia eius, et quaecunque aliquam habent coniunctionem cum animo nostro, ad ingenerandam ei reuerentiam et amorem, vt facere, quod abhorreat ab eius maiestate, nolis, vt dicto illi audiens esse cupias, eique placere; veluti, quum nobis est persuasum, idque firmiter menti haeret infixum, a Deo nos plane pendere, omnia ab eo habere, quibus vtimur, fruimur, itemque omnium rerum bonarum et felicitatis spem in ipso sitam esse: ab ipso vicissim amari nos, tum quia operis eius simus, tum maxime propter filium eius Iesum Christum, cuius facti simus peculium per redemtionem; ei salutem nostram caram esse atque curari: itaque, quicquid nobis accidat, ipso decernente ac dirigente accidere, nullumque aliud habere consilium, quam quod ad nostram felicitatem pertineat. Ex eodem genere est, quum ita induximus animum, vt statuamus, quicquid Deus faciat, quicquid instituat atque praecipiat, id necessario sapiens esse atque sanctum, et rectum, et iustum, et bonum; aliter eum facere, fecisse, instituisse, id non minus contra naturam esse, non minus repugnans atque absurdum, quam si ab igne esse frigus, et tenebras ab ipsa luce, existimes. Ille quoque huc pertinens sensus est, quum leges diuinas nihil aliud esse credimus, quam mera beneficia diuina, quibus securitati nostrae atque adeo vniuersae felici-

felicitati nostrae cautum sit; si eae nullae essent; aut si contra de singulis rebus sanxisset Deus, optandum fore, vt nati non essemus: itaque eas rebus omnibus, omnibus cupiditatibus nostris maiores ac potiores esse, eis cedere omnia debere: nihil melius esse officio, ei omnes vtilitates nostras postponi debere: ne esse quidem vtilitatem aliquam posse, quae cum officio pugnet cet.

17. Et hi quidem sensus ad religionis obiectum pertinent: ad ipsam spectant hi, qui de eius necessitate praestantiaque ita decernunt, vt inde reuerentia eius, amor, cura nasci possit. Huius modi sunt, quum nobis habemus persuasum, religionem esse rerum humanarum longe primam, sanctissimam, et maxime inuiolabilem: sine religione nullam omnino tranquillitatem animi esse posse, neque veram felicitatem locum habere: itaque odio dignos esse, et communes generis humani hostes habendos, qui eam nobis eripere tentent: contra, quae ad eam pertineant aut aliquam cum ea habeant coniunctionem, ea sancta iudicari et in honore haberi debere, vt verbum diuinum, sacramenta, iusiurandum, preces, instituta publica ad verbi praedicationem atque intelligentiam comparata, verbi diuini interpretes ac doctores, et alia huius generis.

18. Nec minus praeclari et necessarii ad disciplinam Christianam sunt sensus de rebus expetendis aut fugiendis, quorum praecipuos, age, videamus. Quum omnes omnino homines in eo consentiant, vt felices esse fierique cupiant; in ipsa felicitate, eius natura, caussis, et quaerendi modo, quantus est dissensus! quanta inscitia! Itaque nihil magis necessarium est, quam vt homines imbuti sint sensibus rectis de felicitate ipsa, tum de rerum omnium pretio, ex vi cuiusque ad felicitatem statuendo: in quo cernitur sapientia, quae maxime est in hoc, vt rei cuiusque pretium recte aestimes, et secundum id vel ames, appetas, vel contemnas, repudies cet. Oportet igitur animum hominis Christiani talibus sensibus imbutum

tum esse: veram felicitatem non contingere habendis, vtendis, fruendis rebus corporeis et fluxis, diuitiis, honoribus, voluptatibus, sed esse a rebus inuisibilibus, certis et aeternis, vera pietate in Deum, amore et fiducia, certa spe vitae aeternae, bona conscientia cet. miseriam contra non esse a paupertate, humilitate sortis, similibusque, sed in ignorantia rerum diuinarum verbique diuini, in erroribus, vitiis, cupiditatibus: item, veram libertatem esse, cum obedias legibus diuinis et obedire possis, cum in potestate habeas cupiditates, nec iis ab obedientia erga Deum, et ab officio, etiam contra voluntatem et propositum animi, detorqueare cet. maius malum esse in iniuria facienda, quam in patienda, longeque melioris conditionis esse, qui patiatur, quam qui fecerit: contumeliam non haerere in eo, cui per iniuriam fiat, sed in eo potius, qui intulerit. cet. Sed explicatis sensuum generibus, propositisque vnius cuiusque generis exemplis praecipuis, accedamus ad id, in quo caput rei videtur inesse, vt sensuum talium assumendorum ratio demonstretur. In quo primum, vnde assumendi sint, deinde, quomodo assumi possint ac debeant, ostendemus.

19. Omnino fontes sunt duo, e quibus sensus isti hauriendi videantur; quorum alter in ipsa natura rerum communi latet, rationis opera patefaciendus: alter in scripturis diuinis patet, retectus penitus per prophetas, Iesum Christum ipsum, et Apostolos eius. Ac primum sensus tales a rerum, ad quas pertinent, natura repeti debere, intelligi potest ex ipsa sensuum indole ac natura. Nam quum in iis sit proprie nihil aliud, quam de pretio rei cuiusque et dignitate naturali, tum per se, tum comparate cum felicitate nostra, iudicium, mouens animum in vtramque partem: fundamentum eorum aliud esse, quam in ipsa rerum natura, non potest. Sed ab natura rerum sensus rectos ducere, id proprie est intelligentiae opus, naturam illam cognoscentis, et eius cognitionem ad pretium earum ac vim ad felicitatem constituendum

et

et aestimandum conferentis. Atque etiam videmus, intelligentiam et rationem humanam scrutanda rerum natura reperisse, quid et quomodo iudicare deberet, sensusque inde honestos egregiosque suscepisse, iisque aliorum animos vel imbuisse, vel imbuere tentasse. Etenim nihil est propemodum in iis, quos exempli caussa posuimus, quod non reperiatur in Philosophorum, Poetarum inprimis et Historicorum Graecorum Latinorumque libris. Nec aut ille fons naturalis sensuum, aut riui inde deducti in libros humanos, contemni atque ab vsu vitae remoueri debent, aut alienum iudicari oportet ab homine Christiano, si inde quoque hauriat et ad suum et ad aliorum vsum: quo videntur quidam inclinare, siue ab simplicitatis piae inscitia, siue hypocritica ostentatione, siue etiam, quod genus pessimum est, inuidiae faciendae cupiditate. Neque enim alienum sit ab homine Christiano, imitari Prophetas et Apostolos, qui, vt incitamenta recte agendi, ab natura rerum per rationis vsum ducta admouent subinde animis, sic etiam sensuum rectorum, honestorum et piorum caussas et principia in communi rerum natura demonstrant. Ecclesiae quidem veteris Latinae doctores egregii, vt de Graecis nihil dicamus, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Leo Magnus*, *Bernhardus*, non dubitauere, sensibus inde ductis, etiam ab Philosophis, Poetisue latinis, homilias suas et scripta alia, ad officii doctrinam et commendationem pertinentia, refercire.

20. Neque tamen negari debet aut potest, haud paullo meliorem esse fontem scripturarum diuinarum, ex eoque sensus, de quibus dicimus, et *rectius*, et *plenius*, et *efficacius* assumi. Nam primum, longe maxima hominum pars, propter imbecillitatem ingenii atque iudicii, ea, quae in natura rerum latent, videre, et inde sensus rectos suscipere non potest: praesertim, quum plerique prauis et carnalibus sensibus occupentur ante, quam animum instituere ad veros quaerendos possint. Itaque nec recti in plurimis maximisque rebus sensus forent, nec pu-

ri a contagione ſenſuum vitioſorum, nec denique, qui ſatis certae perſuaſionis velut radicibus haererent. Quae contraria ſunt omnia, quum e ſcripturis diuinis repetuntur, in quibus omnia recta, pura atque certa ſunt. Tum vero, quam longi temporis et operis res foret, ſi quisque ſuopte ingenio quaerere ſenſus illos vellet? quando tandem omnes conſequuturus eſſet? In ipſis ſcriptis antiquorum Philoſophorum, Poetarum, Hiſtoricorum et Oratorum ita diſperſi ſunt, vt, ſi quis eos inde colligere vellet, tempus non breue conſumi deberet: quum contra in ſcripturis, vel ſoli ſermones Ieſu Chriſti omnes ſuppeditent. Sed pleni ſunt Pſalmi, pleni Salomonis libri harum copiarum, vt nihil de libris hiſtoricis aut Apoſtolorum litteris dicam. Nam efficacius ſumi e ſcripturis, id quidem facillime intelligitur: primum propter auctoritatem Dei, qui etſi per naturae vocem et ipſam, tamen praeſentius et grauius docet per ſcripturarum ſermonem in quo eſt ad mouendum vis non parua et multo maior, quam vel in noſtrae mentis et iudicii imbecillitate, vel in aliena auctoritate doctrinae humanae. Et licet animaduertere, quum in ſenſus quamuis graues, ab hominibus eruditiſſimis propoſitos, incidimus, in iis magis eſſe aliquam delectationem, liberalem illam quidem, ſed celeriter tranſeuntem, quam vim ad animum ita mouendum, vt firma et conſtans animi adfectio oriatur. Et illud auctoritatis diuinae pondus auget vis ſpiritus diuini, admouens etiam fortius animis ſenſus illos, ad imprimendos motus ſalutares, ſi ei ſe praebeant erudiendos atque formandos.

21. Sed quum, vnde ſumantur ſenſus, demonſtratum eſt, modum aſſumendi videamus. Sunt igitur primum ſenſus illi aſſumendi ad intelligentiam, deinde ad memoriam, denique ad animum. Et ad intelligentiam quidem aſſumuntur, quum ita cognoſcuntur, vt plane nobis ſit perſuaſum, veros et rectos eſſe: quod fit vel cognoſcendis rationibus et cauſſis, vt, quum e natura re-

rum

rum sumuntur, vel auctoritate verbi diuini praecipientis, commendantis, laudantis, denique exemplis Sanctorum, inprimisque Domini nostri Iesu Christi, demonstrantis; quae est disciplina recte sentiendi de rebus diuinis et humanis optima atque certissima. Sed in hoc difficultas obiicitur saepe non parua, tum ab temere susceptis antea prauis sensibus, quam sapientiam carnalem appellat scriptura sacra, tum ab exemplorum prauorum auctoritate, tum denique ab adfectionibus (παθήμασι) animi et cupiditatibus, adsueti vitiorum illecebris et suauitati rerum sensibilium; quarum rerum specie inani animus, nondum persanatus, fortius pulsatur, quam inuisibilium et diuinarum veritate. Itaque si quis se, vbi renuntiaverit per poenitentiam vitiis, tradidit in disciplinam Spiritus sancti per verbum, debet in his difficultatibus vincendis, sub illo nouo magistro, laborare, iis opinionibus, motibus ac sensibus, identidem opponendo auctoritatem diuinam, et dum per eam contra nititur, precibus aduocando auxilio diuino, per quod victor in illo certamine discedat. Facilius autem ad memoriam assumuntur sensus ab illa persuasione; sed oportet eos, praesertim in recenti re, crebro vsurpare, repetere cum suis momentis et ponderare, donec ita familiares fiant, vt facile sua sponte redeant in mentem, praesertim, vbi eorum vsus venerit in agendo, vel quum sollicitatur animus in contrariam partem, vel quum occasio tempusque venit secundum illos nouos et sanctos sensus faciendi. Neque enim ad casum et quasi fortunam res est referenda, aut ea velut arbitrio memoriae relinquenda; sed in potestate habenda est memoria, et illa tali exercitatione adsuefacienda, vt pareat necessitatibus nostris, praebendo in tempore atque bona fide, quae ei ad vsus futuros mandauimus atque credidimus. Tertium autem et maximum est in sensibus, quum ita assumti sunt et ad intelligentiam et ad memoriam, etiam ad animum suscipiendis. Id fit, quum eos adamare incipimus, iis delectari,

vbi eos vel in ſcripturis diuinis expreſſos reperimus praecipiendo, vel in exemplis Chriſti et Sanctorum, in piorum ſermonibus et actionibus: ſenſus viciſſim contrarios, carnales ſapientiae humanae, inprimis veteres noſtros, quoties eorum meminerimus, tum alienos, quum ſe vel per ſermones, vel per actiones exſerunt, odiſſe, cum indignatione et dolore audire et videre. Nam tum demum illi ſenſus vere noſtri facti ſunt, proprieque noſtri dicuntur: primum, quia iam nouam animo quaſi formam induunt, in qua eſt, qui *homo nouus* dicitur in ſcripturis; deinde, quia tum demum ſe efficaces praeſtant in agendo, vt libenter et cum ſuauitate quadam animi faciamus officium; in quo obedientiae veritas et libertas cernitur. Sed ad id efficiendum ac conſequendum eadem fere proſunt, quae ante ad perſuaſionis et memoriae ἀσφάλειαν praecepta ſunt. Primum hoc habet et animi noſtri natura vniuerſa beneficio diuino, tum ipſa cogitationis vis, vt paullatim exuant acerbitatem ſuam et moleſtiam, grataque fiant animo, quae ab eo aſſidue cogitando tractantur, praeſertim quum id fit ab inductione quadam animi, ſtatuentis ac decernentis agere, quod agit. Deinde res, praeſertim inuiſibiles et ſpirituales, bonitatem et pulchritudinem ſuam non ita in promtu et quaſi in propatulo expoſitam habent, vt vno velut ac primo mentis contuitu perſpicue cernatur et tota ſentiatur. Conſuetudo accedat oportet, et quaſi familiaritas, per quam paullatim ſeſe proferat conſpiciendam clarius, et multo magis, cum ſuauitate aliqua ſentiendam. Nec ea vnius naturae, vel noſtrae, vel rerum ipſarum vis eſt: immo ſpiritus diuini vel maxime, qui dum ea, quae de libris a ſe ortis, h. e. verbo Dei, ſumta ſunt, obuerſantur menti, per cogitationis piae diuturnitatem et frequentiam admouet efficacius animo, et ad perſuaſionis firmitatem, et ad perceptionis ſuauitatem. Haec conſentanea eſſe Dauidis et praeceptis et exemplo, *Pſ. I*, 2. et aliis locis pluribus, omnes vident.

22. Ita vniuerſe deſcripto aſſumendorum ſenſuum modo, quaedam admonenda videntur, quae in ea re prodeſſe poſſint. Ac primum, quoniam e verbo diuino maxime repetendi ſunt; quemadmodum eo vti ad id conſilium debeamus, planius dicendum putamus. Etenim etſi commune eſt omnium praeceptum de ſenſibus illis piis e verbo Dei ducendis; tamen ita vniuerſe propoſitum, vt fere in hac et aliis cauſſis faciunt, multum valere ad vſum non poteſt. Oportet igitur etiam ſcire, quomodo ad eam rem verbo diuino vti debeamus, vel legendo, vel meditando; idque in hac re praeceptum ad totum in vniuerſa vita Chriſtiana verbi diuini vſum valet. Neque enim vllo modo ſufficere in vlla re poteſt, verbi diuini lectionem et cogitationem ſimpliciter commendaſſe; idque fruſtra feceris, niſi, quid in ſcripturis et quomodo legendum et cogitandum ſit, demonſtres. Eſt enim duplex genus lectionis: primum, quod vniuerſum dicas; quum libros ſacros, vel vniuerſos, vel ſingulos, ex ordine legas, vel ad hiſtoriam cognoſcendam, vel ad ſcientiam religionis vniuerſae, ad fidem et pietatem comparandam, confirmandam, atque augendam; alterum eſt, quod ad certa tempora neceſſitatesque, et vſus temporis cuiusque, pertinet. Atque vt vniuerſum illud genus non excludimus, ſic alterum hoc proprie intelligimus, cum verbo diuino vti iubemus ad animum ſenſibus ſanctis imbuendum, eosdemque firmandos et roborandos. Oportet igitur non exſpectare, dum caſu inter legendum incidas in loca idonea; ſed vel ex inſtitutione ac demonſtratione aliena, vel per lectionem ſuam notata habere loca ſcripturarum ſacrarum, vbi tales ſenſus, vel per praecepta, vel per exempla, expreſſi et commendati ſunt auctoritate diuina, vt ſint in promtu; iisque tum vniuerſis ſaepe legendis et ponderandis diligenter animo imprimere tales ſenſus; tum, quum aliquem ſenſum imbecillem aut languidum eſſe animaduertimus, loca ad eum pertinentia menti legendo cogitandoue admouere aſſidue inter

inter preces; donec eum descendisse in animum, aut confirmatiorem factum animaduertimus. In quo proderit etiam scire, qui sensus maxime nobis sint necessarii propter genus vitae et fortunae, aut propter aliquam consuetudinem prauam vitae superioris, reliquiasque sensus alicuius carnalis, ad resistendum oblatis inde sollicitationibus ad peccandum, et ad promte faciendum officium. Illud etiam salubre fuerit institutum, cum aliquo sensu tali nos tactos atque motos animaduerterimus, inter vel legendum, vel audiendum, vel etiam cogitandum verbum Dei, eius non modo motus, sed etiam, per quod ille nobis impressus est, meminisse, eiusque cogitationem renouare idoneis temporibus, praesertim in tranquillitate solitudinis, noctis, in cubili. *Ps. IV*, 5. Sed nihil prope magis profuerit ad acuendum sensum quemcunque et firmandum, quo nobis inprimis opus est confirmato, quam in precibus priuatis meminisse illius necessitatis, et auxilium ad eam rem diuinum exposcere. Illa ipsa religiosa necessitatis nostrae cogitatio, et sanctum in ea auxilii desiderium, ad eam rem valebit plurimum.

23. Caeterum hoc totum opus disciplinae Christianae, quod est in modo assumendorum sensuum sanctorum, ita est a nobis explicatum, vt id suscipi atque fieri a Christiano homine debet ipso, ad veram sanctitatem adspirante. Sed assumi sensus illi etiam possunt per disciplinam alienam, parentum, praeceptorum, et Ecclesiae doctorum. Itaque etiam in hanc partem aliquid videtur dicendum. Profecto haec pars disciplinae in nulla aetate facilius et efficacius adhibetur, quam in tenera pueritia, cum animi nondum imbuti sunt iis opinionibus et cupiditatibus, quae sunt aduersae sensibus piis atque honestis, hominesque impediunt in iis recipiendis et adamandis; nec vlla alia re difficilior redditur, quam receptis in illa aetate et corroboratis per multos annos sensibus prauis et carnalibus. Tanto magis dolendum est, eam valere rationem in educandis pueris plerisque inter Christianos,

vt

vt prope nulla bonae disciplinae vestigia appareant et vere Christianae, opportunitatemque aetatis ad recipiendos sensus Christianos sine fructu perire. Non hoc et pudori esse debet Christianis, et dedecori est religioni sanctissimae, quod, quos, tempore quodam, sensus, verbi caussa de religione, iureiurando, legibus cet. per disciplinam parentum tenuerint tot homines vnius ciuitatis, vt Romanae, eos inter Christianos tam raros esse, per ignorantiam et negligentiam disciplinae verae! Sed querelas hic mittamus: disciplinae huius formam potius adumbremus.

24. Primum igitur, qui sensibus piis honestisque volet imbuere teneros animos, quoties de rebus humanis ac terrenis sermo inciderit, de diuitiis, honoribus, rebus suauibus ad sensus corporeos, ceterisque, in quibus est aut aliquis splendor, qui capere oculos possit, vt magnificentia vestium ceteraeque supellectilis, nec minus de malis humanis, de paupertate, humilitate, dolore, dicet de iis vel contemtim, vel cum aliqua ἀδιαφορίᾳ, quae appareat etiam e sono vocis vultuque ipso: non commendabit oratione aut vultu pueris sua dona vestium et similium rerum, nec ea coget pulchra ducere, vt sibi in iis placeant: non in praemii loco proponet officiis seruandis oblectamenta sensuum; quae ad solam necessitatem referre et vsurpare docebit. De rebus contra diuinis, de religione, et rebus ad eam pertinentibus omnibus, de virtute et officio, de recte factis, ita loquetur semper, vt reuerentia animi, et admiratio, et amor eorum sentiri possit. Tum et per tales, et per omnes alias occasiones, sensus illos, quales supra proposuimus, similesque, proponet pro captu aetatis, inculcabit, commendabit oratione graui pariter atque blanda. Inprimisque laborabit, vt acuantur animi ad sensum sapientiae, quae in istis sensibus inest, in praeceptis eorum et exemplis, commemoranda illorum amabili salubritate, laudanda horum pulchritudine, maxime quidem quum legent

gent ſcripturas diuinas, ſed etiam, ſi qui legent libros humanos, vt hiſtoricos, poëticos cet. in quibus proderit non parum, ſi magiſtri demonſtrent ſenſuum altitudinem, honeſtatem, pulchritudinem, nec modo quum a ſcriptoribus diſerte proponuntur, vt fit ſaepe; ſed etiam in exemplis virtutum et praeclare, h. e. cum contemtu rerum humanarum, vel admiratione et amore Dei, religionis, fidei, officii factorum.

25. Doctores autem Eccleſiae, quorum in aetate advlta maxime occupatur officium, ad hanc quidem rationem, i. e. quoad in hominibus ad pietatem et virtutem Chriſtianam adducendis laborant, maxime et inprimis hoc agent in concionando, vt iſtis ſenſibus omnibus imbuant animos audientium, eos commemorando, laudando, et per idonea argumenta commendando, nec modo quum proprie de aliquo eorum genere aut officio aliquo dicere inſtituent, ſed etiam per omnes alias occaſiones; quum de capitibus fidei dicent, de Euangelio, de factis Chriſti et Sanctorum, quae in ſcripturis traduntur; vbi etiam facient efficacius. Itaque qui volet hac diſciplinae parte tam neceſſaria eo modo vti, hanc ſibi propriam conſtituat partem diſcendarum et ſcrutandarum ſcripturarum, vt illos ſenſus in ſcripturis, vel per praecepta, vel per exempla propoſitos, notet, ad certa capita redigat, eaque penitus percurſa habeat, vt parata ſit materiae copia, vnde ſumere, quando et quantum opus ſit, poſſit, et vero etiam in primis, vt ipſe iſtis ſenſibus plenus et refertus ſit, et ad memoriam, et ad animum. Ita facilius, atque etiam cum eo animi motu, eo vocis ſono, eo vultu dicet, vt omnia, non tam a memoria ſuppeditata, quam ab ipſo pectore nata videantur; quod hic maxime diſertos facit. Nec vero ita, quum ſe ad diſcendum inſtituet, indigebit magnopere aliorum ſcriptorum, ſapientiaeque et ingenii humani auxilio. Etenim pleni ſunt libri ſacri his ſenſibus omnibus, pleni inprimis Dauidici hymni, Salomonis ſententiarum et concionum

ctionum libri, Prophetarum porro oracula, Sermones Christi, et Epistolae Apostolicae, e quibus, si quis omnia congerere instituat, vix finem reperiat. Sed haec de parte disciplinae Christianae, quae ad sensus pertinet, dicta sunto: ad partem alteram, quae est de institutis, progrediamur, in qua nobis licebit esse breuioribus.

SECTIO III.

De Institutis Disciplinae Christianae.

26. Institutorum, tum omnium, tum disciplinae Christianae, quae natura et vis sit, supra demonstratum est. Sed ex iis arbitramur intelligi, primum, nulla instituta disciplinae esse probanda, quae praeter actionem, inprimis corporis, ipsam, nihil habeant, quod ad finem eum prodesse possit, cuius caussa inuenta sint, et propter quem vsurpentur; sed in iis esse inanem opinionem, quae sit vera superstitio. Etenim in hoc superstitio proprie cernitur, quum alicui rei tribuimus aliquam vim, praesertim in religione, et ad Deum colendum, eumque nobis placandum, quae vim eam nec per naturam suam habeat, nec vlla alia de caussa habere possit. Alterum intelligi debet hoc, quod ea, etiam quum bene et apte excogitata sint, vt possint eum vsum habere, qui iis debet esse propositus, tamen non sint in propria religionis, cultus diuini, pietatis, aut virtutis parte, nec per se laudari et vsurpari debeant. Denique instituta optima, si mechanice peragantur, sintque in solo corporis motu et actu, non comparate ad finem fiant, nihili esse ducenda, non in parte verae disciplinae ponenda sed in superstitionem conuerti. Nec id modo de institutis humanis valet, sed etiam suo modo de diuinis ipsis. Nam ita ex aequo omnia habent meram σωμασκίαν, vel vt Paullus ait, γυμνασίαν σωματικὴν, quae disciplinae verae vim ac nomen habere non potest. Itaque videmus, Deum ne-

gare, se instituisse, praecepisse, exegisse a Iudaeis, quae profecto instituerat atque praeceperat, cultus cerimoniarum et sacrificiorum, nec eorum institutorum vsurpationem probare. Sed Iudaei ea vel propter se praecepta esse, et Deo placere putabant, vel ita peragebant, vt corporis omnia essent, nulla vis ad animum talis, qualis in iis fuerat ab eo spectata *Ps. XL*, 7. *L*, 8. *LI*, 18. *Ies. I*, 11. *Ierem. VII*, 28. Hic est locus, qui *de traditionibus* dicitur a nostris, vt in Confessione Augustana eiusque Apologia Artic. XV. in quo loco de iis in partem eam, de qua iam diximus, luculenter disseritur. Nam verbum *traditionum* est e Graeco *παραδόσεων*, ita interpretante versione vetere latina Noui Testamenti, ad intelligentiam vulgarem non bene in Theologiam traductum: suntque *traditiones*, quae proprie *Instituta* latine dicuntur, quoad quidem ad actiones religionis pertinent.

27. Institutorum autem dignitatem vniuersam demonstrat et vindicat auctoritas diuina, quae iis magno numero vsa est in disciplina genti Israëliticae constituta. Nam leges de cerimoniis et ritibus ei genti datae sunt propterea, vt per ea tum, praeter fidem in futurum Messiam et poenitentiam, etiam pietatis vniuersae exercendae vel alendae daretur occasio, et obedientiae aduersus Deum; habentque adeo institutorum disciplinalium characteres, vt demonstratum est in Disputatione tertia de *Arbitrio diuino in Religione constituenda* §. 97 *sqq*. Fuere igitur in his instituta diuina Veteris Testamenti. Sed eam disciplinae partem quum tollere et res iuberet, et sapientiae diuinae placeret, sustulit Iesus Christus, nouae, non doctrinae et religionis, sed disciplinae auctor. Eius habemus instituta tantum duo, Baptismum et Coenam sacram. Quamquam enim in iis est etiam aliquid amplius; tamen institutorum disciplinae Christianae rationem et nomen non amittunt. Nam neque in illo quod agitur, neque in hac quod fit, sua tantum caussa fit: esset enim

in

in illo lotio corporis ad purgandas fordes, quam fpectari Petrus Ep. I, 3, 21. negat; in hac famis fitisque fedatio, quae profecto in ea non quaeritur. Spectari autem etiam hoc, vt fenfus pii, grati, et fancti, obediendi Deo voluntas, puritatis omnis et officii ftudium, et beneuolentia in ceteros homines acuatur, excitetur, corroboretur, clare demonftrat Apoftolus Paullus, *Rom. VI*, 3. 1 *Corinth. X*, 17. *XI*, 24-26. Haec igitur inftituta in difciplinae Chriftianae parte hac, de qua nunc dicimus, principatum dignitate et vfu tenent, inprimisque alterum, quod eft in Coena facra; quod eo crebrius vti licet, nec modo edendo ac bibendo, fed etiam fpectando. Vnde fit, vt ea faepe vti oporteat Chriftianum, etiam ei adeffe, quum ab aliis vfurpetur, vt tamen in partem precum et laudum veniat et exercendae fidei, nec deferere eius celebritatem, quafi in ea multo minus fit, quam in concione. Et poffet etiam Baptifmi hic vfus effe, nifi e conuentibus facrorum cauffa habendis femotus effet plerisque in locis, contra praxin Ecclefiae antiquae, quae omnino in his Domini noftri Iefu Chrifti inftitutis, tam fanctis et falutaribus, reuerentior fuiffe ac religiofior videtur.

28. Sed exorta funt deinde alia inftituta, vel publica, vel priuata, partim ab Apoftolorum, partim aliorum poftea doctorum auctoritate; in his quaedam etiam ad pietatis et fanctitatis rationem proprie pertinentia, vt ieiunia cum precibus, vigiliae, certa precandi tempora, in folitudinem receffiones, et alia; quae, quoad inftitutorum locum modumque tenuere, et e confilio eorum funt vfurpata, a quibus erant inuenta, in vtili parte difciplinae fuere: pofteaquam per fe in parte religionis et cultus diuini numerari coepere, et nihil praeter actionem corporis habuere, in fuperftitionem inanem degeneravere: de quo ante diximus. Et eft hoc magnum in hoc genere incommodum, quod ingenium humanum nimis in talibus inftitutis procliue eft in hanc partem, praefer-

tim, si in iis sit aliqua species a feneritate, tristitia, labore et molestia actionis; vtque malit eorum molestiam et laborem subire, quam internae pietatis et sanctitatis opus suscipere ac facere. Nam in illis corporis vnius partes sunt, quod facilius in potestate habemus, et id molestiis tolerandis paullatim adsuefacimus; in hoc animus coërcendus, et cupiditatibus vis facienda est, quarum suauitati adsuetus est animus: quo nihil aegrius homines perpetiuntur. Itaque existimamus, cautiora esse instituta ea, quae non habeant talem speciem, per quam fallere, etiam non malos, possint, et tamen inseruiant disciplinae vsibus et consiliis.

29. Sed eorum institutorum, quae huc pertineant, consilium fere duplex est; primum, vt habeant aliquam vim admonendi in rebus iis, quarum crebro meminisse prosit, aut necesse sit; vt sensus alicuius pii, praecepti, officii cet. secundum, vt in iis insit aliqua praeparatio ad actiones magnas, et opera grauia pietatis et officii, inprimis per quandam assuefactionem ad actiones, similitudinem aliquam cum illis habentes: tertium, vt ab iis quaedam nascatur commendatio rerum honestarum et sanctarum. Facile autem intelligitur, instituta omnia, quae talem aliquam vim habeant, esse vtilia studioso pietatis et sanctitatis, si ad eiusmodi consilia in vsu ipso et actu referantur. Et de primo quidem genere res est in promtu, etiam per praecepta diuina, iubentia meminisse earum, quas diximus, rerum, eamque ob caussam etiam commendantia admonitiones ab institutis idoneis, qualia Deus nominatim commendauit Israëlitis, vt *Deuter. VI*, 7. 8. 9. *Et haec praecepta in mente recondito, de iisque sermocinator, quum domi sedebis, aut per viam incedes, aut in lecto recubueris, aut de eodem surrexeris: tum vero ea deligabis manibus tuis, admonendi caussa, et in fronte, scribesque et in foribus et in portis aedium.* Etenim facile nobis obliuio venit rerum sanctissimarum, consilii etiam nostri

et

et voluntatis, praesertim inter humanarum cogitationum et curarum negotiorumque multitudinem, vt opprimamur a cupiditate aliqua, et peccemus etiam contra propositum. Et in hac naturae nostrae vitiositate, per quam officia maxima accipiunt aliquam, saepe permagnam, amaritudinem atque tristitiam, quomodo non prosit, quod eam aliquo modo minuere, aut eius opinionem ac sensum obscurare possit: suntque ad id inuenta instituta, simillima medicorum artificiis, per quae medicamentorum saporem tetrum mitigant, et tolerabiliorem reddunt, vel speciem addunt ipsis, habentem aliquid commendationis ad minuendum sumendi fastidium:

— pueris absinthia tetra medentes
Quum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoque liquore,
Vt puerorum aetas improuida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Absinthi laticem —

LVCRET. I, 935 seqq.

30. Sed omnium maxime vtilia, atque etiam necessaria sunt instituta illius generis, in quo praeparatio aliqua ad actiones graues et adsuefactio quaeritur. Nam si *Cicero* etiam in humanorum officiorum actionibus grauibus diligentem praeparationem necessariam et vtilem esse iudicat, *Offic. I*, 21. et praeparationem ad futura mala, ad dolores ferendos, multum posse ad minuendum dolorem, *Tuscul. III*, 14. profecto etiam hanc vel necessitatem vel vtilitatem habebit in longe grauissimis et sanctissimis religionis et pietatis officiis, et perferendis rebus aduersis, ne, sicut recentes milites in proelium deducti, ne adspectum quidem laboris, difficultatis et molestiae ferre possimus, fugaque capienda desertores officii fiamus. Philosophi quidem ii, quorum in scholis homines non modo doctos, sed etiam constantes, patientes,

temperantes, fortes factos tradunt, vt inprimis Stoici, tum legumlatores clarissimi, qui ciues legibus obedientes, fortes, bellicosos, efficere vellent, talibus institutis sunt vsi. Nam et illorum clarissimi, vel ipsi talia scholae suae instituta commemorant, vel instituta quaedam tum communia scholae, tum propria vsurpasse traduntur: Lycurgi autem, vt hoc vtamur, tota propemodum illa tam celebrata legislatio in talibus institutis fuit, praeparationem ad actiones graues habentibus: quorum quanta vtilitas fuerit, veteres consensu tradunt. cf. *Polybii VI*, 46. Non ergo dubitari potest, talia instituta etiam nobis vtilia esse ac propemodum necessaria, si modo apte excogitata sint, et abusus caueatur, de quibus supra diximus, nec denique in officio tali faciendo, cuius caussa ea comparata fuere, res ad solam adsuefactionem, per instituti alicuius vsum contractam, reuocetur, sed proprie ad officii necessitatem e lege diuina, et ad illos pios et religiosos sensus, de quibus ante exposuimus; per quae illis actionibus veluti anima corpori accedit.

31. Sed quoniam non omnium est, talia instituta excogitare: nam nec in humanis rebus hoc multis datum est: oportet doctorem morum virtutisque Christianae curiosum esse eorum cognoscendorum ac colligendorum, quae vel in scriptis doctorum Veteris Ecclesiae, in quibus de virtutis Christianae studio praecipiunt, vt *Clementis*, *Basilii*, *Augustini*, aliorumque, aut de vita et institutis sanctorum hominum exponunt, vel etiam in similibus recentiorum Theologorum nostrorum, vt *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Gerhardi*, *Speneri*, aliorumque, commemorantur, vel etiam commendantur, et inde legere, quibus vel ipsi vtantur, vel quae aliis vsurpanda proponant.

SECTIO

SECTIO IV.

De Exercitationibus, earumque modo.

32. Quae exercitationes ſint diſciplinae Chriſtianae, earumque quanta ſit neceſſitas, ſupra diximus. Illud nobis videtur hoc loco planius demonſtrandum eſſe, quod exercitationem propriam ſedem habere diximus in officio ipſo, et in actionibus officii Chriſtiani. In quo non vtemur aliis, quam ipſarum ſcripturarum ſacrarum teſtimoniis. Enimuero planum eſt, etiam verbum exercendi, γυμνάζειν, ſic dici a Paullo Apoſtolo, iubente Chriſtianum γυμνάζειν πρὸς εὐσέβειαν, 1 *Timoth. IV,* 7. Nam quum exercitationes corporis, ſpeciem ſanctitatis inanem habentes, tollit; exercitationes animi ponit, in quibus vera ſit pietas et ſanctitas. Nam et *αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ Ebr. V,* 14. ſunt; quae in diſcernendo honeſto et turpi laborarunt, et aſſiduitate laborandi ipſam facultatem et habitum diſcernendi conſequuta ſunt. Denique γεγυμνασμένοι per diſciplinam diuinam ad patientiam *Ebr. IV,* 11. ſunt profecto, qui ſuppeditata Deo patientiae materia, patientiam conſeruarunt, et, ſe patientes vt praeberent, laborarunt. Nam ſicut magiſtri diſcipulis artis alicuius, vt eloquentiae, proponunt materiam, in qua exerceri poſſint, faciendo opere aliquo oratorio: ſic Deus Chriſtianis, vt in aliis generibus virtutis, ita in hoc, malis humanis immittendis ſuppeditat, in quo opus patientiae facere, et eam virtutem comparare ſibi poſſint: quod et *Simplicius* in *Epictetum* p. 91. agnoſcit. Τὰς δυνάμεις, inquit, quas Deus dedit hominibus ad vincenda ea, quae terrent, γυμνάζων ὁ Θεὸς ἄθλους πολλάκις προτίθησι ταῖς ψυχαῖς. Haec igitur talis exercitatio, in qua profecto eſt caput diſciplinae, ad quam etiam ceterae partes eius referuntur, qualis eſſe debeat, quomodo in ea verſari Chriſtianus, ſtudioſus verae virtutis Chriſtianae, demonſtrandum eſt vniuerſe, vt quisque, quid in quoque genere, vel ipſe

ipſe facere debeat, vel aliis praecipere, intelligere poſſit. Etenim, etſi virtutes et officia in magna ſunt varietate, tamen eandem regulam habent, ad quam efficiendi modus, adeoque exercitatio, dirigi debet.

33. Sed quia in omni exercitatione primum eſt in viribus ad efficiendum id idoneis, in quo volumus exerceri: ante omnia videndum eſt, vnde vires contingant ad exercitationem ſanctitatis Chriſtianae, et quomodo; ne conantem exercere opus eius deficiant nerui. In quo nobis ſumere licet hoc loco, quod in elementis fidei Chriſtianae docetur, eas vires eſſe a Deo ſpirituque diuino, et contingere iis, qui metu ac dolore e peccatis commoti, ſerio renuntiauerint vitiis, et promiſſis Dei per filium Ieſum Chriſtum nixi, condonationem culpae omnis et petierint, et ſibi contigiſſe confidant. Nam in his ſolis eſſe poteſt verus amor Dei, et vera voluntas obediendi praeceptis eius atque voluntati vniuerſae, quae poſt factis demonſtretur, adiuuante per verbum Dei Spiritu ſancto.

34. Enimuero, quum ea homini contigere, tum vero res omnis redit ad eius voluntatis earumque virium vſum per exercitationes, vt et corroborentur ipſae, fiantque ad agendum efficaciores, et vincere poſſint difficultates vndecunque ſe ingerentes. Neque enim vllo modo credi debet, in iſta noua animi adfectione ac voluntate viribusque omnia eſſe, et omne inde genus virtutum ſine labore naſci; quo nimis ſunt procliues homines: immo vero in iſtis modo materia eſt et velut ſemen virtutum, nondum opus virtutis ipſum, nondum fruges operum magnorum, a Chriſtiano in omnibus vitae partibus perficiendorum. Illa ipſa bona voluntas, quamuis vera, tamen magis voti vim habet, quam voluntatis, quae proprie dicatur: nam ea eſt in actu ipſo, tumque proprie volumus facere, cum facimus. Quodſi quis, inductus vulgatis fidei laudibus, ſecus exiſtimet, celeriter ad negligentiam et ignauiam venerit, per quam vires et

materia

materia tam bona paullatim ita consumantur, vt frustra datae esse videantur. 2 *Petr. I*, 3. 5. 9. 2 *Corinth. VI*, 1. 4. Ceterum in eo virium vsu ad faciendum opus vniversae bonae voluntatis, siue ad obsequendum ei fortiter, et singulis agendi temporibus, in eo, inquam, proprie cernitur exercitatio. Vnde fit, vt in hac exercitationis Christianae explicatione, demonstranda maxime sit ratio vsurpandarum virium nouarum.

35. Sed in ea re perspicue explicanda, et ad vsum eorum accommodate, quibus hanc disciplinae Christianae partem tradere volumus, quod est faciendum per omnes officii Christiani partes diligenter et assidue, non satis est, vniuersa quaedam praecepta dare, qualia solemus audire ac legere; v. c. eam exercitationem fieri debere constanter, assidue, adiuuandam etiam precibus: nam haec quis nesciat, ac non sibi ipse praecipere queat? Sed modus actionis distincte, et per partes suas, debet explicari, vt, quid in tali exercitatione proprie fieri debeat, et qua ratione fieri possit, intelligatur; quo denique cognito, quisque, non carens bona voluntate, possit dirigere cogitationem et conuertere animi impetum, quo debet, aut auertere, vnde debet, vt actio suscipi, et ad finem perduci possit: quam nos rationem vtcumque adumbrare tentabimus.

36. Atque vt primum de ratione vniuersa aliquid dicamus: hominem in eam mentem et voluntatem impulsum diuinitus per fidem, vt ad hanc exercitationem dare se, eamque suscipere serio velit, oportet circumspicere partes officii omnes, ac videre, in quibus delinquere consueuerit ante, vel in eam partem, vt in iis peragendis nihil Deo et Christiano dignum sequeretur, sed suae modo vtilitatis speciem et vanitatem, vel in hanc, vt iisdem similibusque de caussis officium negligeret, nec sustineret coërcere cupiditates suas ab officio violando. Nam in illo genere facilior res est; nec id indiget multo

ac difficili exercitationis labore: quod secus est in hoc, in quo multi, et longi saepe ac difficiles labores proponuntur: quippe in illo genere actionis, correctio modo consilii in suscipiendo et agendo inducenda est; in hoc vel actionis honestae ipsius suscipiendae facultas et consuetudo quaeritur, vel improbae cum illecebris suis repellendae.

37. Habet autem in his exercitatio quasdam praeparationes. Prima est in precibus ad exercitationis illius consilium dirigendis. Etenim quum in iis debeat esse necessitatum nostrarum, inprimis internarum et spiritualium, Deo commendandarum cogitatio; cuius magis debebit meminisse, qui exercere pietatis et virtutis opus velit, quam, quae ad hanc rationem pertinet, vt et vim recte agendi et successum a Deo petat; quo in genere frequens est Dauides in Psalmis. Ea res habebit in ipso vim duplicem: primam, ad bonam voluntatem confirmandam; alteram, ad animaduersionem excitandam et acuendam; in quibus rebus esse praeparationem admodum et necessariam et vtilem, nemo dubitet. Altera praeparatio et quaedam adeo quasi prolusio est, non exspectare, dum veniat necessitas officii, vel in agendo, quod rectum et honestum sit, vel non agendo, quod improbum sit, sed quaerere occasiones, vbi vel facias aliquid, in genere aliquo tali, de quo diximus, vel neges tibi. Etenim, ad quae agenda sic accedimus, in iis est destinatio animi praesens, et inductio, et alacritas maior; quae raro sine effectu operis est. Sed ita fiet initium recte agendi in facilioribus, per quod difficultas minuetur in grauioribus, hoc est, quum agendum erit officium, et obsequendum voluntati diuinae, vbi illecebrae peccandi, et difficultas obediendi erit e temporibus, locis, personisque, vbi etiam contra voluntatem agendum erit. Sic, opera, vt hoc vtamur, eloquentiae facere volentes non exspectant, dum dicendi tempus veniat, et tum demum sibi de dicendo cogitandum putant: nemo tam stultus

vnquam

vnquam fuit: et ea foret obmutescendi, non bene dicendi disciplina: sed ante sibi sumunt sponte, in quo commentando scribendoque experiantur vires, laborentque, vt dicendi consuetudinem aliquam paullatim capiant, aut partam facultatem qualemcunque firment atque augeant.

38. Sed vt et, quum venerit officii faciendi tempus et necessitas, facere possis officium, opus est inductione animi, nec modo illa vniuersa, quam bonam voluntatem diximus, pertinente ad omnia pariter officii genera, quam nec satis firmam esse, nec sufficere, supra diximus; sed proprie pertinente ad eam actionem, quae proposita et oblata est, siue in eam partem, vt faciendum sit, quod rectum est, siue in hanc, vt abstineamus nos ab eo, quod prauum est, quamquam allicimur et trahimur a reliquiis veteris vel cupiditatis, vel consuetudinis; quod fit in principiis nouae vitae nimis saepe, nec sine periculo. Eam inductionem animi, vt capere tempore quoque possimus, adhibenda est ante omnia cogitationis et animaduersionis diligentia, vt ne agamus quicquam ante, quam quid et quale sit, quod agatur, cogitauerimus, nec praecipitemus actionem per consuetudinis temeritatem; quod fit facile ac saepe, nisi illa animaduersio adhibeatur: vnde tam saepe poenitentiae repetendae necessitas oritur. Haec est illa animaduersio hominis Christiani, ad veram virtutem et obedientiam praeceptorum diuinorum adspirantis, qua se dicit vti Dauides, vir sanctissimus, vt *Ps. CXIX*, 59. *reputo*, inquit, *et considero vias meas*, *vt pedes conuertam ad praecepta tua.* Salomo autem in eo ponit sapientiae partem, *Prouerb. XIV*, 8. *Cauti hominis sapientia est*, *perpendere et considerare viam suam*, i. e. actiones suscipiendas quasque perpendere et diiudicare, antequam suscipiat. Ab hac autem animaduersione, et hoc iudicio actionis, vbi sollicitari nos quacunque caussa sentimus, vel ad praetermittendum, quod faciendum esse intelligimus, vel faciendum, quod contra sit; tum vero

vero omni modo laborandum eſt, vt animum colligamus, inducamus in contrariam partem, ſtatuamusque firmiter facere, quod faciendum eſt, omittere, quod prauum eſſe videmus ac ſentimus.

39. Atque vt difficilius eſt, homini, adhuc rudi et nondum exercitato ad hanc firmitatem et fortitudinem animi, talem inductionem capeſſere ac retinere: ita magis eius neceſſitatibus in ea re a Deo eſt prouiſum, ſuppeditatis multis, per quae induci animus, et inductio illa retineri poſſit, et ad agendum efficax fieri. Sed illa omnia ſunt in verbo Dei propoſita, vt inde promta ſuis temporibus ad agendum accommodentur. Ex eo genere ſunt ſenſus illi ad officium pertinentes, de quibus ſupra diximus, minarum atrocitas, promiſſorum amplitudo, praecipientis Dei auctoritas, praeceptorum ipſorum grauitas. Haec ergo reuocanda, non modo ad memoriam, ſed vt animo admoueantur acri et pertinaci quaſi contuitu mentis. In quo proderit, id, quod ſupra diximus, (22) in eoque eſt pars diſciplinae Chriſtianae non contemnenda; notatas habere ſententias ſcripturarum grauiores, ad quodque officii genus in vtramque partem pertinentes, inprimis, quarum grauitate nos aliquando ſenſimus tactos, easque habere in promtu, vt pro inſtrumentis et armis ad animum inducendum ac vincendum arripi et vſurpari poſſint. Ab *Homero* inducitur Vlyſſes *Odyſſ. υ.* in principio, quum vehementer incitaretur animo ad vlciſcendum celeriter iniurias et inſolentiam, *κραδίη δὲ ἔνδον ὑλάκτει ἀγαιομένου κακὰ ἔργα, cor intus latrabat aegre ferenti malefacta;* tandem pectus percutiens manu, et animum ſic alloquiens: *τέτλαθι δὴ, κραδίη, cohibe te, cor, et ſuſtine iſta;* commemoratis etiam tolerandi cauſſis, atque ita illum impetum comprimens, quamuis reluctante animo: *τῷ δὲ μάλ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε, τετληυῖα νωλεμέως· tum vero cor eius conquieuit firmiter ac tolerauit.* Veteres Philoſophi hoc exemplo libenter et crebro ſunt vſi, ad modum vincendi

vincendi animi et cohibendae cupiditatis illuſtrandum: et a nobis, quamquam in haud paullo melioris diſciplinae inſtitutione verſamur, non alienum ſit, id vel hac de cauſſa commemoraſſe, vt pudorem iniicere Chriſtianis poſſit, qui coërcere ſollicitationes tales animi et cupiditatum non ſuſtinent: vel ſtimulum addere, vt maiori cum ſpe et fiducia ſucceſſus rem tam neceſſariam aggrediantur, exiſtimantibus, nobis etiam facilius hoc eſſe debere in tanta copia adiumentorum, a Deo per filium et verbum ſuum nobis ſuppeditatorum. Igitur, vt ad rem propoſitam redeamus, in tali motu animi, nondum per exercitationes firmati aut officiis adſuefacti, et adhuc recentis ad hanc diſciplinam, oportebit illas verbi diuini ſententias, in memoriam reuocatas ponderatasque animo vel refugienti triſtitiam officii, ac tergiuerſanti ſubire onus obedientiae, vel ſollicitanti nos ad peccandum aliqua vetere cupiditate, opponere grauiter et conſtanter, nec vllo modo remittere, ſed tamdiu vrgere, donec cedat animus, et ſe ſubiiciat voluntati diuinae.

40. Atque hoc eſt imperare ſibi per illam inductionem animi, firmatam verbo Dei et adiutam, non ſua, ſed diuina auctoritate: per quam quum vincimus, non tam nos vincimus, quam Deus ipſe, ſuccurrens imbecillitati noſtrae. In quo prorſus neceſſaria pars eſt exercitationis huius. Neque enim eſt alia ratio aliquid efficiendi in illo ſanctitatis et virtutis tirocinio. Nec vero ignoramus, triſte eſſe et multae ſeueritatis opus, quod ſaepe gemitus exprimat tironi, et cum lacrimis fiat, nec ignorabit quisquam, qui huic diſciplinae ſe vere tradidit vnquam: ſed illam triſtitiam non defugere debet homo Chriſtianus, praeſertim praedictam et praeuiſam, nec dubitare, ſe, quoad erit *νήπιος ἐν Χριστῷ*, *tiro Chriſti et diſciplinae Chriſtianae*, tractare in ſanandis priſtinis vitiis, vt medici pueros, refugientes medicamenti amaritudinem; quos non dimittunt de manibus, donec, quamuis inter multas tergiuerſationes, oris vultusque contorſiones, etiam

iam lacrimas, ingesserint medicamentum. Et vero illa molestia magna et in praesens et in futurum commoda habet: in praesens, quod ille successus non aliter adficit animum eius, de cuius exercitatione loquimur, Christiani, quam si quis se magnum periculum euasisse sentit: in futurum, quod vel vna tali actione multum profligatum est, et ad demendam officio tristitiam pristinam, et ad obediendi facultatem. Sed eadem sunt agenda, quoties eadem res incidit, donec paullatim consuetudo in quoque genere contracta sit, vt etiam sine difficultatis et molestiae sensu pareamus, officiumque faciamus.

41. Sed haec de exercitatione Christiani ad comparandam facultatem recte agendi in singulis officii generibus, et ad capiendam paullatim consuetudinem officii seruandi, hoc est, virtutem, dicta sunt; in quibus putamus esse caput loci totius. Nam et exercitatio haec est princeps, et prima omnium suscipienda. Sunt vero etiam aliae exercitationes, homini Christiano et necessariae, et ad sanctitatis virtutisque negotium salubres; sed quae ad genus vniuersum pertineant, hoc est, ad conformationem animi totius, aptam ad vitae sanctitatem, exserentesque adeo vim suam etiam in singulis actionibus ac partibus officii. De his igitur, restat, vt dicamus. Huius loci sunt poenitentiae, fidei et pietatis exercitationes. Nec vero de iis scholas scribemus; non id foret talis disputationis: sed quaedam, si poterimus, admonebimus, quae ad ipsum earum vsum prodesse videantur.

42. Poenitentiae autem exercendae genera duo sunt: alterum est, quod pertinet ad vitam conuersi ad Deum hominis consequentem; alterum, quod ad antecedentem. Atque in illo quidem est crebra et diligens cogitatio, primum peccatorum singulorum, quae vel opprimunt nos, ab animaduersionis remissione, praesertim in vita negotiosa, aut ab consuetudinis prauae ac diuturnae pertinacia, et reliquiis, vel ab imbecillitate nondum satis

tis confirmatae et exercitatae voluntatis bonae nascuntur; deinde vero vitiositatis totius internae, tum illius, quae contracta est culpa nostra, tum eius, quae est in ipsa natura nostra. Oportet igitur in illis praesertim initiis vitae ad sanctitatem et virtutem conformandae, crebro recensere acta nostra, eaque ad normam legis diuinae exigere, nec in eo iudicio ac velut censu fauere sibi ac parcere, vel conniuendo, vel benigne interpretando, sed summam seueritatem adhibere. Nec ea res modo referenda est ad veniam petendam, sed etiam, et vel maxime ad bonam voluntatem et inductionem animi firmandam, et animaduertendi diligentiam in posterum excitandam: oportetque videre subinde, quid minus factum sit in eam partem, et vicissim, quid plus in partem meliorem, vt etiam fructu illius exercitationis et profectu laetemur, fiamusque ad eam, et omnino ad officii conseruandi curam, alacriores. Non est grata homini haec industriae exercitatio, tum quia omnis cogitationis seriae et diuturnioris labor est molestus, praesertim ei non adsuetis, qui sunt plerique: tum quod ea saepe cogit hominem sibi displicere. Sed illius tristitiae magnitudinem longe vincit necessitatis et vtilitatis magnitudo. Nam sine ea nullo modo emendari vitiosa possunt, et oritur paullatim securitas et ignauia in opere virtutis, in qua retro labuntur omnia, et res celeriter ad pristinam conditionem redit. Sed haud scio, an etiam plus valeat vitiositatis nostrae vniuersae cogitatio; quae etiam sua sponte ingeritur nobis et in oculos incurrit, in superiori illa exercitatione. Nam siue illam vitiositatem et corruptelam animi ac vitae perpendas et contueare, quae culpa vitae superioris contracta est; foeditatem eius magis intelligas ac doleas, et ad eam frangendam ac vincendam exciteris; siue eam consideres, quae in natura ipsa haeret, facitque, vt facilius male facias, quam recte, in recte agendo autem tanta difficultate impediare ac retardere, vt etiam saepe contra facias, ac proposueras animo, *Rom. VII*, 23. odium

odium peccati interdum augebitur, *ibid.* 13. et dolor incendetur, per quem vota fient pia et sancta, *ibid.* 24. in quibus gratum Deo est sacrificium.

43. Ad incendendum autem et peccati odium, et officii diligenter conseruandi studium, nihil arbitramur efficacius esse exercitatione poenitentiae eius, quae ad vitam pertinet ante conuersionem actam. Ea est in repetenda interdum et renouanda memoria, primum peccatorum, praesertim grauiorum, quae tum perpetrata sunt, totiusque illius seruitutis, per quam prauis cupiditatibus obnoxii fuimus, deinde sensuum illorum metus, terroris, dolorisque, quibus percitus animus ad misericordiam diuinam confugit, vt veniam peccatorum impetraret. Nam, ea memoria repetenda, repetetur etiam sensus peccatorum, non ille talis, qualis tum fuit, hoc est, qui sit terroris et metus, sed qui moerore quodam, mixto leni laetitia, suauiter adficiat animum, comparantem pericula illius temporis cum praesente securitate, indignitatem suam cum beneficii accepti magnitudine, denique etiam magis perspicientem foeditatem et magnitudinem peccatorum. Etenim in iudicii huius et velut aestimationis societatem venit amor Dei, incensus beneficii accepti in remissione peccatorum magnitudine. Sed in iniuriis et offensis iudicandis aestimandisque profecto acutius cernit amor beneficii memor, habetque plus seuerae indignationis, quam iustitia mixta metu et pudore; propter quem facile vel refugit seuerius iudicium, vel remittit aliquid ab seueritate. Cuius rei exempla profecto luculenta et sanctitatis verae studiosis vehementer commendanda habemus in scripturis, tum alia, vt Paulli, tum inprimis Dauidis, cuius Psalmi post poenitentiam, acceptamque remissionem peccatorum scripti, plus habent doloris et moeroris, quam in illo ipso poenitentiae actu fuerat 1 *Sam.* XII, 13. Sed hos tales sensus, ab tali exercitatione poenitentiae commotos, dubitari non potest, esse et ad frangendas prauarum consuetudinum

num vires, et ad excitandum ſtudium, acuendamque curam officiorum conſeruandorum, efficaciſſimos. Atque huius exercitationis vſurpandae etiam monitores habebimus multos, tum in rebus ſecundis, ſi in iis fruendis adſuefaciamus, vt debemus, animum meminiſſe indignitatis noſtrae, et vniuerſae, et ex priſtinis peccatis, tum maxime in aduerſis vitae caſibus, et calamitatibus malisque grauioribus; per quae materiam Deus etiam huic exercitationi ſuppeditat. Haec de poenitentiae exercitationibus. Sequitur, vti propoſitum eſt, vt de fide exercenda dicamus, ad hanc rationem noſtram accommodate.

44. Fidei autem exercitationem vniuerſam eſſe in parte exercendae virtutis Chriſtianae, vel ex eo intelligitur, quod virtus haec vniuerſa pendet e fide, in eiusque velut fundamentis nititur: vnde ſit, vt exercenda fide exerceatur virtus, confirmanda fide per exercitationes confirmetur virtus, ſaltem in hanc partem, vt eius ſtudium accipiat incitamentum nouum. Nec vero placet hic de vniuerſa illa fidei exercitatione, eiusque generibus ac modis, dicere: quamquam hic ſaepe nimis vaga eſt praeceptio, nec ſatis diſtincte definit modum eius, ad agendi facultatem, vt ad eam dirigere homines poſſint actiones animi: ſed nos hic, et ad praeſentis praeceptionis conſilium, hoc modo genus requirimus, quod eſt ſimile ei poenitentiae exercitationi, de qua ante diximus. Dicimus igitur, in parte neceſſaria, et, ſupra quam dici poteſt, vtili et efficaci exercendae virtutis Chriſtianae et obedientiae aduerſus praecepta diuina, eſſe crebram repetitionem illius ſenſus, qui nobis, in poenitentiae actu, in illo ſalutis deſiderio amplectentibus promiſſionem Euangelii, et cum fiducia petentibus veniam et ſperantibus, impreſſus eſt, mixtus dolore et gaudio, tranquillans animum et reficiens. Nec illa modo memoria vſurpanda eſt, ſed etiam eorum inſtauratio, a quorum praeſente cogitatione tum ille ſenſus obortus eſt: vnde ſen-

ſus idem exoriatur neceſſe eſt, ſi non ſemper eadem vi, at aliqua tamen. Huius autem talis exercitationis ad virtutem vis eſt ex eo, quod cum illo ſenſu neceſſario excitatur ſenſus amoris diuini, ſenſusque boni, quod eſt in Chriſti merito, cuius fiducia veniam et liberationem a periculo et petiimus et impetrauimus; quae ſunt ad libenter et conſtanter, hoc eſt, vere obediendum Deo, efficaciſſima. Auctor nobis ſit Paullus; cuius etiam carmen epinicium, vincentis ſcilicet per ſenſus amoris et gaudii, ex illis cogitationibus obortos, omnia virtutis et obedientiae impedimenta, nobis in tali exercitatione in animo atque in ore ſit. *Rom. VIII*, 35-39. Reſtat, vt de precibus ad inſtitutae diſputationis conſilium dicamus.

45. Eſt autem communis haec praeceptio omnibus, qui de vita hominis Chriſtiani conformanda tradunt, vt preces in neceſſariis eius negotii inſtrumentis ponant, ſed fere hac de cauſſa, vt auxilia diuina expetantur et impetrentur. Id longe abſumus, vt improbemus: probamus potius, et neceſſarium, vti eſt, ita ducimus: ſed hactenus non ineſt, quae proprie ſit exercitatio hominis Chriſtiani, proprieque ad negotium virtutis et officii, et conſuetudinem eius capiendam, dirigatur: eſtque cauendum diligenter, ne preces in hac re commendentur, per negligentiam ἀκριβείας in dicendo, vt ignauiae locus fiat, et omnia Deo relinquantur; qui in hac re nos adiuuare, non omnia ipſe, ſine labore noſtro, facere vult. Sunt enim omnino in partem hanc procliues homines, vt velint ſibi contingere bona ſine ſudore et ſanguine, vt ille ait, et virtutis habitum potius ſibi infundi, quam labore ſuo parari. Itaque etiam propenſi ſunt in hanc opinionem, et ad eam trahunt, quae de vi diuina Spiritus Sancti in ea re promiſſa ſunt. Totus quidem Fanaticiſmus hinc pendet, in quo eſt mera ignauiae talis, nec modo in agendo, ſed etiam in intelligendo, diſciplina, religionem omnem reuocans ad mechaniſmum, qualis eſt a natura

in

in bestiis, sine vlla disciplina vel cognoscendi, vel exercendi, facientibus opera, quorum caussa natae sunt. Atque etiam ipsam exercitationem precandi vniuersam plerique verbo tenus modo commemorant, nec eius modum et viam distincte explicant ad vsus eorum, qui velint facere, quod praeceptum est; copiosi sunt in praeceptis de vniuerso precandi modo, hoc est, argumento precum, habitu animi et similibus, quae etiam in puerili institutione traduntur, itemque in commendando precandi officio per necessitatis et vtilitatis vniuersae demonstrationem, similibusque, profecto non inutilibus, sed vulgo notis, nec orationem desiderantibus; parci autem ac prope muti in praxeos proprie modo tradendo, de quo monitum est in *Bibl. Theologicae Parte IX. pag.* 431. *Arndius* quidem ipse, in laudatissimo Christianismi veri opere, hanc partem non attigit, Lib. II. cap. 34. ne tum quidem, (Sect. V.) quum promisisset methodi demonstrationem, per quam quisque, etiam de populo, disceret precari suo modo: repente, statim in principio, a praecipiendi ratione relapsus ad precum commendationem. Sed eo vitio multis partibus illud opus laborat. Itaque hancce disputationem ita instituemus, vt primum modum huius exercitationis ad vsum vitae Christianae explicemus; deinde eius vim ad sanctitatem vniuersam et in exercendo officio breuiter demonstremus.

46. Sed est duplex vsitatum genus precandi, alterum quod alienis aut ratis formulis vtitur, alterum quod vere suum cuiusque dicere possis; quippe non, quae sibi alius praeiuit, siue intellecta siue non intellecta, repetit, sed de sensu et mente sua, quae ad Deum deferat, promit. Et in illo quidem genere per se non est exercitationis labor: sed fit tamen in solemnibus et communibus formulis, vitio humano, vt exercitatione in iis bene vsurpandis opus sit. Nam quum eae vel in prima infantia coeptae sunt vsurpari, quum vis verborum percipi non posset, aut, per assiduitatem vsurpandi, etiam sine cogitatione

 recitari

recitari possunt, fit facile ac saepe, vt celeriter ac sine sensu profundantur. Nec id accidit modo iis, qui nulla religione ac reuerentia Dei tanguntur, et ad precandum consuetudinis modo caussa veniunt, sed etiam his, qui cum bona voluntate. Saepe enim, etiam quum se ita comparant, vt cogitate omnia, et sensu verborum omnium contuendo, velint vel ipsi pronunciare, vel sequi pronunciantis verba, aberrat lubrica cogitatio inter pronunciandum vel audiendum, et ad finem quum venere, demum et ipsa redit, cum dolore amissae facultatis precandi. Vnde oritur magna difficultas bene precandi, tum in his, qui solis formulis talibus vtuntur, tum in ceteris, per precum communium necessitatem, quae non sine exercitatione accurata frangi ac tolli potest. Nec is est paruus labor, si quis expertus sit, aut experiri velit: sed est tamen minor in priuatis precibus, in quibus etiam initium fieri debet. Habet autem partes duas, quarum prima est in excutienda intelligentia nostra, vt videamus, an in promtu sit verborum omnium vis et potestas; idque inprimis necessarium est tum, quum formulae, quibus adsueuimus, multum figurati sermonis habent; in quo facillime ac saepissime decipitur simplicitas et stupor hominum; altera est, vt excitemus animaduersionem, et redigamus in ordinem cogitationem, vt in eo, quod propositum est, manere cogatur. Eam veluti vim ei adhibebimus, si, quoties elapsa est nobis, ad initium redeamus, donec fatigata reuocando, consistat, vbi debet. Sed ea disciplina locum non habet in precibus communibus; itaque tanto maior diligentia erit in iis adhibenda, vt praesentem animum habeamus. Atque nouimus, qui expertus illud incommodum, ad mensam, v. g. cum precum formulae vsitatae recitarentur, ipse secum tacita cogitatione preces faceret suo modo, nulla forma certa verborum vtens, ne praetermittendarum temere precum, h. e. non precandi periculum adiret.

47. Ta-

47. Tale periculum non adeunt, qui de ſuo promunt preces cuiuslibet temporis, tantum cogitatione, verbis nullis pronunciandis, vtuntur: quod eſt exercendarum genus precum et optimum et facillimum. Etenim ſi quando vel caſu aliquo, ſine culpa noſtra, interrumpantur preces tales, vel elabatur non animaduertentibus cogitatio: tamen ſuperiora illa bene ſe habent, et reuocato animo, continuari precandi pietas poteſt, etiam, ſi ita neceſſe ſit, ad aliud tempus differri. Sed difficile eſt hominibus perſuadere, cuiusque hominis captui accommodatam eſſe hanc rationem, multique diſputant in contrarium, plerumque, vt opinamur, ignauiae ſuae defenſionem vt parent. Nam in iſtis ratis aut alienis formulis celerius defungi poſſunt, nec moleſtiam cogitandi, quae quidem iis videtur, ſubire neceſſe habent. Enimuero turpe eſt, non modo doctori, ſed homini Chriſtiano, exiſtimare, quod in veteri Teſtamento fecerint omnes, ac fecerint neceſſario, id, in haud paullo maiori luce Euangelii, homines facere non poſſe. Sed nihil ad illos refellendos efficacius, et ad hunc locum diſciplinae Chriſtianae, vſumque aliorum, aptius facere poſſumus, quam ſi modum exercendi animi pii ad bene precandi facultatem tradamus, ſecundum quae nemo ſine impudentia poſſit dicere, eam exercitationem virium ſuarum modum excedere.

48. In precibus autem ipſis inſunt duo, perſpicua e definitione Paulli, *Philip. IV,* 6. primum gratiarum actio et laudes diuinae, alterum, neceſſitatum, tum noſtrarum, tum alienarum, quas videlicet noſtras debemus ducere, commemoratio ad Deum delata: ἐν παντὶ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει μετὰ εὐχαριστίας τὰ αἰτήματα ὑμῶν γνωριζέσθω πρὸς τὸν Θεόν. Et poteſt pars vtraque coniungi, atque adeo debet, in precando, inprimis tum, quum breuitate vtemur neceſſario, temporis cauſſa, aut cum vnius alicuius neceſſitatis noſtrae ſenſu tacti, eam ad Deum deferre inſtituimus; quod fit interdum inter media negotia vitae et vocationis noſtrae. Sed in hoc

genere ineſt officium ipſum, non ea, quam proprie dicimus exercitationem precandi, vel pietatis per preces, de qua hic loquimur; in qua eſt pars diſciplinae ad pietatem et virtutem comparatae. In hac igitur exercitatione partiri operam, interdum ſolas laudes Dei et gratiarum actionem ſpectare et amplecti poſſumus, interdum neceſſitates noſtras, interdum vero etiam alienas: idque ſaepe fit neceſſario temporis cauſſa, quod nobis, propter opera vocationis noſtrae, in quibus et ipſis ſuo tempore et curioſe obeundis eſt pars Dei colendi, raro ſufficit ad totum illud veluti curriculum cogitationis pietate emetiendum. In quo nobis exemplo praeluxit Davides; cuius in Pſalmis ad hanc exercitationem pertinentibus, modo ſolae laudes operum diuinorum, beneficia Dei, priuata, publica populi Iſraëlitici, modo ſolae neceſſitates, vel ipſius priuatae, vel piorum, vel populi publicae, commemorantur. De huius igitur *exercitationis* modo videbimus, ad propoſitum ante conſilium.

49. Eſt autem omnibus generibus huius exercitationis, et conſuetudinis in ea conſequendae, commune hoc praeceptum, inprimis illud neceſſarium, diligenterque et inculcandum iis, quorum doctores eſſe volumus, et obſeruandum in ipſa exercitatione: ne errare et vagari cogitationem ſinamus incertis veluti finibus rerum, in quocunque precum genere commemorandarum, vt faciunt vulgo, non bene inſtituti vulgatis et vniuerſis precandi praeceptis. Nam primum ita res ad caſum et ad felicitatem memoriae reuocatur, quae quum non ſatis reſpondet, oritur facile illa vulgaris opinio et ſtulta, ſe de ſuo precari non poſſe: deinde in hoc velut errore cogitationis fluctuantis facile aberrat animus ab re inſtituta, et delabitur ad aliena per malam phantaſiae ſedulitatem; qua nihil eſt huic exercitationi inimicius. Eſt igitur animus ſic inſtituendus, vt intra certos fines cogitando procedat, conſtituto certo ordine rerum cogitandarum, quarum veluti veſtigiis perſequendis decurrat exercitationis

cuius-

cuiusque ſtadium. Ita ſciet, quo dirigere cogitationem, ad quod a quoque progredi debeat. Et non ignoramus, in eo eſſe aliquid difficultatis, praeſertim in iis, qui cogitationis vim non ſubegerunt per diſciplinam puerilis et iuuenilis aetatis, vel ſua, vel doctorum culpa, vt eam intra tales terminos rerum continere, et recta via progredi poſſint: ſed ſi modo genera rerum definita, eorumque ordo deſtinatus, illaque ſecundum hunc aliquoties trita et percurſa ſint; omnem illam difficultatem, neque ea magna eſt, ſublatam ſentiemus.

50. Sunt autem in primo genere laudes diuinae vel ad vniuerſam eius maieſtatem et perfectionem pertinentes, quae ex operibus eius, tum ſenſibilibus et adſpectabilibus, tum inuiſibilibus ad ſalutem generis humani per Chriſtum, intelligitur, vel ad beneficia nobis priuatim tributa. Si quis igitur in illo genere exerceri velit, inſtituat animum ad repetenda ea, quae de quaque parte perfectionis diuinae, legendis libris, tum diuinis maxime, tum et humanis, vel per inſtitutionem doctorum, audiendisque eorum orationibus in templis, cognouit; quorum vtrumque videlicet non tantum ad oblectationem, aut leuem motum praeſentis temporis fieri debet, ſed vt recondantur animo, ad tales temporis futuri, inprimis precandi vſus. Sed id faciet certo ac deſcripto ordine, ex praecepto ante propoſito. (§. 49.) In qua re cauebit, ne acquieſcat in nominibus partium perfectionis diuinae, vt omnipotentiae, ſapientiae, bonitatis, iuſtitiae, cet. iisque recenſendis rem abſolui putet: in quo plerumque fit, vt nihil praeter ſonum verborum obuerſetur animo, praeſertim hominibus non eruditis, et de populo, qui non ita in poteſtate habent notiones rerum, vt eas per nominum admonitionem totas inſtaurare in animo (ſi tamen eas tenent omnino) et ita res ipſas intueri cogitando poſſint. Deus quidem perfectionis ſuae vim, non modo verbis ac nominibus generalibus demonſtrauit, ſed rebus, operibus, actionibus. Haec igitur cogitare ac

mente ſpectare, non verba de memoria promere et tacite pronuntiare, oportet. Caeterum facile agnoſcimus, hanc partem exercendarum precum habere aliquid difficultatis maioris apud indoctos: ſed eos adiuuare ad hanc exercitationem doctores verbi diuini et debent, et poſſunt, planis et perſpicuis, et ad retinendum accommodatis demonſtrationibus omnis perfectionis diuinae, per opera cuiusque partis, ſaepe proponendis, et ipſo actu ad eorum cogitationem ſenſumque adducendis. Et tum hi debent eſſe in hoc agendo diligentiores, et illi ad diſcendum promtiores; quod hoc genus eſt longe princeps omnium in precando: quippe ſolum Deum amplectitur, cum in ceteris noſtra magis ratio ducatur, quae etiam ſunt faciliora.

51. Ac cum illo coniunctiſſimum eſt hoc, quod ad benignitatis erga quemque diuinae opera pertinet; in quibus propriam ſedem habet gratiarum actio. Huius ergo gratiarum agendarum exercitationis vis omnis eſt in recognoſcendis bonis noſtris omnibus, maxime iis, quae vel tota Deum vnum habent auctorem, vel in quibus eius prouidentia et gubernatio rerum humanarum benigne et ſapienter intercesſit. In hoc autem genere non multum laboris proponitur, nihil difficultatis vincendum eſt: ſola adſuefactione aliqua opus eſt, facile illa comparanda, cogitationis per partes vitae noſtrae ex ordine velut circumducendae, initio facto ab ipſa natura noſtra, animi et corporis bonis, inde ad commoda e parentibus, patria in qua, tempore, quo nati ſumus, magiſtris puerilis aetatis cet. progrediendo; pericula ex inſcitia et imprudentia noſtra, e morbis aliisque caſibus, opportunitates vitae, vel oblatas nobis in variis generibus ſaepe mirabiliter, vel partas, adſpirante ſucceſſum laboribus Deo: ad haec igitur omnia memoriae diligentia ita obeundo, vt cogitatio ſubinde ad indignitatem noſtram reflectatur: tum ad lenitatem diuinam et patientiam in vitiis noſtris tolerandis, benignitatem in cauendo, ne res ad παίρεσιν,

ad

ad contumaciam peccandi perditam, veniret adque perniciem, ad misericordiam in conuertenda mente nostra ad meliora, per poenitentiam et fidem, et omnia inde orta bona. Haec via, si ita demonstretur hominibus, in quibus bona voluntas sit, vt in eam deducantur, comitemque habeant semel doctorem bonum, praesertim cui via illa ipsi trita sit, sua sponte deinde eam decurrent, et decurrent libenter, propter amoenitatem regionum peragrandarum. Et huius viae demonstrandae et vna emetiendae indicium fecit *Lutherus* doctoribus populi pueriliśque aetatis, si aduertere animum, et sequi indicium vellent. Nam in explicatione Symboli Apostolici, vt vocant, Deum creatorem coeli et terrae sic interpretatur, vt coelum et terram vno verbo attingat creaturarum, in homine haereat, enumeretque bona eius, et a natura, et a prouidentia; vt velut in rem praesentem deductus homo recognoscat bona sua, quibus, nihil tale meritus apud Deum, vtatur ac fruatur, eaque cogitatione sensum amoris et gratiae excitet. Nec vero metuendum, ne aut materia hic cuiquam desit, aut ne illa recensio bonorum suorum et recognitio molesta cuiquam sit: immo vero horas totas libenter in ea cogitatione consumemus, cum suaui sensu benignitatis et misericordiae diuinae. Quod si quis in vno beneficio diuino proprie velit exercere pietatem agendarum gratiarum, adhibeat scientiam beneficiorum diuinorum aestimandorum, ad magnitudinem cuiusque recte et perspicue intelligendam. Nam ea vt magis intellecta erit, ita sensus gratiae erit et maior et salubrior.

52. Non dissimilis ratio est exercitandarum precum, quae maxime proprie preces vocantur, hoc est, quae ad necessitates nostras aut alienas pertinent. Nam tota est in commemoratione tacita i. e. cogitatione necessitatum illarum: quae videlicet quum fit, hoc consilio, vt earum remedia quaeramus apud Deum, aut eo animo, vt auxilia a Deo speremus, vere preces facimus. Etiam ipse

ſenſus neceſſitatum in piis eſt precum inſtar. Et neceſſitatum quidem, ad corporis tutelam vitamque communem pertinentium, et ſcientia et cogitatio non difficilis eſt, modo non ei cogitationi nimis indulgeremus, augeremusque neceſſitates, aut fingeremus, quae nullae ſunt, dum vel obſequimur opinionibus, ſtudiis, moribus communibus, vel ab iis decipimur: quod eſt cauendum Chriſtiano in hac exercitatione precandi diligenter; cauebiturque ſatis, ſi iis ſenſibus erit imbutus de rebus expetendis, quos ſupra propoſuimus. Eſt autem in iis precandi exercitatio dirigenda maxime, primum ad imbecillitatis noſtrae et humilitatis cognitionem, deinde ad voluntatem earum perferendarum, quoad Deo videatur, per quam omnes eas neceſſitates, quae quidem nobis videntur, Deo permittimus. Sed cognitio atque adeo cogitatio neceſſitatum earum, quae ad animum pertinent, difficultatem non vnam habet; in qua vincenda maxime exercitatio precandi laborare debet. Nam et multiplex ea neceſſitas eſt, et non nimis iucunda homini ad cogitandum. Sed inprimis ad eam exercitationem ita praeparati accedere debemus, vt partes omnes vitae vere Chriſtianae, et bona omnia expetenda, vel ad animum, vel ad vitam, cognita habeamus. Tum vero cogitationem intendemus ad comparandum, quid ex iis nobis deſit omnino, aut in quo aliquid admixtum ſit vitii, vel ab imbecillitate, vel a negligentia noſtra. Conſiderandum eſt etiam, quid quoque tempore habeamus in manibus, quid agere inſtituamus, quid inſtet nobis vel ad agendum vel ad ferendum; vt inde, quid ad quodque nobis opus ſit, iudicare poſſimus. Quibus omnibus cogitandis ad expetendam opem diuinam compellemur: in eoque erit vera exercitatio precandi. Nec vero, quae cogitet quisque ad recte in hoc genere precandum, deeſſe poſſunt: ſi quis eam, quam oſtendimus viam ingredi ſubinde velit, vt aliquam eius conſuetudinem capere poſſit: praeſertim in genere poſteriori, in quo etiam breuior via eſt.

Oportet

Oportet autem huius exercitationis doctores praeceptis per exempla lucem adfundere, hoc eſt, modum faciendi, quod praeceptum eſt, tradere, et in conatu faciendi ipſo homines adiuuare: in quo eſt caput rei. Ac res ipſa et ſucceſſus docebit homines, poſſe ſe facere, quod ſe poſſe negarant, vel ignauiae praeconibus crediderant, et gaudebunt ſucceſſu. Nam ſimpliciter praecipere, vt in ceteris, ſic maxime in hoc genere parum profuerit. Sunt autem, vt in omni alia re, ſic in hac tria videnda: quid, quare, et quomodo fieri debeat. Itaque ſi, vt hoc vtamur, volet efficere, vt quis poſſit de ſuo preces facere, vbi in templum venerit, iubebit eum cogitare primum, quid ibi facturus ſit? nempe laudare Deum, et preces facere communiter, et audire verbum Dei: deinde, quare communiter ea facere? videlicet iuſſu et promiſſo Chriſti impulſum: quomodo? cogitate ac bono animo: qua ſpe? nempe, vt gratum faciat Deo, et melior fiat. Haec ergo cogitet: et precabitur bona cum ſpe. Nec vero poſthaec difficile ei erit, etiam dicere ſecum in hanc ſententiam, ſi volet: Deus, pater benigniſſime, filii tui iuſſu et promiſſo huc venimus, vt te laudemus communiter, inuocemus, et verbum tuum audiamus: fac, vt ea recte et pie faciamus. Accipe benigne laudes, audi preces noſtras, et verbo tuo nos fideles et ſanctos redde per Ieſum Chriſtum. Sic, et per tales exercitationes in viam deductus, et productus aliquantum, diſcet precari, et in hac exercitatione pietatis bene verſari.

53. Iam, quod ad alienas neceſſitates pertinet, quae noſtris ſimiles aut pares ſunt, hoc eſt, priuatas: res nec propriam habet difficultatem, nec indiget praecepto proprio. Nam quae pro nobis petimus, ea et pro omnibus petere oportet. Et ſi qua cuiusquam propria neceſſitas exiſtit, pro ea quoque deprecari, laboris nihil habet. Sed publicae neceſſitates Eccleſiae Ciuitatisque partem ſibi permagnam vindicant precum noſtrarum. Itaque in hoc etiam genere exercendo laborare oportet. Sed eſt eius

ratio

ratio admodum ſimilis ſuperiori. Oportet bona et mala Eccleſiae, itemque Ciuitatum vniuerſe noſſe, quae in ſcripturis ſatis perſpicue expreſſa ſunt ad hunc vſum Chriſtianorum: tum videre, quibus bonis careant, quibus malis laborent, cuius boni amittendi periculum ſit, cuius mali imminentis metus, vt earum rerum cogitatione ac ſenſu commoti, remedia, auxilia pie expetere poſſimus, omninoque, vt Deus in vtraque republica inſtitutis et conſiliis bonis ſucceſſum annuat, mala ad nihilum redigat.

54. Atque ita deſcriptus eſt nobis exercitationis huius modus, quoad ea in rebus vel expetendis, vel deprecandis verſatur. Sed eſt et alterum genus exercendi, quod proprium eſt pietatis; per quam preces accipiunt vim Dei colendi. Id pertinet ad fiduciam in Deo, et ſpem conſequendorum, quae petimus, bonorum. Ea oritur, quum nobis eſt perſuaſum, Deum propter vim ſuam infinitam et ſapientiam poſſe, propter bonitatem autem velle facere, quidquid ad felicitatem noſtram pertinet, nec minus propter promiſſa, ad veracitatem et iuſtitiam conſeruandam. Vnde fit, vt exercitatio pietatis haec inſit in cogitandis cauſſis illis, propter quas confidere poſſumus, ratas fore preces noſtras. Sed oportet in omnibus generibus precum, non modo generatim, hoc eſt, nomine tenus, eas partes perfectionis diuinae cogitare: nec enim ea exercitatio proprie ſit: ſed etiam interdum proprie hanc materiam ſumere, in qua cogitatio noſtra verſetur accurate, praeſertim in maioribus neceſſitatibus, et quum animus magni alicuius vel boni deſiderio, vel mali timore ac ſenſu praeſenti tenetur. Itaque oportet ſigillatim repetere inprimis documenta amoris et bonitatis diuinae, vel natura, vel multo magis e ſcripturis et euangelio cognita, ea ponderare animo, et argumentationibus ad nos cauſſamque noſtram traducere: *Matth.* VI, 26-30. VII, 11. *Rom.* V, 8. 9. VIII, 31. 32. tum promiſſiones diuinas, earum magnitudinem et immotam certitudinem, omni alia maiorem. *Hebr.* VI, 18.

At

Ad quem vſum ea vel ipſa notata ac trita habere debemus, vt redeant in memoriam in tali tempore, vel quibus legendis reuocari in animum, et admoueri ſenſibus noſtris poſſint, ſcire. Nec minus vim et ſapientiam diuinam animo complecti debemus, non tam per ſubtilia philoſophantium argumenta, quae nec apta ſunt omnibus, nec ad ſenſus facile penetrant, quam reuocandis in mentem exemplis vtriusque, ad hanc rationem pertinentibus, quae multa et magna commemorantur in ſcripturis, atque etiam occurrunt in vita humana, ſi quis iis attenderit, et ea in mente repoſuerit.

55. Confidimus, quicunque haec legerint et pertractauerint, non dubitaturos, ſecundum ea quemque, primum ipſum, ſi modo cogitandi laborem non defugiat per ignauiam foedam, exercitationem hanc precandi ſuſcipere poſſe, atque in ea ita verſari, vt ei non opus ſit alienis formulis, niſi aut communes preces faciendae ſint, aut aliqua fortuita de cauſſa ita animus vel diſtractus ſit vel oppreſſus, vt ad tranquillam conſtantemque cogitationem colligi attollique non poſſit; deinde vero etiam alios precandi de ſuo, et exercendarum precum modum docere, atque huic exercitationi adſuefacere. Nec eſt alia ratio conſequendi χαρίσματος precum; in quo vix dici poteſt, quantum ſit Chriſtiani hominis ad omnes vitae huius partes praeſidium, quantum vitae totius bonum. Vehementer enim errant, qui id cuiquam per Spiritum ſanctum, ſine ipſius ſtudio, labore, et exercitatione aſſidua, contingere putent. Adiuuantur vtique a Spiritu ſancto pii in hoc chariſmate conſequendo; ſed inter exercendum eo, quo diximus, modo, dum animo tractant materiam ſanctam, e verbo diuino promtam. Nec tam pulchra res condonatur ignauiae, et infunditur ſocordiae hianti et oſcitanti; ſed eſt praemium laboris, reuerentia Dei et amore ſuſcepti, quod et κατὰ μέτρον πίςεως, et pro modo laboris datur: habetque et hic locum illud Paulli, ἕκαςος δὲ τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κα-

τὰ τὸν ἴδιον κόπον. 1 *Corinth.* III, 8. Quo loco non alienum erit, aliquem errorem vel eximere deceptis, vel prohibere ab iis, qui adhuc ſunt ab eo integri. Sunt enim, qui hoc *χάρισμα* in iis vel maxime, vel prope ſolis agnoſcant, quorum preces plenae ſunt verbis tropicis et figuratis, praeſertim durius aut hebraico more translatis, aliisque e ſermone Myſticorum: in quibus ſolent etiam eam, quam *Vnctionem* vocant, laudare. Quae eſt mera fraus hominum male inſtitutorum, et plus phantaſiae tribuentium, quam intelligentiae, ad quam ſunt referenda omnia: et tanto preces quaeque ſunt ad vſum, tum piorum omnium, tum inprimis populi, meliores, quanto verbis planiores ſunt, faciliusque intelliguntur; et tanto quisque etiam verius et magis e pio corde precatur, quanto ſimplicioribus verbis vtitur. Nam illa vnctio artem vel affectationem olet, quae non eſt hominis, deprimentis ſe coram Deo per ſenſum maieſtatis diuinae et neceſſitatum ſuarum; propiorque eſt hypocriſi, quam verae et integrae pietati. Reliquum eſt, vt, quanta in hac precandi exercitatione pars ſit diſciplinae Chriſtianae, quae pietate et obedientia aduerſus Deum, omnique virtute exercenda cernitur, demonſtremus: quod faciemus tamen breuiter, per capita modo rerum eundo. Incipiemus ab vltimo genere.

56. Id autem erat in exercenda fiducia in Deum. Enimuero omnis pietas in Deum in ea ineſt vna, idque intelligitur ex ipſo eius exercendae, vti a nobis deſcriptus eſt, modo: admiratio et reuerentia perfectionis diuinae, quae in vi eius infinita, ſapientia, veritate et iuſtitia cernitur, et amor benignitatis inexhauſtae paratiſſimaeque ad bene faciendum. Nec eſt alia cauſſa, quare tantae ei laudes in ſcripturis tribuantur, tanta praemia proponantur, tanta in ea ſit gratia apud Deum et precum noſtrarum commendatio. Ergo, quoties exercitatione hac per precandi occaſionem vtimur, totam pietatem exercemus, exercendaque excitamus et corroboramus:

et

et id fit etiam efficacius, quod neceſſitatis noſtrae, et deſideriorum noſtrorum ſenſus intendit animi vim ad cogitandum et ad amplectendum. Quodſi igitur vera pietas, inprimis verus amor Dei, eſt fons vnus verae obedientiae aduerſus praecepta diuina, et per hanc virtutis verae et Chriſtianae, de quo dubitari non poteſt: intelligitur, nullam eſſe meliorem et efficaciorem exercendae, et exercendo conſequendae virtutis, nullam nobiliorem diſciplinae Chriſtianae partem, quam quae in precandi exercitatione ineſt.

57. Omnino, quoniam et per ſe clarum eſt, et ſcripturae ſacrae praeceptis, ad obedientiae et officii conſeruationem tutiſſimum et efficaciſſimum eſſe, ſi quis Deum ſemper habeat ob oculos, i. e. perfectionem et maieſtatem eius; id autem fieri aliter, quam per cogitationis piae aſſiduitatem et conſtantiam, non poteſt: vel ſic intelligitur, aſſiduitatem exercendarum cogitate precum habere vim maximam ad homines a peccando arcendos, et ad officium leni efficacia compellendos. Nam in ea non obiter, vt inter alias vitae actiones, oculos in Deum coniicimus, vel eius leviter admonemur, ſed tota mente, animo, ſpe ſumus in ipſum conuerſi, ſemota omni rerum humanarum cogitatione, quae debilitare ſenſum perfectionis diuinae et obſcurare poſſit. Atque id maxime fit in parte precum ea, quae in laudibus et gratiarum actionibus verſatur: quae tota eſt alendae admirationis, reuerentiae, amoris et fiduciae, habetque adeo communem cum fiducia exercenda vim ad virtutem. Sed etiam aliis de cauſſis, precandi illa exercitatio virtuti Chriſtianae prodeſt.

58. Iam, quantum ad virtutis et officii ſtudium intendendum prodeſt, noſſe ſe, ſuas neceſſitates in rebus ſpiritualibus? Sed eius ſcientiae perpetua exercitatio eſt in precibus exercendis. Quanta porro virtus eſt in modeſtia animi, deprimentis ſe, tenuiter de ſe ſentientis, nihil ſibi, Deo omnia tribuentis? Ad eam animo induendam nihil aptius eſt precandi exercitatione tali, in qua eſt perpetua humilitatis, tenuitatis, imbecillitatis, indi-

gentiae

gentiae admonitio et ſenſus. Summa legis atque adeo officii eſt amor erga alios. Non poteſt pro aliis ſe apud Deum deprecatorem interponere, qui non amet: ſaltem, vt non admoneatur illius officii efficaciter, haud paullo vtique efficacius, quam per omnes laudes *amici hominum*, quae ſunt nunc in ore multorum. Verus amor curat res alienas, id eſt, neceſſitates et mala aliorum, vt iis pro facultate medeatur, itemque bona, vt iis gaudeat pro ſuis. Eſt ergo huius amoris exercitatio, alimentum et inſtrumentum in precandi exercitatione, quae illa mala et bona requirit, indagat, contuetur animo ac ſenſu intimo, et pro bonis gratias agit, malis remedia Deum poſcit, et hac ipſa de cauſſa omnis officii erga proximum, benignitatis et iuſtitiae adiumentum. Quodſi in omni officio ſponte, libenter, conſtanter faciendo, tum vero etiam in vincendis ad peccandum ſollicitationibus, prima eſt vera et certa voluntas et inductio animi, ſufficiens ad imperandum et parendum, §. 38. vix poteſt aliquid intelligi potius ad illam voluntatem firmandam et animum inducendum, vt officii faciendi neceſſitati ſanctae vere ſe conſtanterque ſubiiciat. Vix enim cogitari poteſt tam in eodem homine, eoque pio, diſcors voluntas et ſibi repugnans ipſa, vt eum non pudeat, aut vt ſuſtineat, contra facere, quam teſte Deo propoſuerat, implorato etiam eius auxilio ad faciendum. Sed ſunt huius generis alia, quae attento facile ſua ſponte occurrant.

59. Profecto neſciunt homines, quantum ſit in precandi exercitatione boni, ſi qui eam contemnunt aut negligunt. Quamquam, quomodo non plerique parui faciant, quum ea nunquam ſint vſi, adſueti ſolis formulis precandi alienis, in quibus vſurpandis nulla eſt precandi exercitatio, magisque alium audimus precantem, quam noſmet ipſi precamur, praeſertim ſi ne intelliguntur quidem ſatis, vt fit ſaepe. Quodſi homines adſuefierent verae precandi exercitationi, eiusque laborem non defugerent, longe aliter et iudicarent et facerent; nec alio

cogitan-

cogitandi genere libentius ac saepius vterentur. Si autem ad eam etiam a pueris, per parentum vel praeceptorum Ecclesiaeque doctorum institutionem et auxilia adducerentur; profecto credibile est, etiam numerum hominum sanctorum longe maiorem, quam nunc est, fore, et multas corruptelas vitae atque morum non tam faciles aditus ad animos iuuentutis habituras esse. Quo magis optandum est, vt et haec pars disciplinae Christianae cum ceteris cognoscatur rectius, et commendetur grauius, et vsurpetur crebrius.

60. Conclusionem habeat disputatio hanc, quae sit in commendatione cogitationis et meditationis vniuersae. Nam si, quicquid est non modo exercitationum, sed etiam omnino disciplinae, sicut a nobis explicata est, in vnum contulerimus, summam omnem esse reperiemus in cogitationis et meditationis diligentia et frequentia. Nec vero est vlla pars religionis, cuius vtique propria sedes est in animo, quae non hanc cogitandi et considerandi assiduitatem et contentionem requirat, beneque *S. Bernhardus* in principio operis *de Consideratione* (I, 7.) summam virtutis et religionis a consideratione pendere iudicat, *eique, qui non operam in vita det, eum vitam perdere.* Nec vero audiendi sunt, qui hanc mentis agitationem doctorum propriam faciunt, et ab eius societate excludunt ceteros; nisi vero beatitudo ea, quam Dauides meditantibus religionem tribuit *Ps. I*, 1. 2. in doctos modo cadit. Sed conturbati homines rerum similitudine confundunt, quae longe diuersa sunt. Etenim contemplationem rerum vniuersalium et abstractarum non cadere in popularem intelligentiam, id quidem facile conceditur; sed in istis exercitationibus cogitandi et meditandi, quae in partibus disciplinae Christianae proponuntur, suntque a nobis propositae, materia cogitatione complectenda, et consideratione tractanda, non est ex illo subtili et scholastico genere, sed sensibus vel externis vel internis subiecta: in quo genere nihil esse potest, quod captum popularis

intelligentiae ſuperet; quam videmus in rebus aliis, quae ſunt e genere ſimili, hoc eſt, coniunctionem cum ſenſibus vel internis vel externis habent, pertinentque ad bene viuendum, ſatis eſſe in cogitando et conſiderando ſolertem. Nec vero videri debemus plus tribuere huic actioni animi, quam res et ratio reliqua veritatis patiatur, et detrahere, quod Spiritus diuini eſt, vt addatur homini. Etenim primum, non eſt nobis ſermo de homine, Spiritus ſancti prorſus experte, cui haec diſciplina, quoad quidem exercendae virtutis modum habet, nondum conuenit: nec eam vim, quam e cogitatione ſuſpendimus, tam ipſius actioni naturali adſcribimus, quam ei rei, quam actione ſua comprehendit et tractat, hoc eſt, verbo Dei. Sed, ſicut medicamentum, niſi ſumatur, eo, quo iuſſit medicus, modo, ſanare morbum non poteſt, nec cibus nutrire corpus, niſi ſumtus et concoctus actione ventriculi; nec tamen actio ſumendi ipſa ſanat et nutrit, ſed medicamenti et cibi vis: ſic cogitandi actio eſt illa quidem neceſſaria, nec tamen ipſa ſibi ſanctificandi vim et laudem arrogat, ſed eam omnem verbo Dei, et per id mouenti animum et flectenti Spiritui ſancto relinquit: qui cum Deo Patre, et filio eius Ieſu Chriſto, laudetur et celebretur in omne tempus!

DIGNI-

DIGNITAS ET VERITAS
INCARNATIONIS
FILII DEI
ASSERTA

DIGNITAS ET VERITAS INCARNATIONIS FILII DEI ASSERTA

Cum *Filius Dei factus homo* ſit initium Euangelii, hoc eſt, ſalutis noſtrae, quod ille naturae humanae velut inſtrumento Deum Patrem generi humano placauit, vnde ſpes omnis ſalutis pendebat: Eccleſia Chriſtiana, praeſertim admonitu et exemplo naturarum coeleſtium incitata, omni modo exhilarare voluit animabus piis dies, quibus rei tantae memoriam proprie celebrandam adſignaſſet, adſumtis etiam inſtitutis externis, per quorum ſuauitatem ſtudiis noſtris commendarentur. Enim vero haec gaudia noſtra ſunt inania et irridenda, ſi audimus eos, qui totum hoc commentitium putant; quod nec fieri poſſit, vt natura diuina cum humana ad vnitatem perſonae coniungatur, nec illa humilitas humanitatis, tum vniuerſae, tum eius, quae Ieſu Chriſti fuit, digna ſit altitudine diuinitatis; quam deformari atque inquinari miſeriarum et aerumnarum humanarum vexationibus ac ſordibus. Quae tanto facilius adhaereſcunt in animis hominum, quanto maiorem habent ſpeciem ſapientiae, et ſuffragationem ſenſuum humanorum, quorum impetu magis in decernendo impelluntur homines, quam rationis recte et conſtanter iudicantis auctoritate ducuntur. Itaque non alienum putauimus, ab talis criminationis iniuria liberare rem ſanctiſſimam, et, quantum in nobis eſſet, cauere, ne talibus cogitationibus animi ita perturbarentur, vt liquido gaudere bono tanto non poſſent, deinde vero efficere, vt etiam admiratione ſapientiae et boni-

bonitatis diuinae, ſub illa ſpecie, ſenſibus humanis tam contemtibili, latentis, ſuauiter perfunderentur, in quo maxima et praecipua huius temporis religioſe et ſalubriter tranſigendi pars poſita debet exiſtimari.

Iam nos non ſumimus nobis hoc, vt demonſtrare ratione perſpicua et ſubtili ſuſcipiamus, quomodo diuinae naturae humana iungi ad perſonae vnitatem poſſit, quique ſit illius coniunctionis, e naturis duabus intelligentibus vnam perſonam efficientis modus: quis enim hoc ſibi ſumere audeat? quando nec huius noſtrae coniunctionis, quae animo cuiusque cum corpore ſuo intercedit, modum vel intelligere quisquam vel explicare ratione poteſt, quamquam ſenſibus noſtris quodammodo ſubiectae. Immo vero cum *Gregorio Nyſſeno* [1]) τὸ πῶς huius copulationis, ὡς μεῖζον, ἢ κατὰ λογισμῶν ἔφοδον, διερευνᾷν παραιτούμεθα· *modum eius, vt inacceſſum ratiocinationi humanae, ſcrutari non ſuſtinemus.* Sed illud tamen perſpici et declarari poſſe arbitramur, in illa coniunctione, quae claris, et nulla probabili ratione in alium ſenſum torquendis, literarum ſacrarum teſtimoniis nitatur, vt haec animi noſtri cum corpore, teſtificatione ſenſuum noſtrorum, nihil eſſe, quod naturae rerum diuinarum humanarumque repugnet.

Atque vt primum illam literarum ſacrarum teſtificationem attingamus, cuius profecto non modo non minor, ſed etiam maior, debet eſſe auctoritas, quam ipſius ſenſuum noſtrorum teſtimonii: quis poteſt cum aliqua veri ſpecie dubitare, eam, ſi omnia alia teſtimonia vel deſint, vel debilitari aut eludi grammaticis aut criticis rationibus poſſint, eam igitur clare ineſſe in vno Iohannis verbo, (I, 14.) quod λόγον σάρκα *factum* pronunciat. Nam illum λόγον eſſe aliquam ὑπόστασιν, naturam permanentem et perſonam, eamque diuinam, tum cetera ſuperioris orationis arguunt attributa, quae niſi in perſonam diuinam non cadunt, tum maxime eius cum υἱῷ τοῦ πα-

τρὸς

1) *Catechet.* c. 11.

πρὸς μονογενεῖ, *filio Patris vnigenito*, eodem in verſu permutatio: *et nos ſpectauimus illius* λόγου, qui homo factus eſſet, *maieſtatem*, *qualis eſſe debebat in filio Patris vnigenito:* quae appellatio *Filii*, vt non poteſt hic vllo modo eſſe muneris, ita nec diuinitatis vel attributum, vel motum ac nutum ſignificare. Sed cum ille λόγος, creator rerum omnium, *factus homo* dicitur: nam id eſſe σάρκα, *carnem*, dubitationem iuſtam nec habet, nec habere poteſt, agnoſcitque nuperus Euangelii Iohannei Interpres Berolinenſis, quamquam alienus ab Eccleſiae noſtrae de λόγῳ ſententia: id, quia nullam λόγου ipſius mutationem ſignificare poteſt, quod, quemadmodum *Cyrillus Alexandrinus* [2]) ait, cum de diuina natura τὸ ἐγένετο dicitur, ἀμαθὲς fuerit, καὶ ἀνόσιον κομιδῆ, τροπὴν οἴεσθαι σημαίνειν αὐτό· *et ſtultum*, *et valde profanum*, *mutationis in eo eſſe ſignificationem*, *putare;* quid poteſt aliud intelligi, quam coniunctio λόγου cum homine, vel humanae naturae ad diuinam adiunctio: nec coniunctio talis, qualem idem Interpres fingit, quae ſit ἐνεργείας et actionis modo diuinae in homine Ieſu, qualis fuit in Moſe et aliis Prophetis atque Apoſtolis: etenim his naſcendis, vel ad Propheticum munus per inſpirationem diuinam admouendis, quis λόγον, aut Deum hominem factum dicat? ſed quae Filii Dei et hominis vnam perſonam faciat, vt iam Filius Dei idem fiat et ſit filius hominis, humano corpore veſtitus. Haec igitur cum perſpicua ſint, et ſaluis verbis, faluaque legitima interpretatione, peruerti, ne impugnari quidem, poſſint, niſi ab iis, qui σοφίαν οἴονται, τὴν πρὸς φανερὰ μάχην, *ſapientiam putant*, *contra perſpicua pugnare*, vt bene ait *Eunomius* [3]), ipſe non raro huius ſapientiae, torquendis per metaphyſicas nugas Scripturis, adfectator: ad alterum et ad caput rei veniamus.

Dicimus, nec in *vniuerſa illa*, qnam Eccleſia noſtra defendit, *vtriusque naturae coniunctione*, (ἑνώσει) nec *in modo adſciſcendae humanitatis*, qualem et literae ſacrae et

 res

2) in Dialog. T. V. Opp. p. 718. 3) in Apologet. c. 8.

res ipsa claris indiciis ac necessariis intelligere iubent, quid intelligi posse, quod ab naturae vel diuinae vel l manae indole et ratione ita abhorreat, vt repugnan rerum vera oriatur.

Ac primum, sicut in coniunctione animi cum co pore intelligimus arctissimum mutuae praesentiae modu et gradum eum, propter quem adficere pars vtraque a teram possit, pro modo naturae suae, et animus corpı cum omnibus eius adfectionibus suum possit ac debe ducere: sic in illa Filii Dei cum homine copulation praesentia intercedit vtrumque talis, per quam ex vtro que vnum fiat subiectum, cum adfectione mutua tali qualem vtriusque natura patiatur, propter quam diuina natura omnia humanae sua ducere possit, et humana diuinae. Sed haec coniunctio, qualem descripsimus, nihil habebit repugnantiae aut absurdi, si talis praesentiae gradus ac modus non repugnet neque naturae diuinae, neque praesentiae diuinae vniuersae. Intelligi autem debet, hunc praesentiae gradum ac modum non sic accipi, vt natura diuina Filii Dei loco propior fiat humanae; quod non est, cum sit a nulla re vllo interuallo disiuncta: sed quod, cum ipse per communem essentiam diuinam omnibus rebus ita adsit, vt eas vi sua conseruet (*Hebr. I*, 3.) in humana natura, illa praesentia eius naturalis et necessaria accipit modum hunc, vt ea fiat ipsi instrumentum proprium, quale est corpus animi humani, in quo et cum quo agat omnia, quae per nullam aliam rem et in nulla alia agat; vnde proprio quodam modo sua illa natura dicatur, et sua omnia, quae ea agat ac patiatur, vicissimque sua sint humanae communia; magisque, si subtiliter loqui velimus, humana ipsi propior facta sit; vude Graeci πρόσληψιν et ἀνάληψιν vocant. Tentauit hoc discrimen et hos velut gradus praesentiae distinguere verbis *Gregorius Nyssenus* [4]) et cum vtramque praesentiam οὐσιώδη, *essentiae*, diceret, alteram illam communem personis omnibus

4) in *Catechetico* c. 25.

bus et necessariam κατ' ἔγκρασιν vocauit, hanc, quae est voluntaria et personae κατὰ κατάμιξιν, non bene, vt opinamur. Nam, vt mittamus incommoda metaphorarum, verbum vtrumque praesentiae veritatem et gradum summum bene exprimit, nec abhorret a consuetudine ceterorum Graecorum, quam et Latini sunt imitati; sed non habent notam propriam, per quam discrimen vtriusque generis constituatur et exprimatur. Nam et ipse [5]) de incarnatione Filii Dei dicit, συνεκράθη πρὸς τὸ ἀνθρώπινον, alibi [6]) etiam κατακίρνασθαι, et in eadem re vicissim ἐπιμιξίαν. Ceterum rem ipsam bene perspexit, vt alia, et acute distinxit.

Enimuero quid possumus in eo reperire, quod vel diuinae vel humanae repugnare dicamus naturae. Nam naturalis illa et necessaria diuinae naturae praesentia salua manet et immota, sed accipit extrinsecus accessionem quandam voluntariam naturae humanae, sicut anima humana, in conceptione, corporis: cuius possibilitatem quomodo absurdam putemus ac repudiemus, cum nitatur arbitrio diuino, cui quomodo negare possimus hanc facultatem, vt tale sibi instrumentum aut tale domicilium paret et assumat, in quo proprio quodam modo semper insit, semper operetur, quodque eam ob caussam proprio quodam modo suum ducat.

Sed offendit etiam homines in hac coniunctione illud, quod vna persona dicatur fieri, demta naturae humanae vi, iure ac nomine personae; quod ne intelligi quidem, aiunt, posse, non modo difficile esse ad intelligendum, quod Theologi quoque fateantur. Enimuero in ea re, vt nobis videtur, negligentia quaedam, vel in cognoscendo vel in docendo officit veritati. Nam illud quidem Veteres praeclare viderunt, si humana Christi natura locum personae obtineat, induci personas duas, et coniunctionis veritatem tolli, propter quam Filius Dei homo

 factus

5) in *Antirrhetico* p. 144. (in *Zaccagnii* Monum. Eccl.)
6) ibid. p. 267.

factus dicatur, relicta relatione (σχέσει) mera. Sed perturbari videmus homines verbo *subsistendi*, quod in eo solet Theologia latina vſurpare, habetque ambiguitatem, quae non eſt in Graeco. Intelligi igitur debet, cum natura Chriſti humana non per ſe ſubſiſtere dicitur, et eam ob cauſſam non eſſe perſona, ſed ſubſiſtere in perſona Filii Dei, id habere primum vim non phyſicam, ſed moralem, cum totum perſonae nomen in humanis e morali genere ſit, deinde ſignificationem hanc, vt diuina natura, ſiue Filius Dei, ſit ſubiecti ex vtriusque naturae copulatione orti pars ea, cui proprie et primario omnia attribuantur, quae in illud ſubiectum cadunt, propter ea, quod habet in ea perſona dominatum omnem et principatum, humanam autem ſibi tantum pro inſtrumento operis ſuſcepti adſciuit. Itaque ſiue ſe de coelo veniſſe dicat, aut omnia ſcire, aut his ſimilia, ſiue ſe moriturum, et eius generis alia, ſemper diuina natura, Filius Dei, loquitur proprie. Ille *Ego*, qui dicit, *meo arbitrio pono vitam et repeto*, eſt in vtroque Filius Dei proprie, et perſona diuina, nec excluditur in alterutra parte homo, ſed aſſumitur in communionem rei vtriusque; at aſſumitur tantum, pro modo cuiusque rei. In Neſtorianâ ratione, in qua homo Ieſus eſt perſona a Filio Dei diſtincta, eſt, vt ita dicamus, duplex *Ego*, alius, qui ſe dicat moriturum, alius, qui ſe Abrahamo priorem ferat; vnde multa abſurda conſequuntur: quod ſecus eſt per ea, quae diximus, in noſtra et Eccleſiae probata, quae humanam per ſe negat ſubſiſtere, i. e. perſonae locum et vim tenere, ſed cum perſona Filii, quod nunquam ipſa ſola de ſe dicat, ſed modo particeps ſit eorum, quae Filius Dei de ſe in illa conditione praedicet.

In quo rurſus non intelligimus, quid iuſtae offenſionis ea res habeat: quae, ſi illa coniunctio vera eſt, et ad eum, quem diximus, modum conſtituta, aliter eſſe non poteſt. Ac bene rem illuſtrauit antiquitas ſimilitudine hominis cuiusque. Nam et in hoc corpus non ſubſiſtere

per

per se, quoad illa coniunctio naturalis duret, sed in persona animi. Itaque fit, vt de se loquens homo, non modo in rebus animo propriis, aut cum corpore communibus, vt in iis, quae per corpus aguntur, aut acta et percepta sunt, sed etiam in ceteris, quae proprie sunt corporis vnius, omnia ad naturam intelligentem referantur, quae semper intelligitur primario, corpus tantum per participationem ex coniunctione, quae ei cum animo intercedit. Ac video consentire philosophos [7]), quod in sermonibus dicat *Ego*, quod est personae proprium verbum, referri proprie et primario ad incorpoream naturam, quae sibi, etiam quae corporis propria sunt natura, vt aegrotationes, vt ipsam mortem corporis, adscribat. Quae res si nihil habet absurdi in homine, immo aliter fieri nec debet nec potest, ipsa natura rerum eo nos ducente, vt consensus naturalis omnium linguarum docet: quare offendat nos in diuinis, et non potius recta et ita necessaria videatur, vt absurdum sit, aliter rem cogitare. Sed satis de his: ad minus subtilia et magis popularia veniamus.

Etenim negant, humanam naturam aptam esse diuinae, cuius maiestatem violari illius humilitate. Quinam ista dicunt? Nempe ii, qui alias, de humana natura cum loquuntur, eam prope ad diuinitatem vsque extollunt; qui in ea esse imaginem expressam diuinitatis dicunt, et speculum intelligentiae diuinae; qui, in mente humana sola esse dignum Deo templum praedicant, et his similia multa, non falso, in naturam humanam congerunt. Enimuero cum ad hunc, de quo agimus, locum ventum est, omnium illarum sententiarum magnarum repente obliti, omnia humilia loquuntur. Nos vero etsi non ignoramus, quanto interuallo perfectionis diremta sit humanitas ab diuinitate; tamen nihil indignitatis intelligere possumus in vtriusque coniunctione tali, qualem descripsimus. Magnitudinem bonitatis et indulgentiae diui-

7) v. *Hayer Spiritualité de l'ame cet.* T. II. p. 1 *sqq.*

diuinae intelligimus, diminutionem maieftatis nullam: nifi vero etiam nimis longe ex altitudine fe demifit, et dignitatis fuae parum memor fuit, vt ille apud Ciceronem (*Acad.* IV, 38.) exiftimabat, cum ad creandum, non homines modo, fed etiam formicas et minores ac fordidiores beftias defcendit. Quod fi nemo nunc audet dicere, qui Deum credit effe auctorem rerum omnium; non poteft intelligi, quare indignum eius maieftate credatur, fi fe proprio quodam et arctiori modo cum humana natura, in qua eft imago ipfius, coniungat ad efficiendum opus dignum maieftate fua, quod fine ea coniunctione effici non potuiffet; praefertim cum in ea nihil fit, nifi modus quidam praefentiae, quae et vniuerfa cum rebus omnibus communicatur, fine diminutione aut obfcuratione maieftatis diuinae. Nam fi diuina natura praefens effe poteft rebus omnibus, nec modo fcientia et actione, vt nonnullis placet, fed etiam fubftantia, nec ab earum vel humilitate deprimitur, vel fordibus polluitur: quomodo tale quid cogitari poteft in eo praefentiae modo, quem facimus naturae Filii Dei diuinae in humana? Nimis profecto angufte, et ad humanarum rerum modum, cogitant de diuinis, qui in hac coniunctione, ob talem cauffam, aliquid indignum Dei maieftate vident, immo videre fe putant; quod quale fit, dicere perfpicue, et remotis vanitatis humanae ludibriis, non queant. Quantum interfit inter naturam illam noftram intelligentem et liberam, immortalem, et corpus hoc, fiue, vt etiam deprimamus magis, hanc caruneulam, hoc mox pabulum vermiculorum, videmus. An ergo ille fublimis, et Deum cum coelo et terra complectens cogitatione fua et contuens animus, deprimitur, fecundum veteres nugatores quosdam, et polluitur indigne, cum huic corpufculo iungitur nafcendo, vt in ipfo, cum ipfo fentiat, intelligat, moueatur, agat? Etfi haud paullo longius interuallum effe interiectum fcimus inter Deum hominemque; fimilitudo tamen rerum demonftrat, ab illo interuallo, i. e. diuerfitate perfectionis,

nis,

nis, in tali re nihil esse, quod ad minuendam alterius dignitatem valere possit.

Etenim tum demum hoc dici posset, si per eam rem diuinae maiestatis, quae inest in eius potentia, benignitate, sapientia et reliqua perfectione, si, inquam, maiestatis huius vel possessio labefactaretur, vel vsus dignus Deo circumscriberetur, vel denique fructus, in quo est beatitudo diuina, imminueretur. Sed horum nihil nec ipsi excogitare vnquam, omni vi ingenii contendenda, potuimus, nec ab aliis demonstratum reperimus: tantum verba maiestatis diuinae et humilitatis humanae iactantur: fitque etiam hic, quod est in plerisque aliis opinionibus humanis, vt in solis verbis vim habeant, rei et veritatis, in magna specie verborum, inanissimae sint.

Quid quod etiam diuina natura, in illa Filii Dei coniunctione cum humana, si ita dicere fas est, lucrata est plurimum; quod ea re perfectio eius, et, vt sacrae literae appellant, gloria, manifestior hominibus, et amabilior, et ad sapientiam veram virtutemque inter homines amplificandam efficacior facta est. Nam si consilium rei tantae spectamus, quod totum pertinet, vt sacrae literae demonstrant, ad salutem generis humani; quid potest esse dignius Deo, quam illa tanta huius salutis cura, et, vt ita dicamus, tantus in ea re sumtus? An potest esse quicquam Deo indignum, quod pro salute naturarum intelligentium, salua sanctitate et iustitia, facit: et non potius illustratur eius dignitas supra modum, cum eius caussa facit rem longe maximam, qua maior cogitari non potest, quaeque hoc ipso offendit angustos animos, quod eius magnitudinem capere non possunt? Intelligitur enim tanto magis magnitudo benignitatis et amoris, quam virtutem in Deo longe maximam esse, quis non et scit, et libenter credit. Itaque Iesus Christus ipse cum omnibus Apostolis, quorum scripta tenemus, in hoc mysterio Filii Dei ἐν σαρκὶ φανερωθέντος, angelis hominibusque patefactam esse dicunt magnitudinem sapientiae bonitatis

bonitatis diuinae, quae non modo in ipso consilio diuino intelligatur, sed etiam in modo, quo ad effectum consilii peruenire decreuerit, hoc est, in filii sui cum humana natura coniunctione ad redemtionem generis humani. Rom. V, 8. Eph. II, 7. III, 10.

In ea autem re nihil esse, quod pugnet cum sanctitate et iustitia diuina, aut sapientia, non est difficile demonstrare. Nam sanctitas quidem accipere detrimenti nihil potest, cum coniunctio facta sit cum eo, qui esset ipse purus ab omni vitio, *Hebr.* VII, 26. et per hanc ipsam coniunctionem cum diuina Filii Dei natura ita eximeretur e peccantium numero, vt peccandi locus (possibilitas) non relinqueretur. Sapientia autem diuina non minus conseruatur in hac caussa, immo illustratur maxime. Nam si quis dicat id, quod solet esse in promtu his, qui libenter difficultates mouent in rebus diuinitus constitutis, longe ac nimis maiorem esse rem, quam pro consilio et fine, quem minori veluti impensa teneri potuisse: primum, qui sciunt, id aliter fieri potuisse? deinde, si sciant, atque ita sit, tamen nihil praeter vulgares quasdam de sapientia sententias, vt de via breuissima, queant dicere, quare sapientiae diuinae necesse fuerit minus facere, quam nos, auctoritate literarum sacrarum commoti, dicamus factum esse. Sed eam sapientiae legem non fert natura rerum, ad naturas intelligentes earumque felicitatem pertinentium, nec haec ipsa, in qua versamur, caussa. Etenim, quando finis est a bonitate constitutus, et bonitatis demonstrandae et illustrandae caussa, tum vero in delectu viarum, ad illum finem ducentium, quas demonstrat sapientia, fas est, arbitrium esse ipsius bonitatis: eam autem, in tali praesertim consilio, consentaneum est via ire ea, quae et ipsa maxime sit apta bonitati illustrandae. Quod consentit planissime cum iis, quae Iesus Christus ipse de hac re docuit, vt *Io.* III, 16. quo ex loco clarum est, magnitudinem benignitatis diuinae magis patefactam esse modo salutis humanae reparandae, quam ipsa salutis restituendae

tuendae voluntate. Nec refert vtique, vtra re magis patefiat, fine an caussis; si modo illustratur luculentissime, quod agebatur, et semper a Deo actum est. Neque vero vlla, vt ita dicamus, impensa nimis magna est, quae fiat gloriae diuinae caussa: et si homo non erat dignus, propter quem et propter cuius salutem res tanta, tam superans exspectationem et captum hominum, fieret, quod fatemur vltro, adde etiam, si lubet, necessitatem; at Deus ipse dignus erat, qui faceret, digna eius infinita bonitas, cui illustrandae res tanta condonaretur. Mittimus alia, quae sunt alio loco latius disputata, nec hic repetere necesse est.

Dicet aliquis, me non tam hoc offendit, quod diuina natura cum humana coniuncta est: at illud, quod cum homine infimae conditionis, in quo non modo nihil esset nec ab genere, nec ab honoribus, nec ab copiis, aliisque rebus, quod dignitatem haberet, aptam hospiti tanto, sed etiam aerumnae, contumeliae, mors ignominiosa et cruciatus plenissima: et vos ipsi ea commemoratis in partibus humilitatis vltimae. Haec est illa vetus offensio Iudaici stuporis, omninoque sensuum et vanitatis humanae, non verae sapientiae; quae hic nihil habet, quo offendatur, omnia, quae laudet ac probet, quae sibimet ipsi honesta et apta iudicet.

Nam quid, primum, habet humilitas sortis et conditionis, quod non conueniat dignitati incolentis humilem illum hominem Filii Dei? cum omnis humilitatis humanae nulla sit cum rebus diuinis coniunctio. Humillimi sunt serui: at hominibus humillimi sunt, non Deo: qui illa conditionis humanae discrimina necessitati societatis deuinciendae comparauit, non sibi. Nulla apud Deum ratio sortis humanae ducitur, nec eius diuersitas variat hominum dignitatem. Ergo ab illa humilitate nihil redundare ad diuinam naturam Filii Dei potest, quod ei sit dedecori.

Quid porro dici potest, propter quod opus fuerit Filio Dei, si nasci homo vellet, eiusmodi conditione, quae abundaret omni splendore generis, potestatis et fortunae reliquae? Humana quidem potentia, quam tantopere in Iesu deside-

desiderabant Iudaei, et quicunque pari imbecillitate tenentur, dignitatem omnem et splendorem habet a facultate securitatis externae tuendae, et iuuandae felicitatis ciuilis: cui cum non seruit, mortua est, vbi aduersatur, etiam inuisa. Quid ergo, hac tali potentia detracta, amisit, qui non securitatis et felicitatis externae caussa natus erat, sed internae, quae nullis potentiae et opum instrumentis neque paratur, neque conseruatur: Agebatur vera et aeterna salus hominum, quae a veritate, benignitate et sapientia diuina venit. Ea est vna et vera et digna Filio Dei potentia, hae dignae opes; quas, in ipsa illa humilitate fortis et tenuitate fortunae, abunde et habuit et demonstrauit. *Io.* I, 14. Ac non dubitamus, visibilem splendorem honorum, potentiae et copiarum fuisse obfuturum maiori maiestati ex internis et inadspectabilibus bonis, hominumque sensus ita excoecaturum, vt cernere non possent lumen maiorum bonorum, quod sola intelligentia percipit.

Profecto, quicunque veram sapientiam intelligunt et amant, agnoscent potius in eo verissimam, et amabilem, et dignam Deo sapientiam, quod Filium suum cum vellet hominem fieri, omni illa humanae vanitatis pompa inanem et liberum esse iussit, nihilque in illius hominis fortuna reliquit pulcrum sensibus, admirandum populo; vt homines ad inadspectabilia et cernenda, et amanda, et admiranda conuerterentur; in quo est vera, etsi parum speciosa vulgo, et difficilis sapientia. Nam splendorem potentiae humanae, magnificentiae, diuitiarum, admirari facile est, tanto cuique facilius, quanto est ipse stultior et vitiis plenior: at bona diuina et animi, quae non subiecta sunt oculis, nulla specie sensibus commendantur, ea vero videre, pro bonis probare, admirari, expetere, contemtis vulgaribus admirationis humanae ludibriis, hoc opus, hic labor est. Sed rectissime ita semper est iudicatum a doctissimis hominibus, tum esse sapientiam maximam et splendidissimam, cum ad hunc gradum peruenisset, cum rerum humanarum splendorem nihili ducere, rerum diuinarum et

inuisibi-

inuiſibilium ſolum admirari didiciſſet. Itaque in hac humilitate hominis Ieſu, quam non modo non vt indignam ſe repudiauit, ſed etiam certo iudicio et conſilio delegit Filius Dei, exiſtimemus Scholam nobis verae ſapientiae patefactam eſſe, nec minus in cetero toto illo miſeriarum externarum, adflictionumque ad mortem vsque comitatu. Nam, ſi ſeponamus ſuſtinendarum miſeriarum, et cruciatuum, mortisque ipſius, ad expianda peccata neceſſitatem, an vere contumelioſum, ac non potius glorioſum eſt, ſi quis veritatis, virtutisque excellentis cauſſa, contemnitur, vexatur, atque interficitur? Si vero etiam pro ſalute publica, generis humani, ea ſuſtinentur, cum aliter teneri non poteſt; quis non diuinum hoc et admirandum beneficium putet? et quae ſapientia audeat eum contemnere, qui haec ſua ſponte obierit, victus amore generis humani, aut aliis diuinis humanisque virtutibus incenſus? Vera nempe dignitas et gloria non fortunae ſecundae praemium eſt, ſed ſapientiae, ſed virtutis, ſed magnorum aduerſus genus humanum meritorum. Ita iudicat ſemperque iudicauit vera ſapientia. Itaque ſi memor ſui et ſuorum praeceptorum eſſe volet, admirabitur ea omnia, et digna Filio Dei, digna homine eo fatebitur, quem ſibi Filius Dei propriam et aeternam ſedem diuinitatis ſuae feciſſet.

Nos vero, qui Diſcipuli Ieſu Chriſti eſſe haberique volumus, bene illam ſapientiam in Schola hac, quae ab ipſo Filio Dei, adſciſcenda humanitate, patefacta eſt, bene fideliterque diſcamus, quidque vere magnum, pulcrum, admirabile et ſtudiis noſtris expetendum ſit, conſueſcamusque de rebus diuinis et humanis non ex opinionibus vulgaribus, et ad fallacem ſenſuum corporeorum regulam, ſed ad Filii Dei diuinum ſenſum et facta iudicare. Sit haec, per hos inprimis natalium I. C. celebrandorum dies, in ore omnium cohortatio mutua: *Aude — contemnere opes, et te quoque dignum finge Deo.* Audeamus ſapere cum Chriſto: nihil eſto nobis, quicquid magnum eſt inter homines: ſumma ſint, diuino iudicio probata. Inanis eſt ſplen-

dor rerum humanarum: diuina, vt minus splendeant oculis, magis prosunt mentibus: Τὸ μωρὸν τȣ̃ Θεȣ̃ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐςὶ, καὶ τὸ ἀσθενὲς τȣ̃ Θεȣ̃ ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐςί. *Diuina, etiam cum stulta videntur, plus habent sapientiae, quam res humanae quamuis speciosae: et cum humilia et imbecilla videntur, maiora et potentiora sunt humanis.* (1 *Cor.* I, 25.) Sola diuina pulcra sunt et aeterna: humana omnia nugae sunt et caduca. Ita dicamus: ita sentiamus: ita etiam viuamus.

In hac exercitatione sapientiae et pietatis Christianae, omninoque in tota illa, quam tractauimus, caussa, quamquam nobis non parum difficultatis erit superandum, quod saepe obloquentur ipsi sensus nostri, opinionesque speciosae, impressae nobis alte a prima infantia: tamen, in ea certe parte, quae ad Christi humilitatem pertinet, facilius videtur superari posse a nobis, quam potuit ab iis, qui illius humilitatis ac tenuitatis Iesu Christi, aerumnarumque omnium, testes fuere, nec temeritate vacare, quamquam pium votum *Augustini*, qui inter tria, quae vidisse vellet, *Filium Dei in carne* primum fecisse traditur. Sed in illo fidei magnitudo votum illud fortasse ab temeritate liberauerit: nos tutius eum e longinquo videmus, et, liberis ab specie humili oculis, illius σκάνδαλον facilius tollimus sapientia diuina adiuti. Hoc argumentum, non indignum cogitatione nostra, et plurimum valens ad coërcendam cuiusque fiduciam sui, Oratione sibi tractandum sumsit, *M. Io. Henr. Muckius*, *Vitebergensis*, Vir doctissimus, et ab artibus bene dicendi egregie instructus, quam inter Sacra in Aede Paulina, primo sacrorum Natalitiorum die, hora duodecima, recitabit. Ad haec igitur solemnia sacrorum celebranda cet.

DE

DE
OFFICIO CHRISTI
TRIPLICI

DE
OFFICIO CHRISTI TRIPLICI

Cum primum ac coeleſte de Ieſu nato praeconium habeat et laetitiae maximae, ad vniuerſumque genus humanum pertinentis denunciationem, et cauſſae tantopere laetandi expoſitionem; facile intelligitur, primum, quomodo affecti eſſe debeant animis, qui natalem Dominicum rite celebrare velint, deinde quid amplecti mente atque intelligentia, et ponderare cogitatione, vt laetitiam veram, et ſanctam, et dignam rei magnitudine capere poſſint. Nam inanis eſt laetitia, niſi a cauſſis veris et bonis nata ſit: et cauſſae ita ſunt vnicuique veriores, vt magis ab eo intellectae ſunt. Sed res diuinae et ad religionem pertinentes tum demum vere intelliguntur, cum eas mens ab ſenſuum corporeorum contagione et a phantaſiae ludibriis libera contuetur. Nam et ipſe Deus ſpiritus eſt, et conſilia eius ad ſalutem humanam pertinentia, quorum ſcientiam et vſum tradit religio, ad mentem proprie pertinent, ſuntque tota intelligentiae, ab ſenſibus et phantaſia ſemotae. Itaque vt primum mala ſenſuum et phantaſiae ſedulitas in eam actionem animi ſe ingerit, facile ei tenebrae offunduntur, et fraus offertur inanes imagines et vmbras pro rebus tenenti, et dum illis mouetur, his ſe pie affici ſomnianti.

Quid eſt igitur, quod tantam laetandi cauſſam atque materiam praebiturum generi humano praedicat praeco de coelo miſſus? Nempe natus *Seruator*. Et ne in ambiguo ſit, quem Seruatorem oporteat intelligere, eum eſſe addit *Chriſtum Dominum*, hoc eſt, Regem, priſcis oraculis promiſſum ad ſalutem generis humani et digni-

tatem gentis Iſraëliticae, *Luc. II*, 30. ſ. Sed eum Regem recens natum iubentur paſtores quaerere in ſtabulo, repoſitum in loco, vnde pecudes pabulum ſumere ſoleant. In quo credibile eſt, riſuros fuiſſe, niſi reuerentia vocis angelicae cohiberentur, ſi cum popularium grege id verbum humana vanitate aeſtimarent, et non cum paucis melioribus, qualem Simeonem fuiſſe videmus, quid ſub illius nominis terrena imagine lateret coeleſtis et inuiſibilis veritatis, intelligerent, nec magis hic agnituros Regem Dominum, ſibi promiſſum, quam poſtea popularium alia multitudo, etiam cum miraculorum ſpectatrix fuiſſet.

Alienum foret hoc tempore iſtum ſtuporem gentis Iudaicae commemorare: neque enim aduerſus Iudaeos diſputare attinet; niſi et inter Chriſtianos ſemper fuiſſent, qui aliquid Iudaicae, vt leniter dicamus, hebetudinis et caliginis in nomine regio Seruatoris proderent, et dum aliis eandem caliginem offundere cuperent, turbarent Eccleſiam, viris autem eruditioribus, et non in figurarum ac verborum cortice haerentibus, ſed rerum interiorem naturam mente perſpicientibus, moleſtias faceſſerent. Sed nos rem ita explicabimus, vt aliquid diſputationis, ſi poſſimus, admiſceamus, quae doctrinae ſacrae aemulis prodeſſe ad accuratius et planius intelligendum et tractandum aliquod caput non paruum diſciplinae theologicae poſſint.

Caput ſine dubio totius doctrinae Chriſtianae, in quo vertuntur omnia, eſt de Ieſu, ſalutis et felicitatis humanae auctore, 1 *Cor. III*, 11. Sed id cum ipſum copioſum ſit rebus neceſſariis, tum ingenii humani primum praua ſubtilitate pariter et hebetudine tot inanibus verborum quaeſtionumque argutiis et nugis oneratum eſt, deinde peruerſitate, multas partes, easque maximas torquendo, vt eas ſibi aptas faceret, tot diſputationibus oppletum, vt materia multorum et magnorum voluminum effecta ſit, quae etiam acerrimam cogitandi ſoler-

tiam

tiam et patientiam fatigaret. Ex hàc tanta mole verborum et ſententiarum materiam deligere bonam, h. e. quae in Scripturis nata ſit, eam elaborare ingenio, vt et docenti et diſcenti apta fiat, denique ordine compingere et ſtruere perite, vt pars quaeque ab altera luculentam firmitatem accipiat, id vero nec parui ingenii eſt, nec exiguae diligentiae. Enimuero ii, qui praeſunt doctrinae publicae, exercentque ſcholas erudiendae iuuentutis, Eccleſiae aliquando praefuturae, hoc primum et maximum munus ſuſtinent, vt notiones rerum diuinarum claras et perſpicuas, e Scripturis certa minimeque ambigua ratione per artes interpretandi ductas, tradant, quibus perceptis ſtudioſi diſciplinae ſuae et ipſi res quasque in clara luce poſitas contueantur, quantum ſinit humanae mentis natura, easque deinde aliis perſpicue et ad cuiusque captum accommodate poſſint tradere. Nam per eas accipiunt quaſi clauem quandam Scripturae, qua reſerare abdita troporum, figurarum, allegoriarum poſſint, ad reuelandam ſenſuum ſub iis latentium ſimplicitatem, omninoque inſtrumentum ambigua et ſimilia diſtinguendi, et tum propria, tum impropria ad commune quaſi caput reuocandi, ne res eaedem inani diuerſitatis opinione diſtrahantur in diuerſas. Ea autem qui claue careant, profecto non poſſint in populo erudiendo accurate ſatis atque vtiliter verſari. Etenim in ea re ac munere, nihil tam neceſſarium eſt, quam omnia verbis, quam maxime propriis in eo, quo vtaris, ſermone, planis et perſpicuis poſſe exprimere, remotis, quantum poteſt, troporum et figurarum vmbris; in quibus ſemper populus, non modo, quem vulgo appellamus, ſed etiam alius, qui ſe illo loco cenſeri non vult, velut in viſco quodam, ſenſibus et phantaſia adhaereſcit, et pro rebus inadſpectabilibus, rerum corporearum et ſenſibilium inanes imagines captando, deluditur. In quo ſi vſus et experientia deſit, Scripturae ipſae Apoſtolorum, inprimis Iohannis, exempla multa et luculenta praebeant. Neque enim alia res

Iudaeis caliginem tam saepe obiecit sermones Christi audientibus, quam figuratorum verborum imagines, in quibus eos videmus semper ita adhaesisse, vt ad sensus referrent, quod ad intelligentiam pertineret, sicuti antea in prophetis hoc velamen oculis offecerat, vt verum Dei Christum, et veram salutem Dei, videre non possent, sed aliquem Christum sibi proprium, phantasiae vtique ludibrium, fingerent. Enimuero, vbi notiones perspicuas teneas, quas verbis propriis accurate exprimere possis, tum cum ista luce comparandae sunt imagines et figurae, vt error penitus excludatur, veluti si imaginem in tabula pictam cum ipso exemplari, vnde imago ducta est, compares, vt, cuius sit ista species, arte simulata, plane perspicias.

Atque hoc vt in multis doctrinae Christianae capitibus, ita maxime in eo, de quo dicere coepimus, quod est de Iesu Seruatore, necessarium est. Etenim satis constat eum ante, quam natus esset, populo Israëlitico multis variisque sub nominibus promissum, sub multis rerum humanarum terrenarumque figuris et imaginibus, sub hominum et cerimoniarum typis, adumbratum fuisse; non vt inde primum hauriret cognitionem eius perspicuam; quomodo enim? sed vt veterem eamque simplicem eius notitiam, quae Patriarcharum fuisset, qui nihil nisi salutis spiritualis et coelestis auctorem norant, per earum figurarum admonitionem, assidue instaurandi opportunitatem haberent, aptam ad sustentandam et augendam spem, reuerentiam et aliam pietatem. Ea autem res fecit, vt in illo tum velut transitu e veteris et Mosaicae disciplinae vmbris in nouam disciplinae a Christo et Apostolis proponendae lucem, multa fieret earum figurarum mentio, partim ad intelligentiam earum tradendam his, qui antea in iis caligassent, partim vt in fundamentis doctrinae veteris nouae aedificium exstrueretur. Sed in iis tum Christianis, et his, qui Iudaicae originis essent, et qui e Graecis accessissent, nihil amplius obscu-

rum erat, aut esse debebat, cum legerent missas ad se Apostolorum scripturas, quibus earum figurarum nomina subinde essent adspersa; propterea, quod vtrisque ab Apostolis, id quod claris Epistolarum Paullinarum vestigiis tenetur, summa doctrinae Christianae, quae Paullus fundamenta appellat, verbis primum perspicuis, in quibus Graecus homo, expers librorum hebraicorum sermonis, haerere non posset, tradita esset, deinde demum per ea intelligentia figurarum Mosaicarum et propheticarum, pro cuiusque coetus captu, vt in iis nihil aliud esse intelligerent, quam quod ipsis antea simpliciter demonstratum esset; quam rem ad confirmandos Iudaeos maxime comparatam fuisse, Epistola ad Hebraeos docet. Hanc methodum Apostolicam oportebat ergo doctores imitari, qui digni eorum successores dici haberique vellent, praesertim hos, qui sua disciplina Timotheos Titosque formare cuperent, quos deinde dimittere ad Ecclesias ordinandas possent. Nec defuere tales Ecclesiae doctores, temporibus praesertim melioribus, sed iis et aduersati sunt saepe multi, quorum mens lucem capere non posset, et quod ab iis bene constitutum erat, saepe destruxit, vel parum bene interpolauit posteriorum praua sedulitas aut inscitia; vnde obscuritatis et confusionis plurimum exstitit. Velut in eo loco doctrinae, qui est de Iesu Seruatore, veterrima simplicitas, seruans perspicuitatem aptam ad docendum et ad intelligendum, id caput ita descripserat, vt, cum personae Iesu natura ex homine vero et Deo vero composita, eiusque conditio, *statum* vocat scholae consuetudo, in quam vel missa esset a Patre Deo, vel ipsa se redegisset, explicata esset ac demonstrata, tum exponeretur de opere salutari, cuius caussa essent illa omnia decreta et instituta. Sed huius operis partes Scripturae sacrae faciunt duas, quarum alteram ponunt in ipsa salute et felicitate humana, cum summa Dei dignitate reparanda, alteram in ea hominibus demonstranda, et via patefacienda, quae ad eam deducat. In

parte porrò prima, quae est sanctissima omnium, cum tamen locus vel quaereretur ambiguitatis, vel quaeri posse videretur, propter mirificam varietatem et copiam Scripturarum in ea re exprimenda, quaesitum est, quomodo tota illa varietas ad notionis et verbi vnitatem revocari posset, in qua perspicuitas esset et proprietas sine omni troporum et figurarum vmbris. Nam sub his facile vel inscitia vel interpretandi malignitas latebras reperit; illi bene repertae et constitutae vbi adsueuit animus, fit, vt eam in omni illa varietate solam et totam perspicue videat, nec rei tenebras aut vmbras a phantasià offundi sinat, per quas veritatem integram et puram ex oculis amittat. Destinatum ei rei est multa ante secula *satisfaciendi* verbum, delectu rectissimo: quippe id verbum et perspicuitatem habet nullo modo obscurandam et diminuendam, et pariter exprimit tum actionum tum perpessionum Iesu vim ad vnum illud salutis restituendae opus valentium. Huic ergo adsuefieri oportuit, et quomodo Scripturarum verbis inesset ostendi, vt cum ipsis vbique occurreret Scripturas legentibus. Et satis erat quod hic ageretur, nec opus in hunc locum congerere figuras verborum, vt regni et sacerdotii, et partitiones operis et muneris Christi ex illis, per quas ambages longae et inutiles inducerentur, atque multis quaestionibus, et per eas controuersiis aditus daretur; quae si omnino agitandae essent, tractari alio loco debebant, vt in disputationibus exegeticis Scripturarum, aut in interpretatione nominum, quibus Scripturae Seruatorem futurum insignem hominibus fecerant, non in subtili dogmatis illius explicatione.

De regno Christi primum inter nostros in libello dogmatico locorum disseruit *Philippus;* verum non in loco de Iesu, sed in vicinia capitis de resurrectione mortuorum, ad refellenda somnia Iudaizantium, quae tum revocabantur, et regnum visibile Christi in his terris ante reditum ad iudicium generis humani vniuersi constituentium:

tium: aduerfus quos praeclare demonftrat, regnum Chri-fti, quod proprie dicatur, a quo Meffias, Rex et Chriftus appelletur, effe totum in mente credentium per Spiritum Sanctum et Euangelium. Paullo poft *Strigelius*, ex eius difciplina ortus, idem caput eodemque loco ac modo tractans, addidit ibidem de *Sacerdotio*, vt fententias Scripturae de Sacerdotio Iefu explicaret, de more veterum Sententiariorum. Denique res vtraque translata eft in caput de Iefu ad illuminandam, an obfcurandam partem, de opere Chrifti ad falutem generis humani pertinente; addito etiam tertio de *prophetico* officio, quod *Strigelius* in facerdotio intelligebat, eiusque partem faciebat. In quo eum fecuti funt alii, qui vim nominis prophetici, cum Seruatori generis humani in Scripturis tribuitur, non affequebantur, et facerdotes Iudaicos noftris fimiles fingendo, docendi munus iis affignabant; quod iis non conuenit, nifi qua legem cerimoniarum, ex qua de peccatis eorumque per facrificia expiandi modo, omninoque de cultibus Leuiticis, refpondebant, iudices magis et confulti legis, quam doctores religionis vniuerfae, quales noftros facerdotes habemus. Sed in illis nominibus vniuerfis, per quae munus Seruatoris noftri partiri placuit, vfus loquendi Scripturarum parum vel intellectus vel feruatus eft, funtque adeo opinionis arbitrio diuulfa, quae in illis funt coniunctiffima. Id vt intelligatur planius, pauca fuper illis verbis ita differemus, vt primum de prophetico et regio nomine dicamus, deinde de facerdotis appellatione differamus.

Iam primum fatis conftat, cum Seruator hominum *Propheta* dicitur, verbum id non eo modo effe accipiendum, quo id communicatur cum aliis multis, cum omnibus, qui voluntatis diuinae ad homines interpretandae cauffa miffi funt. Maius aliquid intelligendum eft, non tam propter perfonae fupra ceteros omnes excellentiam, fed propter ipfius muneris ac dignitatis eo verbo defignatae praeftantiam. Primus Mofes in quinti libri duodeuicefimo

cesimo Seruatorem futurum Prophetae nomine insignem fecit ad muneris naturam intelligendam et magnitudinem. Sed non appellauit Prophetam simpliciter, verum cum adiunctione: ad exemplum suum retulit vtramque: Prophetam eum sibi similem fore dixit. In quo non satis est, vagam magnitudinis ac dignitatis intelligentiam habere: definire oportet vtriusque modum. Qualem ergo Prophetam habuit Mosen populus Israeliticus? Nempe, qui diuina vi adiutus populum tantum e vi et potestate tyranni improbi et potentis, e seruitute et periculo vltimo internecionis exemisset, qui diuinis colloquiis institutus nouam religionis veteris formam (*οἰκονομίαν*) induxisset, populum denique tantum per tot annos in desertis locis aluisset, gubernasset, et ad ipsum aditum terrae beatissimae deduxisset. In his omnibus ergo Moses similem sibi prophetam intelligi voluit, cuius ipse figuram et imaginem gessisset. Fuit enim profecto in his omnibus Moses typus Seruatoris, qui eadem omnia fecit, sed alio in genere, hoc est, quod totum ad meliorem hominis partem, melioremque salutem pertineret; quippe ex inuisibilis, sed haud paullo saeuioris tyranni potestate ac seruitute, e pernicie animi eaque aeterna eripuit, quantum in ipso fuit, vniuersos, nouam religionis oeconomiam, e sinu Patris coelestis deportatam, instituit, animos verbo diuino alit et tuetur, denique ad coelestis patrimonii hereditatem deducit. Haec sunt luce clariora. Enimuero, si haec ita sunt; quis non intelligit, in Prophetae nomine totum opus Seruatoris inesse, non tantum docendi prouinciam, quam ei vulgo attribuunt, idque esse regio plane par, et nulla re nisi sono diuersum? Itaque Moses a multis appellatus est *rex:* auctore ipso, qui, se regis munere functum in populo suo, diserte dicit *Deut.* XXXIII, 5. *) Sed homines adsueti nominis prophe-

*) Videant, qui alia exempla desiderent, *Wilkens* ad Opera *Seldeni* praefationem p. VI. et *Venemam* V. C. in Diss. Sacris p. 46. ed. sec.

prophetici angustiis, cum de ceteris dicitur, in easdem Seruatoris munus propheticum concluserunt, vt id aptum suis rationibus facerent.

Atque vt id nomen rebus tot ac tantis aptum esse intelligatur, nec minus maiestatis ac dignitatis habere nomine regio, vsum eius veterrimum in gente Israëlitica videamus. Fuit is autem sine dubitatione primum in gubernatoribus ac ducibus gentis a Deo extra ordinem missis, vt interpretibus voluntatis suae, primum in rebus ad fortunas populi pace ac bello pertinentibus, deinde etiam in custodia legum; qualis primus Moses, post eum Iosua, alii post hunc, vltimus Samuel fuit. Atque erat hoc consilii diuini, vt gens illa semper talibus legatis atque interpretibus regeretur, non regia potestas induceretur. 1 *Sam.* VIII, 7. Itaque a Mosis quidem temporibus vsque ad institutum regnum, nullum maius nomen prophetico fuit: et, si Seruator futurus hominum aliquo tum nomine humano, ad dignitatis significationem et commendationem ad populum, appellandus erat, alio maiori appellari non poterat, praesertim apud eos, qui inter homines nihil maius propheta Mose norant aut credebant.

Sed id nomen cessit deinde regio, posteaquam gens Israëlitica per reges gubernari coeperat, non sic illud quidem, vt tolleretur omnino in Seruatore futuro appellando; quod secus esse narrationes Euangelicae declarant; sed vt frequentius esset regium (Messiae): primum, quod nominis regii splendor maior erat apud populum, cum prophetae nomen vetere more non amplius diceretur, essentque prophetae illius temporis homines priuati: deinde quia Seruatoris natales genti regiae Dauidis assignauerat Deus, atque etiam per Dauidem ei id nomen diserte tribuerat. Atque id nomen etiam sic vel acceptum esse, vel accipi debuisse, vt nihil aliud in eo intelligeretur, quam in prophetico, per Mosen tributo, facile doceri potest.

Primum

[§] Primum enim in Psalmis. vt LXXII aliisque, quibus rex hic regnumque eius describitur, nihil est praeter ea, quae in typo prophetae Mosis insunt, nisi quod ei populus longe alius ac melior tribuitur, quam Moses habuerat, ciues omnes fideles, veritatis amantes, iusti, sancti, intus puri, pulcri et ornati sanctitate et iustitia. Tum cum regio nomine, sicut in Deo, permutatur *Pastoris* appellatio, quae est veterrima Orientis et Graeciae consuetudo, insigniter apud *Ieremiam XXII. XXIII.* et *Ezechielem XXXIV*,24. vbi ille *pastor vnicus*, quem pro malis pastoribus, i. e. regibus et principibus tum populi, promittit, *Dauid* appellatur; hoc est, Rex e gente Dauidis. At ille *Pastor Rex* ita et per Dauidem *Ps. XXIII*, et ab semetipso, *Io. X*, describitur, et ab Apostolis, vt *Petro I*, 2, 25. vt omnia eadem reperiantur, quae supra in Prophetae nomine cognouimus. Denique animaduersione profecto dignum est, quod est a *Iohanne* traditum c. *VI.* cum narrat, pastis a Iesu tot millibus hominum in deserto, in manifestaque cibi inopia, miraculi insolentia et nouitate percussos agnouisse in eo Prophetam illum, generi humano promissum, per Mosen scilicet, et hoc palam praedicasse: Iesum autem subduxisse se, et in montanam solitudinem secessisse, ne a populo rex proclamaretur. Quae profecto non cohaerent aliter, quam vt intelligamus, ea nomina promiscue dici, et eiusdem personae ac dignitatis esse, nec differre nisi sono, aut inscitia interpretantium, si qui nomen regium humana potius vanitate et humilitate metirentur, quam diuina veritate et sublimitate, quae in inuisibilibus et spiritualibus maxime dominatur et intelligitur. Sed maximum illud est, et in quo valde videmus homines fanaticos, regnum Christi visibile exspectantes, torqueri, quod Iesus ipse regnum suum clare ita describit: nec alium meliorem aut certiorem quis interpretem desideret: vt id ad ea, quae in Prophetae nomine sunt, referat. Nam Pilato quaerenti, an re vera rex sit? esse se profecto regem, natum in

in regium imperium et in lucem editum, respondit. Sed id interpretatur de veritatis professione, et ciues regni sui agnoscit modo eos, qui sint veritatis amantes; nam eos vocem suam imperantis audire, plane vt illae apud *Ioannem* c. X. oues. Et *veritatis* nomine satis scimus intelligi Euangelium, hoc est, vniuersam rationem diuinam salutis per filium reparandae, et hominum ad eam per fidem adducendorum, quae Iesum et agendo et docendo auctorem habet, et perfectorem in fidelibus. Atque haec omnia firmantur iis sermonibus Iesu, quibus naturam regni sui per figuras varias describit, in quibus omnia ad Euangelium et veritatem, qualem descripsimus, referuntur.

Atque sic etiam eruditissimum quemque Ecclesiae veteris Doctorum sensisse, vel vnus ille insignis locus docet in *Origenis* egregio de *Oratione* libello, in quo partem Orationis dominicae eam, quae est de Regno Dei, demonstrat, (T. 1. Opp. ed. *Ruaei*) p. 238. Nam *regnum Dei* intelligi ait, quod sit in nobis secundum illud Christi *Luc.* XVII, 20. et qui regnum Dei vt ad se veniat, oret, eum precari, de regno Dei in se, quod sit in eo, cum homo verbo Dei credat et legibus diuinis obediat, quod regnum opponi tyrannidi Diaboli cet.

Quae cum ita sint, non profecto conueniebat discerpere, quae ita coniuncta sunt, et a scripturarum sermone discedere sine commodo aliquo in discendo, et locum facere inanibus disputationibus super prophetico et regio munere. Nam quod in eodem officio regio etiam regnum potentiae et gloriae commemoratur, id profecto alienum est. Etenim illud est prorsus diuinum, quod Iesus habet per communionem naturae diuinae, in eoque officium cogitare ineptum est. Nec regnum alterum, quod in coelum sublatus capessiuit, cuius nos etiam in coelo consortes futuri sumus 2 *Tim.* II, 12. cet. vllam rationem habet officii, pertinetque ad exaltationem Iesu, quae ei, propter exantlatum in humilitate opus maximum infinita

infinita cum aerumna et molestia contigit. Sed haec per se clara sunt. Atque etiam, quod sacerdotis nomine additur, officium id inesse pariter in regio, vnum illud planum facit, quod Iesus se talem regem et pastorem dicit, qui pro salute ciuium et ouium mortem subeat, *Io.* X, 15. et id veri et boni Regis et Pastoris esse; quod nec potest dubitationem habere. Sed de hoc ad illuminandum de sacerdote Iesu locum posthaec differemus.

Talem igitur Regem, non alium, agnoscere debemus Seruatorem, Messiam Dominum, quo nato gaudere debemus cum vniuerso genere humano, nec illius nominis spiritualem maiestatem vlla parte ac modo vllo deducere ad humanorum et visibilium regnorum humilitatem. Neque enim satis digne honorare ipsum, aut satis liquido laetari animus pius natalibus ipsius possit, non profecto ita, vt pastores Bethlehemitici, qui primi hunc regem in stabulo adorauere laeti, vt Magi de oriente, qui in illa tenuitate summa cum laetitia et veneratione agnoscunt inuisibile regnum infantis Seruatoris. Sed hoc mali est in hac re, quod rerum sensibilium vano splendore ita excaecati sunt homines, vt inuisibilium veram maiestatem et excellentiam dispicere et capere animis non possint, sed pro nihilo ducant. Itaque semper ingenium humanum procliue fuit ad exspectandum Regem aut regnum istius Regis, quod et in sensus externos incurreret, eoque traherent verba Scripturarum, a rebus sensibilibus ducta ad adumbrandam hominibus rerum inuisibilium praestantiam. Sed ad *Sacerdotis* nomen veniamus.

Iam primum nomen hoc et verbum Sacerdotis hebraica consuetudine loquendi metiendum esse, in promtu est. Nec minus dubio caret, in hebraico sacerdotii verbo primam et propriam significationem esse *ministerii*, vnde et in libris Apostolorum per λειτεργίαν exprimitur, sicut et ipse Christus, sacerdotii caussa, λειτεργὸς, *minister* appellatur, *Hebr.* VIII, 2. 6. Nam, quod primam et

et propriam significationem *Coccejus* mauult esse *appropinquandi et accedendi*, valde probante *Schultensio*, (in *Origg. Hebr. pag.* 228.) Arabismum secuto, vnde secunda et tropica significatio ducta sit amici regii et sacerdotis: id vt incertis coniecturis nititur, ita analogia linguarum refellitur tum hebraicae, tum aliarum, graecae et latinae, in quibus ministerium, quod alicui debetur ac praestatur, tropice per formulas accedendi ad aliquem, adstandi alicui, aut coram quo; in latina per verbum *apparendi alicui*, *apparitionem*, exprimi solet, velut honestandi ministerii caussa aut emolliendi; faciliusque appropinquandi significatio a ministerio ducatur, quam contra. Vtcunque sit, ministri quidem significationem in verbo hebraico sacerdotis dominari, et pro propria valere, certum est. Nec id ad humilitatem significationis, aut ad minuendam dignitatem personae, nomen hoc gerentis, valet; quod videntur timuisse viri boni quidam, in disputatione aduersus Iudaeos quosdam, verbum id in *Ps. CX*, 4. interpretantes *ministrum*. Nam et reges ministri Dei, *διάκονοι τȣ Θεȣ*, et *λειτȣργοὶ* dicuntur, *Rom. XIII*, 4. 6. et Angeli ipsi, *Hebr. I*, *vlt.* quorum ministerium et ipsum humano more et figurate circumscribitur per apparitionem stantium apud thronum diuinum. Omnino nihil, vera aestimatione, humile ac tenue est, cum ad honorem et voluntatem Dei pertinet. Sed cum id verbum ad eos transfertur, quos sacerdotes proprie appellat latinitas, Graeci *ἱερεῖς*, accipit significationem ministerii, quod Deo praestetur in caussa religionis ad salutem populi, in quo quis sacerdotis nomen ac locum obtinet; vt ministerium alterum, quod ad ciuilem rationem pertinet, regni vel principatus nomine appellatur; vnde verbum etiam ad fideles omnes ac pios traducitur cum magna dignitate, tum in vetere *Exod. XIX*, 6. tum in N. Testamento

 1 *Pet.*

1 *Pet.* *II*, 5. *Apoc.* *I*, 6. quod ministeria Deo faciunt grata per fidem, pietatem et obedientiam vniuersam, quam omnem referre ad ipsius gratiam didicerunt: eorumque hoc *ministerium* etiam, propter excellentem pulcritudinem, *regium* appellatur.

Nec vero negligendum hoc videtur, in cognoscendo huius verbi vsu, praesertim figurato, quod, etsi interdum vniuersam ministerii sacerdotalis summam spectat, tamen interdum modo ad partem aliquam muneris refertur. Itaque non, vt sacerdotis vel sacerdotii nomen in aliqua re aut persona vsurpatur, sic statim similitudo vniversa cogitanda est; sed, quomodo et quatenus figura ab sacerdotio petatur, indagandum videtur, ne, latius et vltra terminos extensa similitudine, ingenii humani inventa traditis diuinitus permisceantur: quo nimis semper in figuris hebraicis inclinauere viri optimi, sed consilii melioris, quam ingenii et iudicii. Secundum haec de nomine sacerdotali, quam vim et vsum habeat in Christo, videamus.

In quo primum omnium animaduertenda videtur varietas eius vsurpandi, cum huius varietatis discriminibus. Tribuitur autem Messiae nomen sacerdotis in V. T. quidem duobus omnino locis, vno in Psalmo *CX*, 4. altero in Zachariano oraculo VI, 13: at in N. T. libris, neque sermones Iesu Christi in Euangeliis aut Apostolorum in Actis, neque epistolae Apostolicae, Sacerdotii I. C. mentionem faciunt, praeter vnam ad Hebraeos epistolam Paulli, quae et Psalmi verba commemorat ad Iesumque refert, et Sacerdotis summi nomen eidem tribuit, et ad eius actiones pro salute hominum applicat. Itaque nomen hoc a duplici figura Christi in V. T. ducitur, Melchisedeco et Aarone.

Sed

Sed his duobus non alienum ſit addere Moſen, cui libri ſacri, non illi quidem nomen ſacerdotis diſerte tribuunt, quod id proprium factum erat operam nauantibus Deo ac populo in ſtatis et legitimis ſacris, ſed rem ipſam adſerunt, agnoſentibus etiam Iudaeorum doctoribus erudititiſſimis. Nam fuit μεσίτης τῆς διαθήκης, interpres et confector foederis diuini cum gente Iſraëlitica; in quo ſine dubio figuram Chriſti ſuſtinuit, ſanguine ſuo ſancientis foedus nouum ac melius, idque haud paullo plus et clarius, quam Aaron ipſe in victimis expiatoriis. Ieſus Chriſtus quidem ipſe velut digito hanc figuram ſui demonſtrauit, in Sacramento corporis et ſanguinis ſui inſtituendo, iisdem totidemque verbis vſus, quae Moſes in vetere ſanciendo pronunciarat. Atque, vt opinamur, etiam hanc ob cauſſam *Philo* Moſen appellat *ſacerdotem* locis aliquot libri II et III *de vita Moſis:* quamquam et conſtituta ab ipſo et ordinata ſacra, quae per Sacerdotes et Leuitas curarentur, in appellatione hac ſpectari, non ignoro. Et ille omnino functus eſt ſacerdotio ante, quam fratri eam partem miniſterii ſui detuliſſet. Sed, quia ſacrae literae id nomen in Moſe non diſerte vſurpant, hoc quidem in loco rationem eius nullam habebimus.

Illud autem intelligendum eſt, quod fere in diſputatione de ſacerdotio I. C. praetermittitur, cum ad dogmaticam rationem inſtituitur, non eodem modo ſacerdotem eſſe, cum Melchiſedeco comparatur, et cum Aaroniticis Pontificibus aſſimulatur; cum ſacerdos aeternus conſediſſe in coelis in throno Dei dicitur, et cum ſacrificaſſe ſe, ad expianda generis humani peccata, in terris traditur. Nam in ſacerdotio Melchiſedeciano nihil intelligi poteſt ac debet, quam, primum miniſterium vniuerſum Ieſu Chriſti, quod in religione ordinanda et conſtituenda Deo hominibusque praeſtitit, neque vllius alius rei intel-

 ligen-

ligendae veſtigia in illo loco impreſſa ſunt, quae a nobis notari poſſent, aut interpretatione Paullina demonſtrata: deinde illius ſacerdotii praeſtantia, tum e coniunctione cum poteſtate regia, tum ex duratione, quae finem habitura non ſit. Et clarum eſt, Paullum eo in loco non tam primum illud, quam poſterius intelligi velle. Nec aliud eſt in loco Zachariae Prophetae. At cum Pontifex ſummus appellatur, comparatus cum Aarone, ſola ſacrificia expiatoria, inprimisque anniuerſarium illud, ſpectantur, in quibus inſignem figuram mortis Chriſti et redemtionis per mortem fuiſſe, in promtu eſt. Neque enim plus eſt in tota illa de ſacerdote Ieſu diſputatione Paullina ad Chriſtianos ex Hebraeis. His ita conſtitutis, deinceps, vti propoſitum eſt, an et quomodo haec in doctrinae Chriſtianae inſtitutione tradi et explicari conueniat, ad officium Chriſti intelligendum, videamus.

Primum ergo clarum eſſe arbitramur, Sacerdotis verbum non magis proprie dici de Ieſu, quam regium; ſed eſſe nomen figuratum ſeu typicum; quod Iudaeos maxime, qui Chriſtianam religionem ſequerentur, et vero etiam ceteros, ad intelligendam veritatem deduceret, quae ſub figuris V. T. latuiſſet. Sed eſt haec perpetua conſuetudo Apoſtolica, maxime Iudaeis comparata, vt typorum et figurarum nomina communicent cum rebus, per illas deſignatis; non quo propria ſint earum rerum nomina, et ſic vſurpari debeant, ſed vt intelligentiam typorum et vaticiniorum adiuuent, doceantque, quid per eos deſignatum eſſet. Veluti Ieſum Ioannes *agnum Dei* vocat *Io. I*, 36. non quo ipſe agnus ſit, ſed vt intelligatur, Ieſum eſſe eum, cuius patientia in cruciatibus et morte pro ſalute hominum obeundis, ſub agni imagine, ab Ieſaïa Propheta fuerit adumbrata: eodemque modo *victima* dicitur eſſe Chriſtus pro peccatis, non quo ipſe proprie victima ſit, ſed quod ſatisfactio eius pro peccatis, quae poenis noſtris

nostris perferendis peracta sit, per victimas adumbrata fuerit. Et sunt eius generis multa. Vnde fit, vt illa verba non pro dogmaticarum notionum vocabulis vsurpari in doctrinae institutione debeant, sed potius, vbi necesse sit, ea, quae propriis verbis proposita sint, et figuris istis consentire, et sub earum inuolucris latuisse; vt ad intelligentiam veteris Testamenti aditus detur et velamen Mosi detrahatur. Quae esse consentanea verae et legitimae methodo doctrinae, nemo, nisi valde rudis artium docendi, negare sustineat.

Atque id plane confirmat consuetudo Domini nostri Iesu Christi et Apostolorum. Etenim, vt obiter supra admonui, ille nuspiam se in sermonibus, qui quidem nobis proditi sunt; sunt autem sine dubitatione proditi ii, qui maxime ad cognoscendam veram Euangelii summam necessarii essent vtilesque: in iis igitur nuspiam se sacerdotem appellat, aut sacerdotium sibi attribuit; non profecto id nomen taciturus, si esset proprie de se dictum, et ad bene cognoscendum se, et consilium diuinum per se consummandum, necessarium: immo verbis planis et propriis omnia vbique exsequitur, quoties docendi caussa loquitur; filium Dei se esse docet proprie, missum de coelo, et factum filium hominis, vt seruaret et liberaret homines a peccatorum poenis et peccatis ipsis, aeternae felicitatis participes redderet per fidem in se: hoc esse opus munusque suum de voluntate patris coelestis; idque se perfecturum patiendo ac moriendo secundum praedictiones Prophetarum. Non hoc nos imitari oportet, qui disciplinam eius per manus Apostolorum nobis traditam tenemus? Nam profecto meliorem magistrum docendi non exspectabimus, aut quaerere debemus: praesertim cum Apostolos hanc eius rationem imitatos esse videamus in docendo, etiam cum scriberent ad eos, quibus summa doctrinae iam tradita esset, et cum in iis Ecclesiis, ad

quas ſcriberent, etiam Iudaicae originis Chriſtiani reperirentur.

At Paullus in Epiſtola ad Hebraeos late de ſacerdotio Chriſti diſſerit. Recte. Sed primum, qui ſunt iſti Hebraei? Nempe, vt indicat res ipſa, et demonſtratum eſt egregie ab viris eruditiſſimis, Chriſtiani gentis Iudaicae, non extra Palaeſtinam agentes et immiſti Graecis, ſed qui in Palaeſtina vicinisque regionibus viuerent, eſſentque magis tenaces patrii moris. His porro quare ita ſcribat, vt Sacerdotem Chriſtum faciat Aarone longe maiorem, neminem Interpretum vidi quaerere, praeter *Ioannem d'Outrein* in Commentario ad hanc epiſtolam. Is autem putat eſſe hanc cauſſam, quod ad Chriſtianos e gentibus ceteris ſcribere tale quid non potuiſſet commode, cum ii eſſent adſueti ſacerdotibus Deaſtrorum, quibus Chriſtus ſacerdos ſimilis non fuiſſet. Quo nihil frigidius dici poterat. Comparare Chriſtum cum iſtis ſacerdotibus non poterat; at ſacerdotem Chriſtum veri Dei fuiſſe, et eum longe maiorem Aaroniticis, nihil impediebat dicere. Enimvero iſtis Chriſtianis e Iudaiſmo ortis iſta ſcribit, neceſſitate permagna et graui eorum periculo motus, quod multi ex eo genere Chriſtiani, relicto Euangelio, ad Iudaiſmum reuertiſſent, alii labarent. Inconſtantiae autem et periculi cauſſa non tam erat in afflictionibus, quae propter Euangelium eſſent perferendae, quamquam in his quoque, quam in vetere adſuefactione animorum ad Moſis admirationem, oculorum autem ad pompam ſacrificiorum atque Pontificis ſummi totiusque ſacerdotii, cui nihil ſimile aut par, neque in Chriſto ipſo, neque inter Chriſtianos vspiam reperiebant, non in doctoribus, non in toto cultu religioſo; ſed omnia tenuia, humilia, ſimplicia, omni ſpecie incurrente in oculos, omnique pompa detracta. Huius igitur periculi depellendi, animorumque corroborandorum cauſſa, totam illam diſputationem ſuſcepit, oſten-

ostenditque, primum Iesum longe maiorem esse Mose, cuius tanta admiratione tenerentur; tum, si tamen Pontificis verbo et dignitate mouerentur, Iesum esse eum, et fecisse ea, propter quae longe maior illo Pontifice Hierosolymitano esset, in quo tantum vmbra eius, vel operis ab eo peracti ad salutem hominum fuisset, qua, cum iam veritas adesset, non amplius opus esse. Ex quibus intelligitur, ista non ad omnes Christianos, vt necessariam partem doctrinae, pertinere, sed ad robustiores, vel doctores, qui vti iis ad redarguendos aut convertendos Iudaeos velint, vel coniunctionem disciplinae Christianae cum vetere Mosaica intelligere cupiant: quo tota interpretatio typorum Veteris Testamenti pertinet.

Nam quid vtilitatis habere potest ad accurate intelligendum munus a Christo susceptum, si doctrinae in scholis et ecclesia explicandae inseratur, praesertim coniuncte cum prophetae et regis munere, cum nihil in sacerdotio Christi sit, quod non suo modo insit in Regis et Prophetae nominibus, in quibus, ante docuimus, inesse easdem, non diuersas muneris Christi partes. Quid esse ergo in sacerdotio Christi dicimus? nempe satisfactionem pro peccatis ad restituendam salutem et felicitatem, a bonitate diuina destinatam generi humano, et perpetuam pro hominibus, inprimis fidelibus, deprecationem, vt illius satisfactionis et redemtionis per mortem eius participes fiant. Enimuero in nomine prophetae haec intelligi posse ac debere, si recte capiatur, nempe ad exemplum et figuram Mosis, in quo fuit Christi typus et figura, id facile est ad demonstrandum. Fuit enim et Moses *μεσίτης*, *mediator* Dei atque populi Iudaici, siue foederis a Deo cum populo sanciti, quo nomine totum officium ac munus Christi exprimi certum est: neque enim accurate faciunt, qui id nomen angustius capiunt. Huius

autem muneris partes Mofes Propheta fideliffime peregit, legem feu foederis formulam a Deo accipiendo, et genti Ifraëliticae tradendo, *Gal. III*, 1. explicando, inculcando, victimarum denique fanguine fanciendo, iisdem etiam verbis, quibus Chriftus vfus eft, vt fupra diximus, (*Matth. XXVI*, 25. *Ebr. IX*, 20.) tum pro populo affidue Deum deprecando, et fe pro ipforum culpa et poena deuouendo. *Exod. XXXII*, 11. *f.* 32. *Num. XIV*, 13 *f.* Nec minus ifta perfpiciuntur in nomine ac munere *regis;* praefertim, fi id exemplo Dauidis aeftimemus, in quo, vt rege, Chrifti figuram fuiffe, clarum fecimus fuperiori difputatiunculae parte, aut Salomonis, fimiliumque, iudicio diuino probatorum. Nam rex bonus non modo poteftate cenfetur, fed etiam officio, cum falutem populi cura amplectitur, legibus, inftitutis, deprecationibus apud Deum, omni ratione munit, adiuuat, et pro populo vitam profundere non dubitat: vnde *paftoris boni* nomine a Prophetis appellatur, cuius nominis figura Iefus totum munus fuum expreffit ipfe, etiam eam partem, in qua Sacerdotium eius maxime ponitur, *Io. X*, 12. Ex quibus apparet, in varietate hac verborum non effe diuerforum officiorum diftinctionem, fed vnius eiusdemque per imagines humanas adumbrandi varietatem, nec iniucundam audientibus, nec inutilem; quippe et altera illuminat alteram propria quadam virtute fua, h. e. aliqua parte veritatis clarius et expreffius proponenda.

Ex his putamus fatis intelligi, in hac ratione explicandi operis ac muneris Chrifti, praeterquam, quod apud nos nullam perfpicuam vtilitatem habet, non effe eam ἀκρίβειαν aut perfpicuitatem, quae requiritur in difciplina, repudiante troporum et figurarum vmbras. Nam doctrina illa accurata et inftitutio lucem figuris et adumbratis fimulacris dare, fubtiliter explicandis rerum notionibus, non ab ipfis repetere debet: eftque hoc in prae-

praecipuis Chriſtianorum bonis, quod velamine figurarum Veteris Teſtamenti per Spiritum Sanctum ſublato, ipſum Dominum Ieſum Chriſtum ſpectare poſſunt, rerum ipſarum veritatem, 2 *Corinth. III*, 18. vt eſt iis a Ieſu Chriſto et Apoſtolis tradita. Sed eſſet id incommodum fortaſſe ferendum, ſi non accederent alia maiora.

Etenim, ſi opus illud longe maximum et ſupra omnia alia admirandum Ieſu Chriſti, quod peccatorum humanorum poenis luendis ad ſalutem noſtram peregit, figurato illi ſacerdotis nomini annectitur, quam facile ſit, vt illo ipſo nomine apud populum, haerentem in verborum cortice, obſcuretur aut minuatur, ab occurrente iis tenuitate eorum, in quibus nos ſacerdotis nomen vſurpamus; quod ſecus fuit apud Iudaeos, apud quos proxima a regibus veneratio et dignitas Pontificum fuit: ſecus fortaſſe etiam ſit apud hominem Romanae Eccleſiae ſacris adſuetum, cuius animo obuerſari illa Pontificum ſuorum pompa in Miſſae ſcena poſſit. Sed nec hic, ab tali adſuefactione ſenſuum ortus animi admirantis motus, gratus ac probatus Chriſto ſit, nec vllo modo verae venerationis, a vera magnitudine operis Chriſti cognita ortae, vim ac nomen habere poſſit.

Quam facile porro in tanta libidine ingeniorum, non bene ſubactorum diſciplinis literarum, quae ſunt bene multa, per *κακοζηλίαν* quandam, etiam cum ſpecie religionis, trahuntur figurae tales vltra terminos, quos mens diuina fixit ac demonſtrauit, vt fit perſaepe in omni typica ac parabolica ratione: vnde naſcuntur argutiae inanes, non modo nihil ad *οἰκοδομὴν* profuturae, ſed ei etiam obfuturae apud multos, vel deceptos ab illis et illuſos, vel offenſos, et eam

offenſionem imputantes rebus innoxiis et ſanctis. Saepe etiam in iis figuris latebras quaerit, interdum etiam inuenit prauitas opinionum: neque enim quicquam iis eſt, vt inimicius proprietate verborum, ſic amicius et accommodatius figuris. Quae enim alia inuolucra prauitati opinionum ſuarum circumdat Myſticorum et Fanaticorum natio, et quibus aliis illecebris magis capit animos ſimplices, et quid intelligant nec ne, nec diſcernentes, nec ad diſcernendum acutos? Quid quod etiam facilius et torquentur ad defenſionem errorum, et decipiunt non bene cautos ſpecie quadam, quae facile oritur ab earum naturali ambiguitate. Denique, quam facile et ſaepe immiſcet ſe phantaſia male ſedula, et luſibus ſuis, plerumque humilibus et indignis rerum ſublimitate inuiſibili, deformat res ſanctiſſimas? Quae mala omnia eruperunt in hanc ſacerdotii figuram ad noſtram vſque aetatem ea multitudine, vt in iis enarrandis et refellendis iuſti voluminis materia ſit.

Quanto ergo melius et ſalubrius et tutius eſt, in re tanta explicanda tenere ſimplicitatem Euangelicam, quae nullis argutiis, calumniis et deprauationibus obnoxia ſit, ſed mentibus veritatem ipſam ad recte intelligendum perſpicue, et ad animos admiratione, pietate, et ſolatio imbuendos efficaciter proponat. Habemus Seruatorem magnum, deſtinatum nobis aeterno ſapientiae diuinae conſilio, filium Dei ipſum, qui factus homo, vt poſſet humana opera facere, et humanos dolores humanasque poenas ſuſcipere, neceſſitatem puniendorum a Deo peccatorum noſtrorum ſuſtulit, legi diuinae ſuum ius, ſuam auctoritatem reddendo perfecta ſanctitate et obedientia ſua, poenas autem peccatorum humanorum iuſtitiae diuinae perſoluendo, vt benignitas Patris, ſaluo iam iuſtitiae iure, ſalua ſapientiae dignitate,

tate, condonare hominibus poenas peccatorum, et felicitatem, iis destinatam in ipso creandi consilio, volentibus et accipientibus per fidem, impertire posset. Post hoc tantum opus, tam salutare hominibus, tam gratum bonitati immensae Patris, tam illustre ad iustitiam et sapientiam et vniuersam maiestatem diuinam intelligendam, a morte, in qua perfectio et finis operis illius fuit, reuocatus in vitam, sublatusque in coelos, totus venit in consortium maiestatis diuinae fruendae et vsurpandae, Dominus factus omnium, et conseruanda benignissima sua et efficacissima erga nos omnes, inprimisque fideles, erga peculium suum, voluntate, quae deprecationis instar est apud Patrem, adiuuat nos, tuetur, defendit, vt salutem ab se partam tenere possimus.

Huius tanti operis puram et assiduam cogitationem cum omni tempore exercere debeamus, vt per eam explicare vim suam Spiritus Sanctus possit in animis nostris ad fidem vel ingenerandam vel corroborandam, sentiamusque toto animo immensam diuinae benignitatis, iustitiae et sapientiae magnitudinem, et amorem summum erga nos Iesu Christi Seruatoris nostri; tum maxime his diebus, qui proprie eius rei memoriae vsurpandae et exercendae destinati sunt, vt incendatur alaturque amor noster erga Deum Patrem et filium eius Iesum Christum, amorisque huius incitamentis efficaciter moti, toto animo studeamus in Deum, tanti boni auctorem, grati esse, et filio eius, Seruatori nostro, similes fieri amore Patris, sanctitate vniuersa, obedientia, et patientia in rebus aduersis. Cogitemus, quid Deus pater promiserit filio, Domino nostro ac Seruatori, post exantlatos pro nobis labores in vitam reuocato: *In die maiestatis tuae populum tuum habebis promtissimum et sanctitate ornatissimum.* *Ps. CX*, 3.

Ecce,

Ecce, haec est dies maiestatis Christi; nos sumus populus eius, λαὸς περιούσιος. Persoluamus igitur hac die Domino, quae ei, de promisso, et vero etiam, quod ad nos quidem attinet, praecepto Dei Patris debentur, praebeamusque nos ei paratos ad omne obsequium per fidem in ipsum, et gratias laudesque persoluamus animo sancto et religioso cet.



DE

DE
CONIVNCTIONE
RERVM COELESTIVM
ET
TERRESTRIVM

EPH. I. ET COLOSS. I.

DE

CONIVNCTIONE RERVM COELESTIVM ET TERRESTRIVM

EPH. I. ET COLOSS. I.

Cum vniuerso generi humano communis sit, vt salutis restitutio, per mortem I. C. parta et per reditum eius in vitam obsignata, ita laetitia ex tanto, tam necessario nobis et optabili bono; tum vero ea tam iusta laetitia quandam, nec illam paruam, accessionem habet in nobis, qui non de genere Abrahami nati, illius salutis legitimi heredes sumus, sed e gentium impiarum colluvie ad tanti boni communionem vocati, veluti heredes secundi accessimus. Etenim hunc aditum ad eam societatem nobis proprie patefactum esse per mortem Christi et reditum eius in vitam, clare docent tum alia, tum praeceptum Christi viuificati, de salute sua gentibus omnibus promiscue deferenda, et diserta Paulli Apostoli demonstratio.

Ipsum quidem Christum, quoad docendi munere in his terris fungeretur, et verbis et factis se Israëlitarum modo doctorem tulisse, iis solis salutem suam, vt quibus solis diserte per prophetas promissa esset, obtulisse (*Matth.* XV, 24.) atque his finibus etiam discipulorum in docendo ministerium circumscripsisse, (*Matth.* X, 5. 6.) satis constat. Nam etiamsi interdum quasdam significationes dederat eiusdem salutis post haec cum aliis gentibus communicandae, quales etiam per prophetas editas constabat inter ipsos Iudaeorum doctores: rem tamen

ipsam

ipſam diſtulerat, nec eius initia iuſta modumque definierat, aut de ea mandata diſcipulis dederat, ne in illis vltimis quidem ſermonibus, quibus, morti proximus, dederat de aliis multis. In quo ipſo fecerat, vt in omnibus aliis, ſanctiſſimus Seruator, et totus ad voluntatem Patris compoſitus, quod promiſſis conſentiret ipſi Prophetarum ore factis, *Eſ.* LIII, 10 ſqq. *Pſ.* XXII, 28 ſqq. vt in gentium fide eſſet praemium ſuſceptae pro generis humani ſalute mortis acerbiſſimae, et pars illuſtris regni noui, cuius initium proprie ab reditu in vitam duceretur, ſolennis autem inauguratio in ſacro quinquageſimae per effuſionem Spiritus et ſignum linguarum nouarum. Itaque tum demum rem aperuit diſcipulis, cum inſtaret illa ſolennis regni ſui inauguratio, etiam tum nondum ſatis percipientibus, quae diceret, donec multis aliis ſignificationibus diuinis et rebus ipſis erudirentur.

Sed nihil clarius eſt teſtimoniis Paulli Apoſtoli, in ea re inprimis docti, vt cuius miniſterium maxime inter Gentes exercebatur. Nam *Eph.* II, 15. ſcribens ad Chriſtianos inprimis eos, qui e Gentibus eſſent, per mortem Chriſti eſſe ſublatam, ait, obſtructionem, quae Iudaeos ab ipſis diſcreuiſſet, et exſtinctam inimicitiam ab lege cerimoniali, τῷ νόμῳ τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι, ipſa lege illa abolenda: in epiſtola autem ad *Coloſſenſes* II, 14. in cruce deletam eſſe legem ritualem, et velut fixam clauis et diſciſſam, quae diſcidium illud inter Iudaeos et Gentes ceteras attuliſſet, nec ſiuiſſet coire pacem et ſocietatem vtriuſque generis. Nam χειρόγραφον τοῖς δόγμασι, *ſcriptura ritualis*, vel *de ritibus*, nihil aliud eſt, quam νόμος ἐντολῶν ἐν δόγμασι, *lex, habens praecepta ritualia*; quam eleganter *chirographum*, obſtans Gentibus, appellat, non modo ad vſum verbi in re pecuniaria alludens, ſed etiam ad legis ab Euangelio diſcrimen, propter quod lex, quia primum per ſcripturam promulgata eſt, *chirographum*,

vt

vt 2 *Cor. III, 6.* *γράμμα*, *scriptura*, appellatur, cum Euangelium dicatur *spiritus*, *πνεῦμα*, quia eius prima promulgatio sine litteris et scriptura, per Spiritum Sanctum, in Christo et per Apostolos loquentem, facta est. Ea autem discidii caussa sublata, per vitam Christi nouam, Gentibus, ait, esse datam vitam nouam, v. 13. (*συνεζωοποίησεν*, ait, *ὑμᾶς σὺν αὐτῷ*) primum condonatione peccatorum paranda, deinde lege rituali, et, cum hac, circumcisione tollenda, quae mortis instar fuisse, ante dixerat: *νεκροὺς ὄντας ἐν τοῖς παραπτώμασι καὶ τῇ ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκὸς ὑμῶν.*

Omnino totus ille locus de consociatione vtriusque partis, eiusque caussis et consequentibus, nuspiam luculentius est explicatus in libris Apostolicis, quam in his duabus ad Christianos Ephesinos et Colossenses, quorum maxima pars e Gentibus erat, epistolis, argumento, ratiocinationis ac disputationis serie, etiam genere verborum simillimis, et difficultate intelligendi singula, si non populari librorum elementarium trutina ponderare, sed ad subtilis iudicii normam exigere coneris. Hic profecto sunt non pauca ex illis *tenebricosis Paulli*, quae negligi ab Obseruationum sacrarum scriptoribus dolebat *Valkenarius* V. Cel. (ad *Euripid. Phoeniss.* p. 453.) dum in perspicuis illustrandis obscuram diligentiam consumerent. Quo minus alienum erit et ab studiis nostris et ab hoc tempore, aliquid studii ponere in locis quibusdam non modo earum epistolarum, sed etiam proprie pertinentibus ad eam, de qua diximus, caussam, quae hoc tempore proprium nobis laetandi argumentum praebet.

Etenim quibus locis de ea coniunctione Israëlitarum et Gentium ceterarum loquitur Paullus, per mortem Christi conflata, in vtraque epistola, commemorat etiam eorum, *quae in coelis* et *quae in terra sunt*, pacificationem, *Eph. I*, 10. *Col. I*, 20. In quo interpretando omni tempore vel fluctuati sunt, vel torserunt se doctores. Nam *quae in coelis sunt*, alii de Deo patre acceperunt, quem terris esse per Christi mortem reconciliatum, vt *Cyrillus Hierosol. Catech. XIII.* alii de angelis, vt *Chrysostomus*. et quicunque ex eius

commentariis profecere, hoc eſt, Graeci interpretes poſt eum omnes; quae et inter Latinos ſententia tenuit et inter noſtros. In quo tamen et ipſo varie ſenſerunt, cum explicandum eſſet diſſidium, quod angelos hominesque interceſſiſſet; aliis ad odium angelorum aduerſus homines improbos, aliis, vt *Damaſceno*, ad luctum modo ex vitiis et miſeriis humanis trahentibus.

Enimuero ſicut priorem illam interpretationem ipſa forma verborum repudiat, multitudinem intelligi iubens; ſic vtrique res videtur repugnare. Nam ii, quos inter facta eſt reconciliatio, per eam coniuncti ſunt ſub capite communi Chriſto, *Eph. I*, 10. quod *Col. I*, 20. eſt, *reconciliari ad ipſum* (*εἰς αὐτὸν*,) vt ad ipſum communiter tendant, ei ſe pariter adiungant ſenſu, cultu, ſpe cet. Id, vt eſt in promtu, nullo modo in Deum Patrem cadere, ſic nec angelis aptum eſt, qui etſi Chriſtum, vt Creatorem, et Dominum ſuum, pariter adorant, *Ebr. I*, 6. et opus ab ipſo peractum laude et admiratione proſequuntur; tamen in membris corporis, vt capitis communis, non numerantur, nec ad ipſos vlla ex parte pertinuit redemtionis opus eiusque fructus, (*Ebr. II*, 16.) ſed ad ſolos homines, quod iam intellexit *Beza*, cum Deo per ipſum, et cum ipſo per fidei vnitatem, inter ſe denique per amoris ab illo orti vinculum copulandos.

Ac bene eſt, quod praeclari, etiam de noſtris, viri, e are perſpecta, coepere diſceſſionem facere ab illa priſca interpretatione, quae ſe facile obtulerat, a primo adſpectu verborum occurrente angelorum cogitatione. Sed neſcimus, an multo melius, ac non etiam contortius ſit, quod eſt ei ab horum ingenio ſubſtitutum. Volunt enim partem eam, quae in coelis eſt, intelligi de coetu animarum beatarum, quam Eccleſiam triumphantem conſuetudo noſtra ex *Ebr. XII*, 23. appellat. Nam quod *Beza*, primus, quod ſciamus, a priſca interpretatione diſcedere auſus, fideles Veteris Teſtamenti, qui tum in coelis eſſent, intelligi voluit, id redit eodem. Quodſi ſola illa verba in epiſtola ad Epheſios ſpectarentur, et ea, quae ibi memoratur, *ἀνακεφαλαίω-*

σις

σις in Christo, esset fortasse, vt ea ratio probaretur. At reclamant, vt opinamur, cetera omnia.

Primum, in illo ipso versiculo, ea coniunctio facta dicitur *εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, tempore, quod esset destinatum consilio diuino.* At Ecclesiae triumphantis et militantis consociatio, etsi nititur Christi morte, tamen non illo demum tempore, quo mortuus est, initium habuit, sed fuit semper, et per omnem testamenti veteris tractum. Deinde non oportet illa sola verba spectare, sed quae de ea re et *C. II*, 14 - 18, et inprimis *Col. I*, 20. dicuntur, vbi eandem rem aliis verbis exprimi clarum est. At in posteriori loco, *ea, quae in coelis et in terris sunt, reconciliata* dicuntur *ad vnitatem in ipso:* nec ea est reconciliatio cum Deo Patre, quae separatim per parenthesin commemoratur, *pace facta per mortem:* in altero, *οἱ δύο, οἱ μακρὰν καὶ οἱ ἐγγύς*, et per illam reconciliationem vtrique in Christo vno Spiritu accessum habere ad Deum Patrem. Quam autem reconciliationem *κατὰ πλήρωμα τῶν καιρῶν, a certo tempore*, et concordiam morte Christi constitutam esse dicemus vtriusque Ecclesiae, quae semper est et fuit concors, et omnem cogitationem dissidii ac discidii respuit, cum militantis et triumphantis Ecclesiae non sit generis in diversas formas, aut totius in partes diuisio, sed eiusdem numero Ecclesiae duplex modo status et conditio, in quarum altera sit spes, in altera res et possessio. Denique, quomodo Paullus hanc beatorum in coelis et fidelium in terris coniunctionem in Christo, vocet *mysterium, arcanum Dei consilium Eph. I, 9.* cet. sub tempore reuelandum, sibique inprimis, et per se aliis patefactum? cum illa coniunctio fidelium omnium nunquam non perspecta fuerit fidelibus, inde ab origine religionis, quae salutem per Messiam sperandam et petendam proponeret, intelligaturque per se, sicut omnes, quae vsquam sunt, naturae intelligentes, vnam, velut vnius domus et parentis Dei, familiam conficere, communis creatio indicat.

Itaque in promtu eſt, aliam eſſe interpretationem quaerendam, quae cum conſilio Paulli, et tota vtriusque epiſtolae ſerie, dictisque omnibus, magis conſentiat, nec tamen pugnet cum vſu loquendi Scripturarum ſacrarum. Quam olim nos quaerentes, cum Scripturas coepiſſemus tractare ſtudio noſtro, hoc eſt, aſſidua et crebra lectione, et obſeruandis comparandisque locis ſimilibus, in quo clauem eſſe Scripturarum, vt eſt, ita traditum nobis tenebamus, ſuſpicati ſumus fore talem, ſi ea, quae in coelis eſſent, intelligeremus Iſraëlitas, quae in terris, Gentes. Sed in ea ſuſpicione ab rebus ducta, aduerſari videbantur verba, quae vel ſic dicta eſſe, vel in tali genere orationis ſic dici poſſe, non vel audieramus vel repereramus. Poſt idem dudum *Lockio* viſum cognouimus, quem eadem via ad opinionem eam delatum fuiſſe, vt ad alias ex eodem genere, planum erat, quamquam adiutum etiam, vt ait ipſe, et forte primo monitum interpretatione *verbi* ἀνακεφαλαιώσασθαι in Verſione Britannica, ſumta a *Caluino* ſcilicet et *Beza*, qui *recolligere* interpretati ſunt. Et poſtea alios quoque meminimus nos reperire, ſed omnes *Lockio* poſteriores, vt *Schoettgenium* in *Horis Talmud.* qui eam interpretationem probarent, ſiue ſumtam ab illo, ſiue eadem via, vt fit, repertam, ſed ita, vt ei firmandae et illuſtrandae iuſtam operam non impenderint. Nam habet profecto illa interpretatio aliquid offenſionis, vt diximus, ex adſuetudine *res coeleſtes* et *terreſtres* intelligendi de angelis et hominibus, et in *coelo* et *terra* cogitandi loca, quae verbis iis proprie exprimuntur: nec ſufficit dicere (cum *Lockio* et *Schoettgenio*) etiam alibi coelum de Eccleſia dici, vt bene monuit *Bruckerus* ad *h. l.*

In quo tamen cauenda eſt iniquitas, aut fortaſſe interdum etiam inſcitia nonnullorum, qui ita dicant, vt in aliis interpretationibus non malis recentiorum vidi interdum dictum eſſe, non eſſe conſequens, vt, quia verbum *coelorum* vno aut altero loco de Eccleſia dicatur, propterea etiam hoc in loco ita intelligi debeat. Nam profecto

non

non eſt hoc conſequens, ſed nec quiſquam interpretandi non plane rudis ita ratiocinatur: ſed quando clarum eſt, in genere illo orationis graecae, quo vtuntur ſcriptores diuini, eſſe non nimis pauca, quae nec e graeca lingua, nec ex hebraica, quoad libris V. T. cognoſcendis tenetur, perſpicue ducta videantur, ea quae ſunt in idiomatis orationis Apoſtolicae; intelligitur id, quod magiſtri interpretandi in Eccleſia noſtra ſemper tenuere, et teneri voluere, in pluribus locis ſenſum indagandum eſſe ex rebus, contextu et collatione locorum ſimilium: ea autem via vbi repertus ſit ſenſus, iis omnibus bene conſentiens, tentandum eſſe, ſi poſſit cum vſu loquendi conciliari ſic, vt intelligatur aliquo modo, quomodo verba ſic dici potuerint: quod praecipitur, eſtque neceſſarium propterea, ne libidini fingendi quidlibet, et rerum indolem praetexendi, fores aperiantur. Eam rationem eſſe certam, et omnibus omni tempore bonis interpretibus, etiam in libris humanis, vſurpatam, dubitari ſine turpitudine non poteſt. Nam multa etiam in his ſic primum intellecta ſunt, vſusque loquendi cognitio ſaepe fuit poſterior cognitione ſenſus ex rebus ducta. Agite igitur, periculum faciamus, an poſſimus illam ſententiam rebus ipſis, et velut Paulli ipſius auctoritate adhibenda, probabiliorem efficere, et minuere offenſionem, quam ex verbis videtur habere.

Ac primum, vt ab eo initium faciamus, quod, conceſſu et conſenſu omnium interpretum, ſumere poſſumus, clarum eſt, partem vtriusque epiſtolae primam, quae eſt dogmatica, pertinere ad explicationem beneficii diuini, quod hominibus, primum communiter omnibus, tributum eſt per redemtionem I. C. deinde, et quidem inprimis, alterius, quod proprie Gentibus, vocatis et adductis ad communionem bonorum Chriſti, et, inuiſa Gentibus lege rituali abolenda, inſertis Eccleſiae verae, quae fuerat ante in populo Iudaico vno; vt eſſent iam cum Chriſtianis e Iudaiſmo vnum Chriſti corpus, vt capi-

 tis.

tis. Ea porro demonstratio, vt in vtraque epistola confertur ad incendendos animos admiratione benignitatis diuinae aduersus eos, quibus nihil illius salutis promissum erat, aut debebatur, ita proprie in epistola ad *Colossenses*, ad firmandos animos aduersus doctrinam Iudaicae legi fauentem, exigentemque a Christianis nouitiis circumcisionis et aliorum rituum conseruationem, II, 8-23. In hoc igitur argumento explicando, quem locum habere potest vel instaurata inter angelos et homines amicitia, vel Sanctorum in coelis et in terris consociatio spiritualis? Quis non statim intelligit, in iis verbis, de quibus quaeritur, et in quibus, certe in epistola ad Ephesios, est summa institutae disputationis, expressam esse debere illam coniunctionem Iudaeorum et Gentium ad vnitatem Ecclesiae, quae est Christi corpus, *Eph. I*, 23. quod tum demum est, si verba eo, quo propositum est, modo explicentur.

Illud porro non est leuius, quod in vtroque loco statim sequitur applicatio eius, quod vniuerse de coniunctione coeli et terrarum dixerat, ad Christianos Ephesinos et Colossenses e Gentilismo et Iudaismo: ἐν αὐτῷ, inquit, *Eph. I*, 11. ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν cet. in eo Christo, inquit, haec copulatio coeli et terrae facta est, in quo primum nos, Iudaei, allecti sumus, vt essemus, secundum promissa prophetarum, primi, qui crederemus Christo, deinde v. 13. etiam vos Gentiles, cognito Euangelio, quod illam vobis salutem denunciat. Tum porro pergit ad latius rem explicandam, demonstrandumque, quales fuerint, quales nunc sint, postquam Christus sustulerit morte sua id, quo distineretur vtraque generis humani pars, et eos coniunxerit cum illis, qui per natales essent heredes salutis diuinae per Christum, I, 18. II, 22. vid. inpr. *v.* 11. 12. III, 6-13. Nec alia est series orationis in epistola altera. Nam ab eadem propositione I, 19. de decreto diuino per Christum reconciliandi omnia, et quae in coelis sint, et quae in terris, transit ad euentum illius decreti in ipsis Colossensibus, quos, ante extraneos, adductos

ductos esse ad salutem: quod deinde II, 9. diligentius explicat, modo etiam rei demonstrando. In hac tali serie disserendi, quem locum possunt habere angeli aut sancti in coelis? aut de quibus aliis, quam de Iudaeis et Gentibus cogitari potest? Neque enim potest esse aliud in propositione et summa rei, aliud in explicatione et applicatione, nisi quis Paullum nauiter imperitum disserendi velit iudicare: quod profecto quisque longe ab se velit abesse.

Illud autem iam supra tetigimus, quod est profecto non leue, et haud scio an grauissimum, quod in ea re Paullus ait esse *arcanum*, *rem ante ignotam*, nunc demum sibi et aliis, quibus Deo placuerit, patefactam, *Eph. I*, 9. proxime ante illam propositionem, de coelis et terris per Christum consociatis. Sed illius arcani mentio etiam crebra est posthaec per epistolam, et illam ipsam, et alteram, vt *Eph. III*, 3. 4. 9. iisdem quibus ante verbis, *Coloss. I*, 26. 27. et est semper eiusmodi, vt ad coniunctionem Gentium cum vera Ecclesia Christi, quae e Iudaica orta est, referatur, et per eam explicetur. An igitur aliud esse potest in loco eo, vbi primum summam illius mysterii proponit? Non profecto, si nouimus Paullum et eius rationes disserendi, omninoque rationem rei bene explicandae non penitus ignoramus.

Ipsorum autem verborum, quibus mysterium illud explicatur, ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, collatio cum aliis formis verborum ad id explicandum pertinentibus, pro ea, quam tractamus, interpretatione, pugnat. Nam *Cap. II*, 14. *sqq.* iterat illam sententiam, commendandi beneficii caussa, cuius vult Ephesios esse memores v. 11. Iam ἀνακεφαλαιώσασθαι clare exprimitur per ἓν ποιῆσαι, ἵνα καινὸν ἄνθρωπον κτίσαι, v. 14. 15. Itaque et ἀμφότερα et ἀμφότεροι, quos Christus pace facta vnum fecerit, ad vnum nouum hominem redegerit, sunt τὰ ἐν τοῖς οὐρ. καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. At illi sine omni dubitatione sunt Iudaei et Gentiles οἱ μα-

 κρὰν

κρὰν καὶ οἱ ἐγγὺς v. 17. οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία, καὶ ἡ λεγομένη περιτομὴ ἐν τῇ σαρκὶ, v. 11.

Denique in fine totius loci et partis dogmaticae, explicata clare coniunctione Iudaeorum et Gentium et discriminis omnis sublatione, preces pro Christianis nouis faciens, III, 1. τούτου χάριν, inquit, ἐγὼ π. cet. *Propterea* igitur *adoro Patrem I. C. ex quo omnis illa coelestis et terrestris familia et est et appellatur.* In quo clarum est respici ad superiora, verbis ad I, 9. sententia ad explicationem arcani de Iudaeis et Gentibus. Aut nihil in toto hoc genere interpretandi vspiam collatio et inde ducta ratiocinatio valet, aut hinc clarum est, *τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς* esse eo, quo diximus, modo, intelligenda.

Et haec quidem ab re, contextu et collatione argumenta sunt: ad verba veniamus; a quibus maxima est illius interpretationis offensio. Nam in tali disputatione, cum sensus loci difficilioris quaeritur, maxime solet esse in promtu, vt in verbis maneatur, etiam apud eos, quibus nihil minus, quam verborum et litterarum scientia curae est. Sed ego in hac parte defensionis non admodum vtar locis propheticorum librorum, aut solis iis, in quibus *coelum* et *terra*, vel solum *coelum* symbolica Ecclesiae appellatio est, vt satis ex *Esaia* et Ioannea Apocalypsi constat, et *Vitringae* ad vtriusque loca (*Es. V*, 6. *XXIV*, 21. *Apocal. VI*, 12.) et aliorum notatis. Nam quae in figurata illa et symbolica oratione dicuntur, ea non statim et eodem modo dicuntur in sermone docentis et explicantis capita doctrinae. Ceterum illud tamen recte dici potest, atque exemplis clarum fieri, ab illa tam crebra Ecclesiae verae per coelum appellatione, in qua regnaret Messias, ductum fuisse in scholis Iudaeorum morem, tempora Messiae et veram Ecclesiam per *regnum coelorum* exprimendi, etiam in docendo, vt patet ex Collectis *Wetstenii* ad *Matth. III*, 2. eamque ob caussam sic a Christo vsurpatam eam appellationem esse in ipsa doctrina perpetua. Sed e sermonibus Christi inprimis huc retu-

retulerim loca, vbi clare de Ecclesia sermo est, vt cum Gentes dicuntur cum Abrahamo, Isaaco et Iacobo in coelis, vel coelesti regno, sessurae ad mensam, fruentes bonis Messiae, *Matth. VIII*, 11. Item cum *clauis regni coelorum* et *clauis scientiae* permutantur, *Matth. XXIII*, 13. *Luc. XI*, 52. Quod autem ad appellationem *terrae* de Gentibus attinet, ea illustrari videtur posse locis iis, vbi de Gentilibus, quoad a Iudaeis distinguuntur, manifeste κόσμος dicitur, quod fit non raro. Sunt enim vsu Apostolico eiusdem potestatis. Nam *Rom. XI*, 12. *seq.* πλοῦτος ἐθνῶν et πλοῦτος κόσμου permutantur: et quia olim, e consuetudine Iudaeorum graece loquentium, κόσμος dictus erat de Gentilibus, quoad essent extra Ecclesiam, propterea post etiam ii, qui non essent Christiani, sic appellati sunt, vt clare 1 *Cor. V*, 10. *VI*, 2. Hic est *Mundus Gentilium*, de quo exstat *Iacobi Altingii* libellus in *Heptade Disp. V*, *n.* 5. (*T. V. Opp.* 142.) Sed ille delectatus, vt opinor, sua de verbo hoc obseruatione, significationem eam quaerit in locis N. T. iis, a quibus est alienissima, vt *Io. III*, 16. *XII*, 19, *I*, 29. cet. et contra non videt loca alia, quae sunt perspicue huius significationis, praesertim in illis duabus epistolis, vbi ea verba ab interpretibus fere praetermittuntur, vt *Eph. II*, 12. vbi Gentiles dicuntur ante susceptam fidem fuisse ἄθεοι, ἐν τῷ κόσμῳ, vt interpungit non male *Bengelius*: (quamquam etiam coniunctum cum ἄθεοι aliter capi vix potest; nam in eo, qui physice κόσμος dicitur, fuisse, nihil attinebat dicere) *Coloss. II*, 20. *III*, 5. *Terram* autem ipsam aliis locis Apostolicis sic dici non notaui, nisi sic velit quis accipere in illa Paulli cohortatione in eadem epistola ad *Coloss. III*, 5. νεκρώσατε τὰ μέλη ὑμῶν τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, quod non absurdum sit, intelligere, necate illa vitia, quibus indulgent Gentes, nondum conuersae ad Christum, nec receptae in πολιτείαν Christi. Nam, enumeratis vitiis, quae membra Ephesiorum terrestria dixerat, addit, *quibus et vos ante dediti fuistis.* Sed haec omnia etsi non

habent iustam euidentiam, qualis debet esse, cum e verbis rem et sententiam consequi necesse est, vt in summis capitibus doctrinae, aut cum contextus et res nullas dant ansas tenendi sensus; tamen aliquam vim habent ad sententiam eam, quam res et ratio docet, vtcunque conciliandi cum vsu et analogia sermonis Apostolici, quod in tali genere locorum sufficere potest.

Sed haec disputasse et considerasse vel hac de caussa non alienum fuerit, vt animi occupentur diligentiori cogitatione illius beneficii, de quo in principio diximus, incendamurque studio praedicandae benignitatis diuinae, quae et nos per Christum placatos vocauit ad regnum coelorum et Ecclesiam Christi, et per regenerationem a morte reuocatos et viuificatos cum Christo συνεκάθισεν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *in ipsis coelestibus collocauit in ipso*, *Eph. II*, 4. Nam ea facta esse, ait Apostolus, vt perspiciantur diuitiae immensae bonitatis diuinae aduersus nos. Sed hae ipsae tam iucundae et laetae cogitationes etiam hanc vim habebunt, vt inflamment nos studio vitae sanctae, in qua, vitiis pristinis eorumque reliquiis exstirpatis, nouam cum Christo vitam viuamus, per quam sanctitas diuina illustretur, et sanctum Euangelium Iesu Christi ornetur. Ita etiam spem vitae alterius nouae in coelis apud Deum cum Christo per omnem aeternitatem agendae et tenebimus et firmabimus, qua beatius in his terris esse nihil potest. Eas autem tales, tam pias cogitationes, sensus et motus animi, alemus, religiose obeundis per hos dies, tam sanctos et laetos nobis, sacris publicis, tum aliis communibus vniuersae huic Ciuitati, tum propriis nobis, quae fient feria prima in Aede Paullina ab hora XII. inter quae Orationem disertam et elegantem de *Dignitate Fidelium e futuro eorum in vitam reditu cognoscenda*, recitabit *M. Samuel Fridericus Nathanael Morus*, Collegii Principalis Maioris Sodalis, vir Doctissimus, quam audiuisse non poenituerit.

AD

AD

I. COR. XIV

DE

DONO LINGVARVM

AD I. COR. XIV.
DE DONO LINGVARVM

Vt duas Deus veritati vias ad mentem animumque humanum patefecit, oculorum alteram, alteram aurium: ſic vtrisque ſuas veluti regiones attribuit, intra quas mens humana, illarum inſtrumento adiuta, veritatem perſequatur et indaget; oculis quidem naturam vniverſam adſpectabilem, quod regnum Dei naturale vocamus, auribus autem mundum inuiſibilem, quod eſt regnum gratiae diuinae conſtitutum per filium Dei, Ieſum Chriſtum. Nam naturae illud regnum profecto merum eſt *ſpectaculum*, alterum gratiae totum *acroama:* quippe in illo, ſpectandis operibus ac muneribus diuinis, mens deduci debet ad contuendum animo inadſpectabilem rerum omnium auctorem, cum vniuerſa eius maieſtate, *Rom.* I, 20. in hoc, audiendo verbo Dei, accipit notionem Dei rerumque diuinarum, et ſcientiam conſiliorum diuinorum ad ſalutem humanam, per Ieſum Chriſtum partam, pertinentium, *Rom.* X, 16. vnde Euangelium λόγος *ἀκοῆς* dicitur, et *audiendi* verbo exprimitur, quicquid, de conſilio diuino, ad ſalutem propoſitam conſequendam valet. In quo eſt in promtu, quanto expeditior ſit et planior via veritatis, quae patet ei per aures, quam quae per oculos vadit. Nam etſi ſplendore, apto ad oculos capiendos, longe praeſtant illa tanta ſpectacula naturae, faciuntque magnam admirationem contuentibus, cum illud Euangelicum acroama tenue ſit, ſimplex, ſine omni ad ſenſus humanos commendatione: tamen, vt ille ipſe ſplendor officit animi luminibus, vitiatis et naturae et adſue-

adſuetudinis prauitate, hebetatque oculorum aciem vi ſua, vt longius proſpicere, et videre latentem veritatem nec poſſint, nec velint; ſic haec tenuitas, omni ſenſibili ornatu, velut veſte, detracto, apertiorem facit veritatem, et admouet propius et celerius animis ad intelligendum et recipiendum. Videmus, illud ipſum inuſitatum acroama linguarum nouarum, quo regnum Ieſu Chriſti ſpirituale vel inauguratum eſt vel promulgatum vniuerſo generi humano, admiratione ſui obſtupefeciſſe potius animos, quam ad videndum verum acuiſſe; oratione autem Petri demum adiutum, habuiſſe vim ad docendum et ad perſuadendum. Nam nec cetera illa Ieſu Chriſti et Apoſtolorum miracula, quae oculis cernerentur, ſine verbo, placidis auribus et animis accepto, valuere ad perſuadendum, eorumque vis omnis conſumta eſt in ſtupore et admiratione inani apud eos, qui oculos modo adhiberent ad ſpectandum. Sed homines, vanitate mentis decepti, fere plus tribuunt iis, in quibus eſt ſenſibilis aliqua, fortius feriens animos, magnificentia, eaque magis, ſed plerumque ſine fructu, admirantur, quam quae tali pompa carent. Itaque Corinthii, vt in exemplo propoſito maneamus, magis in donis Spiritus ſancti expetebant id, per quod linguis ſibi ignotis, ſine doctrina, loqui poſſent, quam per quod verbum Dei bene explicarent ac docerent. Super quo dono Spiritus ſancti tam admirabili, cuius exempla prima edita ſunt ea ipſa die, quam religione recolemus craſtini diei, non alienum fuerit hoc tempore diſſerere, et periculum facere, ſi poſſimus mediam quandam reperire viam, quae, vitatis vulgatarum de eo opinionum difficultatibus, ad veritatem ducat, poſteaquam nuper in Britannia vehementius diſputatum eſt *Warburtonum*, Epiſcopum Glocestrienſem, inter, et *Midletonum*, Viros doctiſſimos, ſuper eius doni indole; cum ille, communem ſecutus opinionem, in eo dono ἕξιν defenderet, hoc eſt, facultatem linguae cuiusuis talem, vt ea pro vernacula, cum vellent, in dicendo ſcribendo-

bendoque vti possent, hic autem motum transeuntem modo agnosceret, sine constantia ea, quae est in ἕξει, *habitu*. In qua disputatione lapsus est vterque, vt fit, opinionis suae defendendae studio, cui tam facile se admiscet, etiam in bona caussa, cupiditas suae laudis et auctoritatis, fallitque homines veritatis defendendae specie inani, cum pro sua caussa depugnant. Nam *Midletonus* quidem ita sententiae suae defendendae caussa disputauit in libello eo, quem *de dono linguarum* scripsit, vt θεοπνευστίαν Apostolorum in docendo scribendoque in dubitationem adducere videretur, et propemodum contumeliosus fieret in libros eorum, siue orationem Apostolicam: *Warburtonus* autem, dum difficultates, contra constantiam doni linguarum, eiusque in scribendo vsum, a *Midletono* motas conabatur de medio tollere, descendit ad mirabiles et parum graues de oratione diuinitus inspirata opiniones, quas nullo modo potuit probare peritis rerum, in his *Th. Lelando*, Theologiae et Eloquentiae in Dublinensi Academia Professori eruditissimo, a quo est etiam nuper erudito libro refutatus. Vtriusque libri et *Warburtoniani, de Natura Gratiae*, cuius in Libri primi capite secundo et tertio hoc egit, et *Lelandini* indicium factum est nuper in *Bibliotheca Theologica*. Sed ante idem egerat *Warburtonus* in libro, quem *de Principiis religionis naturalis et reuelatae* inscripserat. (T. I. *Homilia sexta, ad Ioh. XIV*, 16.) Sed rem altius repetamus, vt aliqua cum fiducia de caussa tota iudicandi facultatem legentibus praebeamus.

Antiquissimis, et non nimis remotis ab aetate Apostolica seculis, videmus ita parum certam et perspicuam, de dono linguarum eiusque natura, famam fuisse, vt coniecturis modo niterentur Doctores; quae, vt fit, parum inter se constabant. Caussa fuit, quod id charisma vltra aetatem Apostolorum non viguerat, nec ea ipsa, aut, quae statim secuta est, habuerat, qui rem sua memoria actam et vulgo notam, planius describerent; ne proxi-

mis

mis quidem, qui forte ab his acceptam rem tenerent, poſteris tradere curantibus. Primus, quod nos quidem ſciamus et obſeruauerimus, rem tetigit *Tertullianus*, eo, quem poſthac commemorabimus, loco; ſed et ipſe ita, vt verear, ne alio trahant, qui ſuae opinioni aduerſari verba eius exiſtiment. Ac neſcimus, an aliquid fuerit in *Hippolyti* libello *de Chariſmatis*, quod eo pertineret. Nam commentitius ille, qui inter opera eius, ex *Conſtit. Apoſt. VIII*, 3. eſt editus, eſtque fortaſſe ad genuini formam factus, tantum ad vſum eorum pertinet, qui ſit in modeſtia. Seculo quinto, clarum eſt, duplicem opinionem tenuiſſe; alteram, quae Apoſtolis et ceteris ſodalibus omnibus ſua lingua, vna eademque, loquentibus, audiuiſſe diceret homines ſuae quemque linguae ſonum et verba; alteram, quae Apoſtolos ipſos, et quicunque eo chariſmate donati eſſent, exiſtimaret, coepiſſe vi divina loqui verbis linguarum peregrinarum, et ſibi nullo vſu cognitarum, tanquam linguae ſuae et ſermonis ſibi vſitati a longo tempore. Nam vtramque ita narrat *Gregorius Naz. Or. XLIV.* vt rem ambiguam eſſe fateatur, ceterum magis ad poſteriorem rationem inclinet, quae ab Latinis, *Ambroſio*, *Auguſtino*, *Leone M. Gregorio M.* et aliis probata, conualuit in Eccleſia Latina; in qua tamen ipſa non defuere, qui priorem ſententiam probarent, quibus olim *Eraſmus*, *Graueſonius*, nuper et *Io. Lamius*, acceſſere. Et veteres quidem, vt e *Gregorii* loco intelligitur, in illam ſententiarum varietatem deducti ſunt ambiguitate, vt exiſtimabant, verborum apud *Lucam Act. II*, 6. ἤκουον εἷς ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ λαλούντων αὐτῶν· in quibus τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ et ad ἤκουον referri poſſe, vnde prior illa opinio naſceretur, et ad λαλούντων αὐτῶν, vnde altera exiſteret. Quod ſane mirum videatur accidere potuiſſe hominibus graecis; cum ἀκούειν διαλέκτῳ, nullo modo graeca loquendi ratio ferat, nec eius formae vllum exemplum proferri poſſit. *Eraſmus* autem conturbatus fuiſſe videtur verſus quarti verbis, quod

quod *omnes*, pleni Spiritu Sancto, coepisse dicantur peregrino sermone loqui, nec credibile sit, qui pariter loquerentur, eodem tempore diuerso sermone vsos esse: quod ita intelligi non est necesse, sed potius, vt omnes deinceps, alius post alium, *ἀνὰ μέρος*, vt Paullus ait, alternis, alia alius lingua, sicut 1 *Cor. XIV.* 23. 24. 27. 29. 30. 31. Verum haec sententia facile reuincitur, tum illa ratione, qua *Nazianzenus* vtitur, quod ea miraculum, et eius veluti sedem, ab Apostolis loquentibus transfert ad audientes, tum ipsis Christi Lucaeque verbis, quae *nouas* vel *alias linguas* tribuunt in eo miraculo Apostolis et ceteris fidelibus, quibus id charisma contigisset; quae esse non possunt, nisi nouo et inusitato sibi sermone, *διαλέκτῳ*, vtentium. Nam *Lamii* ratio, ab orationis graecae, Apostolis vsurpatae, inelegantia ducta, quam nullo modo conuenisse putat iis, qui eius magistrum Spiritum sanctum haberent, plane aliena est ab hac caussa: quippe hic non de oratione graeca sola, aut ea sermo est, qua in libris suis post sunt vsi. Etenim illius sermonis graeci in dicendo ac scribendo facultatem diuinitus iis repente infusam fuisse, nulla ratio idonea cogit credere, etsi in ipso scribendi actu vim diuinam intercessisse defendimus, sed hactenus, vt sua quisque facultate vteretur apte ad exprimendos sensus mentis diuinae. Sed si etiam tum in illo numero fuere, qui graece primum vi Spiritus sancti loquerentur, quod concedi facile posset: qualis illa oratio fuerit, non certo scimus; etsi credibile est, simillimam ei fuisse, quam in libris sacris videmus, eademque de caussa, vt Iudaei et proselyti e regionibus graecis, ei generi orationis e versione graeca librorum sacrorum adsueti, intelligere possent: quo tollitur tota illa difficultas, quam tantopere auxit verbis *Midletonus*, *Warburtonus* autem tollere, infelicissime tentauit.

Sed hac opinione, de sede miraculi, sublata, relinquitur non vna difficultas in altera eaque vera sententia,

si modum et vsum charismatis consideres. Atque nos iam mittamus ea, quae hodie haud dubie in commentis ponuntur: quale est, quod Veteres genera linguarum numerant ad duo supra septuaginta; quem numerum pari vanitate in confusione linguarum Babylonica exortum, et in genere humano seruatum, finxere: quod vnicuique Apostolo vel omnia illa genera tribuunt, vel plura, vel denique, vt video placere *Chrysostomo*, illud, quo opus futurum erat in regionibus iis, ad quas esset cuique eundum docendi caussa; super quibus pariter multa, inter varios dissensus, confinxere, vt nuper bene demonstrauit *Semlerus* V. S. R. in hist. dogm. fidei, p. 41. Illud, quod maiorem habet difficultatem, videamus, super quo ex parte disputatio illa in Britannia agitata est, vt supra diximus. Et id quaeri et explicari multum refert; quod ab eo maxime pendet intelligentia capitis XII. et XIV. prioris Paullinae ad Corinthios Epistolae, vt res docet ipsa, et agnoscit *Clericus* ad h. l. qui et ipse nullam magis ob caussam nihil ei loco lucis attulit, immo omnia paene nugis refersit, quam, quod modum et vsum illius χαρίσματος non assecutus erat. De hoc igitur, seposita omni humana auctoritate, solisque orationis Paullinae vestigiis persequendis, videamus, si ad verum peruenire, et eadem opera lucis aliquid loco Paullino affundere possimus. Sed haec disputatio nobis ita diuisa sit, vt primum, qui finis, qui vsus illius doni fuerit, discere ab Apostolo, deinde ex eo inprimis indolem eius reperire tentemus.

Iam non ignoro, veteribus ita placuisse, iisque recentiores vniuerso propemodum consensu adstipulatos esse, vt charismatis illius finis referretur ad vsum in docendo Euangelio apud gentes vniuersas. Nam inde omnia fere illa commenta veterum, quae ante tetigimus, nata sunt. Et erat procliue ad hanc opinionem venire, rem ex vulgari linguarum vsu aestimantibus. Sed id ipsum

ipsum est, quod tenebras obfudit viris doctis in loci Paullini interpretatione, nec, vt nostra fert opinio, consistere cum iis potest, quae literae sacrae de eo dono perspicue tradidere: quae age in vnum locum colligamus, atque ita nobis viam ad verum praeparemus.

Ac primum Dominus noster Iesus Christus, in eo charismate promittendo, diserte id ab doctrina distinguit *Marc. XVI*, 17. et signum veritatis traditae et acceptae, non instrumentum docendae et explicandae facit, vt cetera, quae pariter promittit. Nec id Apostolis modo promittit, sed τοῖς πιστεύσασι, qui Euangelio ab iis tradito crediderint; qui non omnes doctores erant futuri. Idque firmauit euentus, in illis Iohannis discipulis *Actor. XIX*, 6. quos, nulla profecto caussa est existimandi, omnes factos doctores, vt nec Cornelium, centurionem, cum suis, *XI*, 44. 46. qui audiendo pie verbo credentes, id charisma acceperunt. Veniamus ad Paullum: qui ita de eo loquitur, vt non doctores Corinthiorum, sed de Corinthiorum coetu multos illius doni appetentes, dicat fuisse: et *XIV*, 2. sua si vota valerent, omnes hoc donum accepturos esse. An igitur omnes doctores Euangelii fieri, et proficisci ad gentes barbaras vel ipsi voluere, vel Paullus voluit, vt eas docerent Euangelium? Nullo sane modo. Immo ad vanitatem id donum ab iis expetitum esse arguit ac reprehendit, quod in eo esset maior admiratio quam in ceteris, iubetque expetere alia, etsi minus splendida charismata, at vtiliora Ecclesiae: in quo genere? in docendo, consolando, cohortando, similibusque. Non hinc planum fit, donum linguarum non ad docendum valuisse? Tum clarum est ex illo ipso loco, qui illo charismate essent donati, eo vsos esse in ipsa Ecclesia Corinthiaca, inter conuentus, qui sacrorum caussa fierent, vbi profecto non opus erat linguis peregrinis ad docendos homines, qui graece modo scirent. Quid? quod hoc donum a dono τῆς δι-

διαχῆς clare distinguit v. 6. 19. Atque etiam ita quosdam inter sacra lingua peregrina locutos esse diserte tradit, vt, quae dixissent, sua lingua tradere, hoc est, interpretari non possent, nec quisquam, quid dixissent, sciret, nisi aut ipsi pariter haberent charisma interpretandi, quae glossis dicta essent, aut praesto esset, qui facultatem diuinitus haberet interpretandi, quae ita prolata essent. Et talia sunt multa alia in capite quarto decimo, vt v. 2. vbi, qui lingua peregrina loquantur, non hominibus loqui dicit, quia nemo intelligat; nam id est ὐδεὶς ἀκύει: vt v. 13. vbi eos iubet rogare Deum, vt accipiant vim interpretandi, quae per glossas dixissent inspirante Spiritu diuino: v. 28. vbi iubet eos silere, nec vti dono suo, vbi desit interpres: v. 19. vbi se ait malle lingua vulgari loqui in Ecclesia, vt alios erudiat. Quae omnia planum faciunt, id donum proprie ad docendum datum non fuisse; etsi ad fidem pietatemque excitandam alendamque prodesse poterat, si quis adesset forte, vt olim Hierosolymis, qui intelligere posset, aut si quis dicta interpretaretur.

Dicat aliquis, etsi non in omnibus ad dicendi facultatem pertinuerit, tamen in Apostolis eo spectare potuisse. At Paullus illo dono supra ceteros instructus fuit, vt ipse ait, 14, 18. *Gratias ago Deo, quod vobis omnibus magis possum loqui linguis peregrinis;* quod male peruertunt, qui, ex versione latina, *μᾶλλον, magis,* deleri volunt, referuntque ad multitudinem linguarum, cum ad frequentiam vsus pertineat. Quid enim esset, *vestrum omnium linguis loqui possum;* cum Corinthii vna graeca lingua vterentur. Nam si maxime ibi essent Iudaei quidam, qui etiam chaldaice loqui possent, id tamen non esset, nec dignum illa tali gratulatione, nec ad hunc locum pertineret, in quo non de linguis vsu comparatis, sed diuinitus infusis sermo est. Quamquam et *Epiphanius,* auctor in hoc genere non locuples, ad solam graecam

graecam linguam refert, quam se Paullus dicat melius omnibus Corinthiis callere *adu. haer.* n. XLII. p. 363. quo nihil stultius dici possit. Sed, vt ad rem redeamus, si charisma linguarum ad docendi facultatem et vsum in Apostolis pertinuit, cur id supra ceteros datum Paullo, qui nuspiam docuit, vbi alius, quam chaldaicae aut graecae, vsus aut necessitas esset, nec vnquam alia vsus est, vt ex Actis eius clare patet. Nam eius doctrina se intra fines imperii Romani continuit, et regionibus fere graecis; omnibusque in locis initium docendi fecit a Iudaeis et in Synagoga, vbi sola graeca lingua vsurparetur, quae et in nobilibus vrbibus vulgo nota erat. Itaque et Romanae Ecclesiae graece scripsit, non latine. Nec vero ceteris Apostolis ad vsum docendi per orbem terrarum alia, quam vernacula Palaestinae, aut graeca opus erat, quam callebant vtramque, quantum erat ad hunc vsum satis. Erat enim inter Iudaeos in Palaestina lingua graeca, ab multo vsu et commercio cum Graecis e Syria, Asia, Aegypto, a multo tempore etiam vulgo nota. Nec id mirum potest peritis rerum videri; cum nunc quoque Francici generis homines, in Germania nati et educati, et vicissim Germani sub Francorum imperio degentes in ipsa Germania, vtramque linguam, quantum satis est ad vitae humanae rationes, teneant: ii autem Iudaei, qui ex omnibus terrarum partibus tum Hierosolyma confluxerant, vtramque linguam pariter calluerint, et Hierosolymitanam, et alteram illam, in qua se natos et educatos dicebant. Id autem tum in Oriente frequens fuisse, vt in vna eademque vrbe ac regione duae diuersae linguae promiscue vsurparentur, inter alia hoc quoque arguit, quod in ruinis Palmyrenis tituli vtriusque linguae, et graecae, veluti hospitae, et alterius indigenae, reperti sunt. Atque graeca illa videatur sufficere potuisse etiam iis, qui versus Orientem, et vltra Euphratem, cum Euangelio tenderent. Nam eae quoque regiones fuerant olim satis diu sub Graecis, arripuerantque vsum linguae

graecae, quae sibi iam ante Graecorum imperium viam in eas regiones per commercia, quae temporibus antiquissimis Graeci in omnibus partibus terrarum instituerant, ita patefecerat, vt multa eius verba in chaldaicum sermonem reciperentur. In quo auctorem habemus Danielem, in cuius libro graeca quaedam verba reperiuntur chaldaica forma; quae etiam adnumerat in *Exercitationibus contra Baronium p.* 434. *Casaubonus.* Sed si maxime opus erat lingua chaldaica aut simili dialecto, non magis necesse erat, eam ipsis infundi diuinitus. Ex quo fit, vt ad docendi rationem non desiderarint Apostoli linguarum scientiam, quam quas in patria vsu didicissent.

Nec minus hic valere debet obseruatio commemorata multis, qui in linguae graecae per omnem orbem terrarum propagatione cerni dixere prouidentiam aliquam diuinam, munientis Euangelio viam per omnem terram: quod aliter intelligi non potest, quam quod Christi legati vna illa lingua satis instructi essent ad omnia loca adeunda, et gentes omnes imbuendas disciplina Christi. Quod si est, non iis opus fuit dono linguarum aliarum, vt instrumento muneris Apostolici, inter gentes docendo gerendi. Certe planum est, iis nulla noua aut alia, praeter patriam et graecam, lingua opus fuisse omnibus in regionibus, e quibus Iudaei, aut sacris Iudaicis addicti, memorantur a Luca. Nec videntur Apostoli, si certis modo testimoniis velimus niti, vltra illarum regionum terminos progressi esse, sed fundatis Ecclesiis christianis, qua parte Iudaeorum olim velut coloniae fuissent, illis, et post futuris, latius propagandi Euangelii laborem curamque reliquisse. In Occidente certe non esse vlterius progressos, satis constat. Sed id qualecunque sit, parum vtique refert. Illud potius videndum est, vt, si charisma linguarum non habuit proprie docendi finem, aut vsum inter gentes, quarum linguas non didicissent, quo igitur fine

fine datum fuerit, et quem vſum habuerit in Ecclesia, reperiamus.

Primus igitur finis haud dubie pertinuit ad illos ipſos qui Christo, vt Apoſtoli et ceteri eius amici atque ſectatores, qui deinde Apoſtolis credidiſſent, vt Ioannei *Actor. XIX.* vt Cornelius cum ſuis, vt innumerabiles alii; vt ii confirmarentur, et hoc haberent pignus veritatis. Nam et hac de cauſſa, et horum χαρισμάτων nomine, Spiritus S. fuit arrhabo fidelium, fuitque in hoc dono inſigne teſtimonium Spiritus ſancti, quod perhiberet in animis fidelium veritati, quanquam ipſi ſuis ſignis ſatis lucenti. Alter, ab Christo ipſo et Apoſtolis clare proditus, attigit eos, qui nondum crederent: γλῶσσαι εἰσὶν εἰς σημεῖον τοῖς ἀπίστοις, ait Paullus, 1 *Cor. XIV,* 22. coll. *Act. V,* 32: vt earum admiratione percuſſi, animum aduerterent ad cogitandum et cognoſcendum, haberentque hunc aditum primum ad veritatis cognitionem; qui finis ei fuit communis cum ceteris donis, *Marc. XVI.* commemoratis, in quibus incurrens vehementius in ſenſus vis aliqua interceſſit. Nam in μερισμοῖς ἁγίου πνεύματος, quibus Deus doctrinae Chriſti συνεπιμαρτυρῆσαι, *teſtimonium veritatis perhibuiſſe*, dicitur Paullo (*Ebr. II,* 4.) donum linguarum numerandum eſſe, dubitationem non habet. Et videmus, quantum incrementum Eccleſiae pepererit ſtatim in principio, cum eius vim et cauſſam auditores admirabundi Petri oratione cognouiſſent *Act. II,* 41. Ceterum vterque finis eam habuit ſaepe coniunctionem, vt eodem tempore pariter teneretur: ſicut in illo primo veluti actu, et Apoſtoli confirmati ſunt euentu promiſſi, quod Chriſtus abiens in coelum iuſſerat exſpectari Hieroſolymis, *Act. I,* 4. et conuerſa eſt ad cognoſcendum de Chriſto, et ad credendum tanta multitudo. Ceterum, vt diuina ſapientia omnia, quantum fieri poteſt, omnibus conſiliis ſuis conſentientia efficere ſolet, ſic hos fines ita cum aliis religionis partibus copulauit vſu et actu, vt

idem charisma esset cuique etiam pietatis cum suae tum alienae incendendae et alendae. Etenim rem ita moderatus est Spiritus Dei, vt linguas fidelium ad loquendum per aliena verba flecteret in sacris, et conuentibus sacrorum caussa institutis, cum sermones fierent de rebus religiosis, scripturae legerentur *cet.* deinde, vt argumentum orationis esset totum in precando, et Deo laudando, eius operibus, decretis, beneficiis per Christum commemorandis. Id ita fuisse, patet omnibus locis Scripturarum, in quibus eius rei est commemoratio, inprimis *Act. II.* 1 *Cor. XIV.* Nam in illo quidem μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ sunt haud dubie laudes diuinae, quas celebrant ex ordine omnes, in altero autem ita clarum est, totum referri ad orandi et laudandi Dei rationem, vt nihil supra: Ὁ λαλῶν, inquit Apostolus, v. 13. τῇ γλώσσῃ, προσευχέσθω, ἵνα διερμηνεύῃ. Ἐὰν γὰρ προσεύχωμαι τῇ γλώσσῃ cet. *Qui lingua aliena loquitur, oret Deum, vt et interpretandi vim accipiat: nam si orem aliena lingua cet.* Vides, λαλεῖν τῇ γλώσσῃ et προσεύχεσθαι γλ. permutari: quod est perspicuum argumentum, nil differre: eique consentiunt cetera omnia, v. 15. 16. cet. Et haec quidem de fine et vsu huius charismatis dicta sunt: restat, vt de modo et forma eius quaeramus, iisdem ducibus.

Videamus primum exempla accipientium id χάρισμα, in quibus omnibus intelligitur motus quidam impressus a Spiritu sancto, linguas et ora flectentis ad laudem diuinam per vias nouas et incognitas, hoc est, per verba ignota et nulla institutione, nullo vsu parata. Nam eodem modo res exprimitur, quo fit in exemplis ab afflatu diuino repente loquentium, quae ipsi non cogitassent, aut meditatione sua praeparassent, vt *Luc. I,* 41. 42. 67. dicunturque vtrique pleni Spiritus facti: nec aliud est discriminis in vtroque genere, quam, quod his suo et noto sermone subiicitur, quod dicant, illis alieno et ignoto. Paullo aliter res acta est in iis, qui non primum incipe-

inciperent ita loqui, sed vterentur charismate ante accepto. Nam dicuntur γλῶσσαν ἔχειν, 1 *Cor. XIV*, 26. Ceterum modus est idem, fitque oratio non per scientiam illius linguae nouae, qualis est in iis, qui didicere, sed impulsu spiritus et actione diuina, vt in omni θεοπνευστίᾳ et inspiratione diuina. Id intelligitur ex eo planissime, quod Paullus clare dicit, in iis, qui eo charismate vterentur, fuisse, qui, quae sermone peregrino dixissent, eloqui suo non possent; quod nullo modo locum habet in iis, qui linguae facultatem habent talem, qualis est a disciplina et exercitatione, vt ea vti possint, quando et quomodo velint. Nam hi, quae ante, fere suo, vernaculo sermone, cogitarunt, eloquuntur, v. c. latino, et quae latine dixere, facile reddunt, et sermone patrio interpretantur petentibus, nec requirunt alium interpretem orationis suae, latine prolatae. Similisque est ratio *Interpretum* Paullinorum, in quibus valde se torserunt multi. Non enim sunt tales, quales vulgo dicimus: sed qui ab alio dicta, per diuinam suggestionem statim ex ordine reddunt lingua nota, cum ipsi illius linguae, cuius verba interpretantur, sint rudes. Neque enim aliter esset χάρισμα Spiritus sancti, quod cum ἀποκαλύψει et similibus comparari, aut precibus a Deo impetrari, nec potius discendo comparari deberet.

Atque sic rem antiquissimis temporibus, et aetati Apostolicae proximis, intellectam esse, colligi posse videtur e *Tertulliani* loco, in quinto contra *Marcionem*, p. 591. *Exhibeat itaque Marcion Dei sui dona, aliquos prophetas, qui tamen non de humano sensu, sed de Dei Spiritu sint locuti, qui et futura praenunciarint, et cordis occulta traduxerint. Edat aliquem psalmum, aliquam visionem, aliquam orationem duntaxat spiritalem, in ecstasi, id est, amentia, si qua linguae interpretatio accessit* *).

 In

*) Obiter admonemus, illa verba *de humano sensu cet.* exprimere θέλημα ἀνθρ. 2 *Petr. I, extr.* tum eleganter, *occulta cordis*

In his, clarum est, vltima, esse e 1 *Cor. XIV*, 26. ὅταν συνέρχησθε, ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει, γλῶσσαν ἔχει, διδαχὴν ἔχει, ἀποκάλυψιν ἔχει, ἑρμηνείαν ἔχει, non verbum de verbo exprimendo, sed sententiam, cum aliqua tamen varietate. Nam *psalmum* videmus, *visionem*, ἀποκάλυψιν, *orationem spiritalem*, διδαχήν: cetera pertinent ad γλῶσσαν, nisi *orationem spiritalem* eo referre velis, quod orationem de precibus dicere solet *Tertullianus*, reliqua ad ἑρμηνείαν. Vtcunque sit, locus hic primum valet, vt id obiter moneamus, etiam ad reuincendam *Marklandi* (ad *Lysiam* p. 574.) coniecturam, pro γλῶσσαν corrigentis γνῶσιν, et non necessariam, et abhorrentem, quod ἑρμηνεία sequitur, quae sine γλώσσης mentione stare non potest, respiciturque ad v. 13. Deinde indicat, *Tertullianum* orationem ἐν γλώσσῃ a vi Spiritus sancti duxisse, et in ea ἔκστασιν quandam intellexisse, quod optime conuenit iis, quae diximus.

His ita explicatis et constitutis, primum intelligitur, in eo non falsum fuisse *Midletonum*, quod, post *Salmasium de lingua Hellenist. p.* 252. in illo charismate motum Sp. S. transeuntem modo fuisse, defendit, qualem in inspiratione diuina inter scribendum fuisse scimus, nec id pertinuisse proprie ad facultatem docendi et scribendi: in

cordis traduxerit, Paullinum 1 *Cor. XIV*, 25. τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας φανερὰ γίνεται, nempe, vt prauitatem consiliorum occultorum indicet, quae patefaciat propheta; quo sensu τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας in libris sacris dicuntur. Nam *traducere* (παραδειγματίζειν) est Latinis, maleficum hominem contumeliae caussa ducere per ora hominum ad spectandum: eoque verbo vsus est, vt sententiam Apostoli plene exprimeret, quod *consilia occulta* Latinis etiam in bonam partem dicuntur. Sunt multa in illo scriptore ad bene intelligendam phrasin N. T. vtilia, itemque ad κρίσιν. Sed eo consilio legendus est, vt obseruentur: quam rationem in eo legendo habuisse, vix quemquam nouimus, praeter *Semlerum*, Theologum eruditissimum.

in quo etiam nihil incommodi est ad rem Christianam. Sed in hoc errauit vehementer, quod eum motum semel impressum ita transisse defendit, vt nunquam repeteretur. Nam id prorsus repugnat iis, quae Paullus de hoc charismate suo et aliorum Christianorum inter Corinthios tradit: ex quibus clarum est, eum motum rediisse subinde inter conuentus, qui sacrorum caussa fierent, ad vsum precandi et veritatis firmandae. Et propter hanc caussam recte defendi potest, id charisma tenuisse, quibus contigisset, ἕξεως *habitus* modo, quod defendit cum aliis *Warburtonus*, sed non hactenus, vt eas linguas, quibus in illo motu diuino loquerentur, ita postea in potestate haberent, vt iis vti in vita quotidiana, in sermonibus quibuscunque, in scribendo possent, quod secus fuisse, per ea intelligitur, quae supra disputauimus. Quod si ita rem concepissent, comparandis diligenter locis Scripturarum eo pertinentibus, totam illam disputationem de genere orationis Apostolicae, quoad grammaticis et rhetoricis artibus iudicatur, ab hac caussa esse alienam vidissent; in qua et *Midletonus* grauissime et periculose errauit, cum orationem graecam Apostolorum indignam esse Deo auctore, nec originem a Spiritu S. habere posse defendit, quod grammaticam et rhetoricam elegantiam non habeat, et *Warburtonus* fecit parum eleganter, nec vt dignum erat tanta doctrina sua, cum *Midletoni* refellendi caussa, super indole linguarum, et tota hac caussa philosophando, eo descendit, vt orationem maxime vitiosam verbis, Deo et religione dignissimam diceret; vicissim, cum refutet *Midletonum* (L. I. c. 7.) existimantem, genus orationis, quod Spiritus sanctus suggerat, debere esse ex omni parte perfectum, ipse, de inspiratione librorum sacrorum differens praecedentibus capitibus, sententiam de inspiratione verborum pro superstitiosa reiicit, iisdem fere de caussis, quibus *Midletonus* in sua sententia defendenda erat vsus. Adeo homines etiam doctissimi sibi non constant, cum in disputando non, quid vera principia

cipia semel constituta postulent, sed quid in singulis caussis : ro sua opinione dicere possint, vident, et cupiditate magis sua incitantur, quam tranquillo veritatis amore ducuntur.

Ceterum, hac nostra ratione probata, quid lucis accedat verbis Paulli v. 14. 15. 16. 19. videamus; in quibus orationem precantium eam, quae fiat ἐν γλώσσῃ, *lingua externa*, ait fieri ἐν πνεύματι, quocum etiam verba ἐν γλώσσῃ v. 19. permutat, eique opponit preces et verba, quae fiant διὰ τοῦ νοὸς vel νοΐ. Nam si in omni illius doni vsu est extraordinarius Spiritus sancti motus, vt in ἀποκαλύψει, et, vt *Tertullianus* appellare videtur, ἐκστάσει, in qua qui sunt, dicuntur esse ἐν πνεύματι, *Apoc.*, *I*, 10, nam id nihil differt ab altera forma ἐν ἐκστάσει, *Actor.* *XI*, 5. si ita, inquam, est, vt nos existimamus, in precibus, quae fiunt ab aliquo in Ecclesia ἐν γλώσσῃ, erit mera perpessio animi, recipientis motum impressum diuinitus, cuius perceptio intima adficiat animum apte ad pietatem. Sed ille sensus non magis prodit foras, quam illi στεναγμοὶ ἀλάλητοι, *Rom.* *VIII*, 26. seruitque adeo precanti, non audienti. Quod secus est, cum aliquis in precando vtitur vi cogitandi, quaerens ipse sententias, et ordinans, et verbis suis, et aptis, et notis coetui audientium, exprimens. Nam in hac actione, quae proprie est, secundum Graecorum consuetudinem loquendi, νοούντων, συννοούντων, adeoque τοῦ νοὸς, non modo animus cogitantis pie mouetur, sed etiam pari sensu adfici possunt ii, qui audiunt. Atque hoc firmat versus quartus, vbi ait, eum, qui ἐν γλώσσῃ loquatur, ἑαυτὸν οἰκοδομεῖν, (quod v. 14. est πνεῦμα προσεύχεται) non alios, ἐκκλησίαν, pro quo v. 14. est ὁ δὲ νοῦς ἄκαρπός ἐστι, *at mens mea nullum fructum edit*, nullam οἰκοδομὴν affert praesenti et audienti Ecclesiae, quod tamen fieri debet in omnibus, quae in Ecclesia aguntur. Vno loco, v. 2. πνεύματι λαλεῖν aliter dicitur, non vt de instrumento, sed vt de fine, ad quem

quem tendat actio loquentis *ἐν γλώσσῃ* quod non est alienum a consuetudine Paullina, qui libenter vtitur figura variante eiusdem verbi sensum, *πλοκὴν* vocant Rhetores: *πνεύματι λαλεῖ* inquit, *μυστήρια*, *animo suo*, i. e. sibi, vt xit v. 28. *loquitur arcana:* non quae sibi sint, alioqui sibi non prodesset, quod tamen fit; nam *ὁ λαλῶν ἐν γλώσσῃ, ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ*, v. 3. sed quae sint audientibus: *οὐδεὶς γὰρ ἀκούει*, *nemo enim intelligit*, quid dicat: estque phrasis Graecorum et Latinorum, prope vim prouerbii habens, *mihi ista sunt mysteria*, cum volunt dicere, nihil eorum, quae dicantur, a se intelligi.

Non aliena haec ab temporis huius cerimonia sunt, nec nihil refert, an et quomodo ista, quae de donis Spiritus sancti in Scripturis traduntur, intelligamus. Nam et scrutari opera diuina, praesertim ea, quae filio Dei et regno eius illustrando seruierint, conuenit, et male intellecta locum faciunt dubitationibus et opinionibus, vt vidimus, periculosis; quibus aditum praecludere accurata rerum cognitione debemus, quibus etiam occurrere disputando posse decet, qui religionis Christianae doctrina tuendae munus vel sustinent, vel appetunt. Nec tamen talium et omnium aliarum rerum diuinarum scientiam, quamuis accuratam et copiosam, trahere ad ostentationem et vanitatem, ad fastum decet, vt in illis donis faciebant Corinthii, nec sibi docti esse debent Doctores, sed Deo, sed Ecclesiae, sed discipulis, sibi autem hactenus modo, vt scientiam conuertant ad incendendum studium pietatis et virtutis, quae debet esse in quoque hoc maior, quo est rerum diuinarum scientior. Nam omnis haec scientia comparari debet, et est data diuinitus, vt per eam et accipiamus dona Spiritus sancti, pertinentia ad salutem nostram, et augeamus, fidem et sanctitatem, quae etiam sunt maiora et salubriora vtentibus, quam illa vetera fuere, quae ad fundandam Ecclesiam Christi erant data. In quo est salubris et apta huic tempori cogitatio, quam

quam die craſtino, in aede Paullina, inter Sacra Eucharistica, diſerta oratione alet Vir doctiſſimus, *M. Dan. Gotthold Ioſephus Hublerus*, Fribergenſis, qua, comparando Eccleſiae primae et noſtrae conditionem, nihilo noſtram minus felicem demonſtrabit, quae donis Spiritus S. veteri conceſſis careat, debeatque contenta eſſe iis, quae ad fidem et ſanctitatem pertinent.

AD

AD

ACT. APOST. III, 21

AD
ACT. APOST. III. 21

In diebus iis, quibus Iesus Seruator, sublatus in coelum, primum conspicuam fecit acceptam a Patre maiestatem, nihil magis conuenit cogitatione amplecti, quam documenta eius per Apostolos edita, iisque considerandis implere animos admiratione et excitare ad cultum tanta maiestate dignum. Sed eorum duo genera sunt: alterum pertinens ad intelligendam vim diuinam, cui vniuersa natura visibilis pareat, alterum, quod cernatur in animis hominum flectendis ad obediendum; in quo proprie intelligitur Regnum Christi, cuius demonstratio prima, in vrbe Hierosolymitana, vetere regni Davidici sede, inde post per omnes terrarum partes fieri debebat *Ps. CX*, 2. Ex illo genere primum editum est in ipsis Iesu Christi discipulis, repente vsurpantibus sermonis genera, nunquam per disciplinam aut consuetudinem aliquam cognita, cum summa audientium admiratione: alterum per eosdem, verbo sanantes hominem pedibus captum ab vtero matris: in genere altero est admiranda illa magnae multitudinis ad fidem Euangelio habendam conuersio, facta per Apostolorum orationes.

Sed in his orationibus quaedam sunt, nondum satis accurate explicata, et propterea in varias sententias tracta ingeniis interpretantium, dum id quisque reperire in iis cuperet, quod esset suis opinionibus opportunius. In his vel maxime sunt verba orationis secundae, Cap. III. segmento primo et vigesimo, vbi Petrus, cohortatus populum, vt agnoscerent culpam, in Iesu repudiando et

interficiendo commissam, et emendarent fide in ipsum, pollicitusque condonationem tanti facinoris peccatorumque ceterorum, et salutis per Christum partae communionem, adiungit haec: ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων cet. Haec igitur hoc tempore ab ambiguitate liberare, iisque certum sensum reddere tentabimus, ne posthac ad priuatas opiniones accommodentur, sed potius prosint ad firmandam veritatem, perspicuis alibi testimoniis Scripturarum sacrarum traditam, et ad intelligendam sapientiam consiliorum diuinorum in constituenda et administranda salute humana per filium suum. Sed interpretum sententiae in diuersa trahuntur tribus de rebus: primum, cum quaeritur, verba prima quomodo accipienda sint, vtrum sic, vt Christus coelum capessierit, an, vt eum acceperit retineatque coelum: deinde, quomodo tempus definitum expressumque sit, et quod tempus intelligi debeat: denique, quae sit ἀποκατάστασις πάντων. De quibus singulis breuiter dicemus.

Atque in primo quidem, si valet aliquid antiquitatis auctoritas, magnum praeiudicium facit in partem eam, quae coelo receptum Christum intelligit, ibique ad certum tempus mansurum. Antiquissimum testimonium habemus *Iustini Martyris*, in Apol. I. §. 60. ὅτι δὲ ἀγαγεῖν, inquit, τὸν Χριστὸν εἰς τὸν οὐρανὸν ὁ πατὴρ πάντων Θεὸς, μετὰ τὸ ἀναστῆσαι ἐκ νεκρῶν αὐτὸν ἔμελλε, καὶ ΚΑΤΕ΄ΧΕΙΝ, ἝΩΣ ἊΝ, cet. In quibus, clarum est, eum in animo habuisse verba Lucae, eaque sic accepisse, vt diximus. *Didymus* porro Alexandrinus (in Catena ap. *Wolf. Anecd. Gr. T. IV. p.* 17.) sic interpretatur: ἡγητέον, ὡς ὁ Χριστὸς ἀναληφθεὶς εἰς οὐρανοὺς μένει ἐκεῖ ἕως τῆς τοῦ κόσμου συντελείας, ἐλευσόμενος μετὰ δυνάμεως, ἀποκαταστάντων πάντων, cet. quae totidem verbis repetita sunt a *Theophylacto* ad h. l. Nec aliter *Chrysostomum* cepisse manifestum est. Quaerit enim, quare non dictum sit, ὃν οὐρανὸς ἐδέξατο, sed ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, quasi nondum susce-

cepe-

ceperit, respondetque, ὡς περὶ τῶν ἄνω χρόνων διαλεγόμενος, οὕτως ᾠκονόμηται, οὕτω συνετέθη, φησί, *tanquam de superioribus temporibus dicat, ita loquitur; tanquam si diceat: Sic dispositum est, sic constitutum:* quae planius edisserit Enarratio Actorum, quae sub *Oecumenii* nomine editur: καίτοιγε ὑπεδέδεκτο ἤδη κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀναλήψεως· ἀλλὰ τούτῳ ἰδιωτικώτερον κέχρηται τῷ λόγῳ (sc. Petrus) συνήθως τῇ ἑαυτοῦ ἐπιστολῇ cet. ὥστε τὸ, ὃν δεῖ ὑποδέξασθαι, (sic) τὸ δεῖ ἀντὶ τοῦ ἔδει εἰλῆφθαι, *enimuero susceptus erat* (in coelum) *iam tempore ascensionis. Sed crassius locutus est, vt facit et in epistola* (prima) cet. *vt adeo* oportet *pro* oportebat *capiendum sit.* Haec omnia latebant *Bezam*, cum hanc interpretationem defenderet, cogebaturque vno *Gregorii Nazianzeni*, eoque haud satis idoneo, loco, vti. Nec plus sciebant nostri, repugnantes huic rationi, vt *Chemnitius Loc. Theol. P. III. p.* 165. Nec ab Graecorum interpretatione recessisse alias Ecclesias, primum Syriaca versio docet, quae eodem modo interpretatur, tum antiquissimae versiones Latinae arguunt, quae varie quidem verbum δέξασθαι interpretantur, vt *recipere*, Vetus, quam Italicam appellant, *accipere*, Cantabrigiensis cum *Tertulliano* de resurr. Carn. p. m. 396. *suscipere* denique Vulgata, cum ea, quae est ap. *Irenaeum* Libri III. principio; sed omnes ita, vt ad *coelum* referant. Et sic accepere etiam Latini, quos nos quidem cognouimus, interpretes, velut *Beda* in lectu digna *Retractatione* in *Act. Apost. Hoc est*, adscribit illis verbis, *quod eidem Domino I. C. a patre dictum Psalmista testatur: Sede a dextris meis cet. Assumtus namque est in coelum et sedet a dextris Dei: in qua nimirum sede paternae maiestatis semper diuinitus manet, neque inde vnquam absuit.* Quae sumta esse e Graecis, facile comparatio doceat.

Sed veteres, cum verba ita interpretabantur, nec ipsi ea ad circumscribendam Christi maiestatem trahebant, nec alios facturos sperabant. Primus *Beza*, dum acrius defen-

defendere conatur abſentiam naturae Chriſti humanae a terris, vt veram corporis et ſanguinis in Euchariſtia praeſentiam tolleret, hanc interpretationem ad eam opinionem firmandam contulit, eaque re, vt fit, ſuſpectam et inuiſam noſtris fecit: vnde coepit interpretatio altera vulgatior eſſe, et a plerisque prope canonica haberi, quae τὸ δέξασθαι, capiendi actum, ad Ieſum refert, ab eoque coelum occupatum dici, defendit. Nunc, cum ille ardor diſputandi refrixit, liberiori animo licet iſta tractare, et diiudicare, quae ſit eorum verborum ſententia.

Iam primum, ſumi hoc arbitramur poſſe, non refragantibus, qui linguae graecae vſum aliquem habent, verbum δέχεσθαι, cum iungitur loco, eiusdem eſſe attributum: locus proprie capit hominem, non homo locum. Nec ea ratio tollitur, paucis exemplis in contrarium allatis, in quibus quaedam etiam ſunt aliena. Non enim ſinunt vera interpretandi praecepta, ab ſignificatione verborum propria et vulgata recedere, et ſequi paucorum exemplorum auctoritatem contrariorum, praeſertim in libris Apoſtolorum, qui illa rariora ignorabant, niſi euidens neceſſitas cogat: quae profecto hic nulla nec intellecta eſt ab antiquis, nec intelligi poteſt. Immo vero res et conſilium Apoſtoli iubet manere in vſitata illa ſignificatione verbi δέξασθαι. Eſt autem clarum, Apoſtolum docere velle, quare Chriſtus peracta in terris expiatione peccatorum, e medio diſceſſerit, ſublatus in coelum; nempe quod ita placuerit Deo, eum interea in coelo eſſe et manere, ſedentem a dextra ſua, et remotum ab oculorum humanorum adſpectu, dum durent tempora Oeconomiae Euangelicae, quae praedixerit per Prophetas. Sed huic rei magis apta videtur interpretatio illa antiquior: coeli debent Chriſtum receptum retinere, quam recentior: Chriſtus debuit coelum, ſedem maieſtatis diuinae, occupare; praeſertim cum illi etiam cetera melius conueniant. Eſtque ſimillimum illud *Lyſiae* Or. c. Andoc. p. 117. vbi hominem expulſum patria, nullam dicit

dicit vrbem recipere in perpetuum voluisse: καὶ τὸν ἄνδρα — ἡ πόλις ἤθελε δέχεσθαι διὰ τέλες.

Sed coelum, Petrus ait, habiturum esse Iesum ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. In quo tempus non ita definitur, quemadmodum quidem plerique veterum et recentiorum existimauere, vt finis, ad quem vsque mansurus sit in coelo Iesus, exprimatur per ἀποκατάστασιν πάντων, sed potius, vt tractus temporis, per quod durare illa mansio coelestis debeat. Itaque sensus est: *dum durant tempora* ἀποκαταστάσεως e decreto diuino. Decepit homines particula temporis ἄχρι, vulgariter accepta; quae non modo terminos temporis, sed etiam tractum et durationem exprimit, vt in ipsis libris sacris *Act.* XX, 6. ἄχρις ἡμερῶν πέντε, quinque dierum spatio, et *Ebr. III*, 13. ἄχρις ὗ τὸ σήμερον καλεῖται, *quoad hodie dicere licet;* quam varietatem significandi cum ea communem habet Hebraeorum עד, vt opinamur: vnde formam עד־עולם οἱ ὁ vertunt etiam δι' αἰῶνος, *per omne tempus;* nec est aliud. Cuius rei admonere debebant interpretes χρόνοι, qui non sunt temporum termini, sed temporum continuationes, spatia cet. Μέχρι χρόνου quidem apud Graecos semper est *per tempus omne*, quoad tempus est, i. e. semper, in perpetuum, sicut μέχρι ζωῆς, *per omnem vitam.* Nec obstat, quod est apud Thucydidem l. 13. μέχρι τοῦ αὐτοῦ χρόνου, *ad ipsum tempus*: nam et ibi temporis tractus intelligitur: sunt anni sexaginta et ducenti per eundem temporis tractum elapsi. Sed claram vtriusque rei distinctionem faciunt ipsi scriptores diuini. Nam Paullus Apostolus cum vellet dicere durationem ad temporis vsque aduentum, μέχρι καιρῦ dixit *Ebr. IX*, 10. non μέχρι χρόνυ, vel χρόνων.

Ex quo statim intelligitur, quod erat tertium, χρόνυς ἀποκαταστάσεως πάντων, non esse de fine rerum humanarum intelligendos, sed de toto illo temporis tractu, qui, de consilio diuino et decreto, labi ab abitu Christi in coelum ad finem vsque rerum debet, cum ita in con-

ſpectu hominum redibit in terram, vt abiit ante in coelum *Act.* I, 11. Christum habebunt coeli per omne ἀποκαταστάσεως tempus, nec ante eum terris conſpiciendum reddent, quam definita ἀποκαταστάσεως tempora exierint. Ἀποκατάστασις autem quid ſit, in eo diſſenſere omni tempore interpretes, dum in explicando etymologiam potius verbi et Lexicorum vulgarium auctoritatem ſequuntur, quam ipſas Scripturas audiunt; ſuntque nonnulli ad fanaticas opiniones prolapſi, quae ne nunc quidem euanuerunt.

Optimum autem interpretem habemus Paullum *Ebr.* IX 10. manifeſte, quam Lucas ἀποκατάστασιν vocat, διόρθωσιν appellantem: quo in loco etiam antiquior Interpres latinus διορθωσιν vertit *reſtitutionem*; pro qua *Hieronymus* reſcripſit *correctionem*. Sed διόρθωσις opponitur a Paullo veteri diſciplinae Iudaicae, per legem ritualem conſtitutae; quae durare ad διορθώσεως vſque tempus debebat. Vnde fit, vt ἀποκατάστασις πάντων nihil aliud ſit, quam Euangelii clara, et ab omnibus figurarum et rituum vmbris libera doctrina, per Ioannem primum denuncianda, per Ieſum deinde proferenda inter Iudaeos et per Apoſtolos quaqua verſum propaganda, in Eccleſia denique, per ipſorum aliorumque miniſterium conſtituta, ad ſalutem hominum tradenda. Etenim in ea re fuit veteris diſciplinae Moſaicae emendatio et doctrinae religioſae perfectio. Neque enim in διορθώσεως verbo nimis premenda eſt etymologia, et mera correctio intelligenda: quippe hoc genus verborum graecorum etiam perfectionem et excellentiam aliquam exprimit. Κατορθώματα quidem et διορθώματα ſunt res praeclare ad ſalutem patriae geſtae vel conſtitutae: in ſcholis Philoſophorum κατορθώματα etiam *officia perfecta*, *virtutes perfectae*, quae mediis et vulgaribus opponuntur, in quibus tantum ſunt adumbrata officii ſimulacra. Theodoretus quidem ad h. l. cum διορθώσει permutat rectè τελειότητα. Haec talis διόρθωσις vel ἀποκατάστασις tum doctri-

doctrinae, tum cultus religiosi, et beata inde futura tempora, promissa fuere, vt ait Petrus, (neque enim alio trahenda sunt ista) a prophetis, primum a Mose; cuius grauis commendatio, pertinens ad doctrinam prophetae maioris, profecto spectat ad doctrinae ipsius et cultus perfectionem. In quo, vt hoc obiter dicamus, magnum argumentum est aduersus eos, qui in illo propheta, Mosis similitudinem habituro, Iosuam aliosque post eum intelligunt: in quos illa noua perfectio doctrinae non cadit. Tum *Dauid* in Psalmis pluribus, *Iesaias XI*, 9. *Ierem. XXXI*, 33. aliique prophetae, quam luculenter praedicant felicitatem temporum Messianorum propter nouam doctrinae lucem et cultus religiosi pulchritudinem? Vel in illo Psalmo, qui ad h. l. quem in manibus habemus, maxime pertinet, i. e. decimo et centesimo, quam pulcre describitur, multitudine repentina fidelium, cultu non molesto et coacto per victimas, in quo iacturae perpetuae essent rei familiaris, sed puro et spontaneo, qui est e fide, commemorandis. Et eo respici a Petro, clarum faciunt verba, quae, denunciata esse a Prophetis orta iam tempora, (κατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας, scilicet ἀποκαταστάσεως κ.) pronuntiant.

Sed de verbis adhuc aliquid dicendum videtur. Ac primum errant, qui in verbo ἀποκαταστάσεως praepositionem ita vrgent, vt modo rerum corruptarum emendationem intelligant, etiam e *restitutionis* verbo, quo latini interpretes fere vtuntur; cum nihil intelligi debeat, quemadmodum diximus ante, nisi maior, et vera, etiam noua perfectio religionis; vt, cum Graeci τὰ καθεστῶτα dicunt, Latini *constituta*. Itaque et in Elia altero, quem Iudaei dicebant πάντα ἀποκαταστήσειν *Matth. XVII*, 11. hoc est, Ioanne, nihil aliud intelligendum, quam illa melior et luculentior praedicatio Euangelii, quae nihil, nisi poenitentiam et fidem in Messiam propediem in publicum proditurum, postulabat. Origenes ἀποκατάστασιν videtur referre ad remissionem peccatorum (*Homil.* 14. in

Ierem. c. XV, 19. *T. III. opp. p.* 221.) quod in ea esset genus sanationis, explicans verbum e Graecis Ieremiae: ἐὰν ἐπιστρέψῃς πρός με, καὶ ἀποκαταστήσω σε, quod ille refert ad sanationem plagae et vulneris, cuius ante mentio fit. Sed in hebraico textu aliter est, nec de sanatione intelligi hebraicum verbum potest. Ceterum ea vis verbi est in N. T. vbi de manu sanata dicitur, *Matth. XII*, 13. Nec vero τὰ πάντα, quorum ἀποκατάστασις promissa fuit, alio, quam ad religionis disciplinam referenda sunt: nam nec in Ioannea ἀποκαταστάσει τῶν πάντων aliter intelligi possunt: et tum in omni genere sermonis, tum in Scripturis, τὰ πάντα circumscribenda sunt eius rei terminis, de qua sermo est. Bene illa apud Ioannem IV, 25. Samaritana mulier: Scimus, inquit, Christum venturum; is cum venerit, ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα; similiterque Ioannes τὰ πάντα εἰδέναι, et veritatem cognouisse, i. e. Euangelii veram et perfectam scientiam habere, permutat, Epist. primae II, 20.

Erasmus mirabatur, quare in versione latina huius loci apud *Irenaeum III*, 1. ἀποκατάστασις πάντων, per *dispositionem* omnium expressa esset, nec capiebat illius verbi vim: quod sane, secundum vulgatas ἀποκαταστάσεως πάντων interpretationes, est alienum, at, secundum nostram, vel Paullinam potius interpretationem, optime conuenit, ostenditque, in Ecclesia antiquissimis temporibus fuisse, qui ita acciperent. Nam Euangelium, quod a Christo et Apostolis traditum tenemus, est profecto dispositio, ordinatio, constitutio religionis perfecta. διόρθωσις, οἰκονομία noua a Deo promissa in V. T. quod verbum per *dispositionem* exprimit vetus latinitas Ecclesiastica, saepe *Tertullianus*, in quo est latinitatis illius basis.

Nec praetermittenda videtur versio, quae est apud hunc ipsum *Tertullianum*, quo supra indicauimus loco: vsque ad tempora *exhibitionis omnium*: siue ipse ita vertit, siue ex aliquo versionis exemplo sumsit. Id consentit cum Syriaca, interpretante *euentum omnium*, quae a Deo

Deo promissa essent. Dicitur autem in hunc sensum exquisita latinitate *exhibitio:* et vetustiores quaedam versiones hoc verbo etiam τὸ ἀποκαθιστάνειν *Act. I, 6.* interpretabantur. Apud *Augustinum* quidem, pluribus libris, hoc verbum *praesentare* vertitur: *Domine, si in hoc tempore* praesentabis *regnum Israël?* (v. loca collecta in *Sabatierii Bibl. Ital. vers. T. III. p.* 498.) quod nihil aliud est, quam exhibebis, praestabis, secundum promissa Dei antiqua. Nam et *Glossae* antiquae verbum ἀποκαθιστάνειν *exhibere* pariter ac *repraesentare* interpretantur. Et est haec interpretatio verbi ἀποκαταστάσεως per se commoda, sed hic cum contextu non satis consentit, secundum ea, quae supra diximus, nec cum interpretatione Paullina. Haec de interpretatione verborum. Sed ea sunt conferenda ad vsus doctrinae et pietatis.

Ac primum, si Christus, de consilio diuino, in coelo mansurus est, remotus a conspectu hominum, dum durabit haec Oeconomia Euangelica, hoc est, ad finem vsque rerum: frustra profecto alius, et intermedius inter primum et vltimum, aduentus Christi in terras fingitur, ad reuocanda in vitam Martyrum corpora, et cum iis regnum visibile, et quod proprie dicatur, siue in terra siue in coelis, vt quidam dicunt, exercendum, et quidem in mille annos: intelligiturque symbolicas illas visiones esse πνευματικῶς interpretandas, ne pugnent cum iis, quae Christus et Apostoli de rebus futuris perspicue, et sine vllo inuolucro figurarum, praedixerunt. Quippe ad horum potius normam interpretandae sunt figurae, quam per has illa torquenda ad phantasiae ludibria.

Sed nos illud potius quaeramus, quare ita placuisse putemus sapientiae diuinae, vt Christus, peracto opere, cuius caussa missus erat, subtraheretur oculis hominum, in coelo tantum spectandus. Neque enim minor foret in terris, quam est in coelo. Quippe et hic Deus est, hic dextra eius, ad quam consedit, i. e. maiestas, in cuius consortium venit. Et videri potest fidelibus ad suauitatem

vitatem vberrimum fore, si coram daretur intueri os Servatoris carissimi, Ecclesiae vero vtilissimum, si vocem audiret Domini ipsius. Nam quae ei ab impiis iniuriae fieri possent, eae non leuiores sunt, aut minus indignitatis habent, cum inferuntur non ita praesenti, vt oculis cernatur. Verum ista debent non sensibus nostris et ἀνθρωποπαθῶς aestimari, sed ad Euangelici spiritus puritatem iudicari. Nam nos, propter naturae nostrae imbecillitatem, nimis proni sumus in hanc partem, vt res etiam diuinas aliquo modo ad sensus referamus, iisque earum praestantiam metiamur. Deus autem, per Euangelium filii sui et vniuersam illam Oeconomiam Euangelicam, ab iis nos potius abducere voluit, vt spiritus ab eorum imbecillitate paullatim liberatus, acutius cernere, et veram lucem ac vim rerum coelestium capere disceret, quae in Euangelio Christi spectandae mentibus et cognoscendae proponuntur. Ei consilio sane consentaneum videtur esse, quod adspectus Christi nobis ademtus est; qui profecto si daretur nobis, cum auditu vocis eius, quamvis grata oculis auribusque res foret, tamen non posset vllo modo eam nobis imprimere speciem maiestatis eius, qualem a verbo, quod in Apostolorum scriptis sonat, accipere possumus, si modo bene intellectum animis nostris identidem admouemus; impediret fortasse potius, propter imbecillitatem nostram. Nam illa oris species, tamen corporis modo foret: at in verbo spiritualis ac vera maiestas Christi lucet, quam cum animus recte in verbo Euangelii contuetur, repletur vera Dei patris cognitione, eiusdem vero amore, vero ei obediendi studio, vera et liquida consolatione. Quod Christus ipse dixit: *Caro nihil prodest, spiritus est, qui viuificat; at verba mea habent illum spiritum viuificantem:* id, tum dictum iis, qui sensibus metiebantur, quae de carne sua edenda ad salutem dixerat, etiam latius patet. Sed homines, vt bene Lutherus noster solebat dicere, nunquam satis aestimant verbum Dei, et ne possunt quidem: tanta est eius praestantia.

ftantia. Itaque alia captant, in quibus putent esse aliquam vim magnam, et quae non sit a verbo; hoc est, in quo sensus et phantasia habeant, quo moueantur et afficiantur. Videmus Euangelium per Apostolos praedicatum non modo non minus, sed etiam plus valuisse ad fidem hominum, quam cum ex ore Christi coram audiretur: ita dispensante rem Deo, vt intelligeretur, non ab humanis rebus, sono vocis, figura corporis, similibusque in sensus incurrentibus rebus, vim singularem aliquam proficisci, sed ab solo verbo suo, quod a spiritu Christi inuisibili proficisceretur et animis hominum admoueretur. Ac nescimus, an satis digne Euangelio Christi faciant, aut multum proficiant ad id, quod spectant, qui de altera illa in coelis vita beata aut dicentes apud populum, aut scribentes populo, nimis multum commemorant adspectum Christi, amplexationes etiam et oscula, quae profecto nulla futura sunt; cum interea taceant fere de inuisibili maiestate Christi, quae nobis tum erit et mentibus nostris ad cognoscendum velut apertior, immo tota retecta, hoc est, de immensa operis ab ipso peracti ad salutem hominum praestantia, in gubernanda Ecclesia demonstrata sapientia, omnisque veritatis ab eo nobis traditae sanctitate et salubritate, quae tum planissime cognoscentur. Nam in his est verus et melior Christus, quem cum summa suauitate videbimus in coelis, etiam corpore nondum recepto; cum interea etiam iucundum erit, videre corpus illud, cuius velut instrumento vsus est filius Dei, ad expianda peccata nostra, et in terris patefaciendum voce sua consilium patris de salute humana.

Sed huic coelesti et vere diuino spectaculo praeparandus est animus in hac vita, primum consilium diuinum eiusque sapientiam in auocato ex terris et conspectu hominum filio suo Iesu agnoscendo, deinde animum ad invisibilem eius maiestatem in Euangelio reuelatam convertendo, vt eam magis in dies magisque perspiciat, eius admira-

admiratione atque amore acerrimo imbuatur, et ita etiam sensus eius omnes assumat. Nec vero aptius his talibus cogitationibus tempus dari potest, quam quod dierum imminentium solemnia nobis suppeditant, per quae memoria operis primi recoletur publica cerimonia, quod Christus, Seruator noster, post abitum ex oculis suorum ad inuisibilem in coelis sedem, per Spiritum suum edidit. In quo opere cognoscendo et ipso videbimus, quanto plus possit in animis hominum verbi diuini vis tranquilla, quam sensibilis operis quamuis diuini magnitudo; quae profecto in iis ipsis, qui cum stupore viderant, mox euanuisset sine effectu salutari, nisi verbum diuinum accessisset, quod leni efficacia flecteret animos ad fidem in Christum.



NAR-

NARRATIO CRITICA DE INTERPRETATIONE PROPHETIARVM MESSIANARVM IN ECCLESIA CHRISTIANA

NARRATIO CRITICA
DE
INTERPRETATIONE
PROPHETIARVM MESSIANARVM
IN ECCLESIA CHRISTIANA

Cum paremus ad altiorem honorum theologicorum gradum producere Viros doctissimos, et de Ecclesia literisque sacris egregie merentes, eique actui, more institutoque maiorum, proludere disputatiuncula, ad literas communes pertinente; nihil accommodatius ad eorum personas videmur facturi, quam si hoc disserendi officium ad aliquam literarum et doctrinae partem dirigamus, in qua eorum studium inprimis elaborauit, hoc est, ad librorum sacrorum, inprimis hebraicorum, interpretationem. Eius autem pulcherrima illa quidem, sed eadem difficillima pars est, quae in explicandis libris propheticis versatur, praesertim qua Christum spectant, eamque ob causam omni tempore a non multis bene feliciterque tractata, et infinitis prope disputationibus referta, dum eam vel sine iusta literarum scientia, linguarum recte ad intelligendum tractandarum vsu, ingenioque non subacto ad interpretandi facultatem, vel etiam non satis religiose et modeste attingunt. Itaque nobis venit in mentem adumbrare hoc tempore studiosis historiam illius interpretationis inter Christianos, apte, quoad possemus, ad vsum interpretandi ipsum, et ad facultatem recte et modeste iudicandi de hoc genere interpretandi atque de interpretibus ipsis. Nam quae nos quidem ab aliis

aliis tradita cognouimus, qui historiam interpretandarum literarum sacrarum scribere instituere, ea vel parum accurata et imperfecta, vel non e fontibus hausta et ipsis interpretibus tractandis animaduersa, reperimus.

Atque primis quidem ab Apostolorum aetate temporibus, cum ii, qui Ecclesiis praeessent, non ad scholae modum docti essent, nec literas hebraicas callerent artesque interpretandi; intelligitur sponte, totam prophetas interpretandi rationem simplicem, popularem, dogmaticam potius, quam grammaticam et eruditam fuisse, qualem nunc esse volumus atque expetimus; magis per traditionem acceptam, quam ingenio doctorum repertam et cultam: qualis tum fere et cetera erat, auctore *Irenaeo*. Quod si qui aliquid ipsi conarentur, e versionibus, graeca et latina, pendebant; vnde saepe ab textus hebraei sensu aberrabant, pii magis quam eruditi interpretes. Hoc ita esse, Iustini Martyris, et aliorum ex ea, et proxime secuta aetate, scripta clamant, in quibus interpretatio propheticorum oraculorum de Christo attingitur.

Erat autem tempus illud, quo crebrae disputationes essent cum Iudaeis, vel ad persuadendum, vel ad refellendum: vt tum ex aliis, tum iis libris, qui contra Iudaeos illis seculis scripti sunt, planum fieri potest. Itaque, dum studiosius conquirebant e Prophetis, quibus in eo genere disputandi vterentur, arripiebant, vt fit in tali studio, quicquid ipsis aliquam speciem habere videretur, aestimantibus rem e verbis graecis latinisque, inclinabantque ad rationem mysticam et allegoricam, quae modo et ratione tractata profutura erat, nec modo apud suos, sed etiam apud Iudaeos, nimis frequentata, aut parum dextre vsurpata nocebat magis.

Atque id incommodum auctum est in Ecclesia graeca per *Origenem*, quamquam literatum interpretem, sed qui omnia historica et sensibilia ad coelestia et intelligibilia torqueret, consilio optimo ille quidem, et ad vsus Christiani populi accommodato, sed ad rationem propriam inter-

interpretandi Prophetas, et aduersarios Iudaicos refellendos inutili, planeque abhorrente, et posthaec etiam materiam daturo vberrimam rixandi calumniandique. Itaque cum ille iudicaret, id quod est verissimum, πάσης προφητείας κεφάλαιον, *summam Prophetiae esse Christum* (in *Matth.* p. 472. T. III. ed. *Ruaei*) et, si Christus et eius in his terris acta (τὰ περὶ τῆς κυρίου ἡμῶν οἰκονομίας) eximerentur e Prophetis, nihil, quod insigne esset aut ad Christianos magnopere pertineret, reliquum fore (in *Io.* p. 88. T. IV.) omnia prope allegoriis eo trahebat. In quo ille imitatores habuit prope vniuersos, qui eundem de prophetis sensum haberent, h. e. optimos quosque, alliciente etiam facilitate rei, quod, vt et *Hieronymus* iudicat, et res ipsa indicat, ad eam rationem non opus est literis multis et doctrina, et blanditur ingenii specie. Nec id modo populares, Graeci, imitati sunt, sed etiam Latini, ad quos Origeniani Commentarii per versiones aut compilationes, vt *Hilarii*, *Ruffini* et aliorum venerant. Sed cum Origenes ipse, et si qui essent ipsi similes doctrina et literarum scientia, non ignorarent, in Prophetis alia proprie de Christo, et eo vno dicta esse, alia alio modo, nec, quae ipsi de Christo interpretarentur in commentariis et homiliis, esse e genere priori; per inscitiam ceterorum ista mirifice sunt confusa, et, quae per allegoriam ad Christum interpretando relata essent, iis, quae proprie ad eum pertinerent, aequata. Itaque in disputationibus cum Iudaeis et Philosophis paganis saepe irridebantur.

Eo incommodo, vt opinor, motus, siue alia de caussa, *Eusebius* Emisenus instituit primus, quantum quidem scimus, diuersa illa genera distinguere, et in interpretando sequi illud modo, quod historiam teneret, et ea modo vaticinia ad Christum referre, iis solis vti in disputando, in quibus proprie de eo et vno sermo esset, (*Hieron. Catal. Scr. Eccles. c.* 119.) quod fortasse in opere aduersus Iudaeos (ibid. 91.) fecit in primis; sicut et totum

tum allegoricum genus, quod historiam ad res intelligibiles trahit, in dicendo scribendoque repudiabat. Cum libri eius a permultis legerentur, tamen res non est admodum animaduersa, aut reprehensa, et ad inuidiam ei faciendam tracta: siue, quod eloquentia, propter quam legebantur cupidius, rem tegeret, siue, quod nihil inuidendum esset in eius fortuna. Et tum erant alia, quae occuparent animos et linguas calamosque.

Exstincta fortasse esset celeriter illa nouitas, nisi *Diodorus* Tarsensis ei imitator contigisset (*Hieron.* l. c. 119.) qui rem ab eo acceptam diligentius scribendo docendoque tractaret. Nec ipse multum profecisset, quamquam in clara et ampla vrbe Episcopus, quod eius libri nullam ab ingenio et elegantia commendationem haberent, nec a multis legerentur: sed nactus est discipulos, ipso et doctiores et disertiores, tum alios, tum duos insignes, *Theodorum*, Mopsuestiae postea Episcopum, et *Ioannem Chrysostomum*, quem et *Eusebii Emiseni* imitatorem facit cum *Hieronymo* (c. 129.) *Suidas* in *Ioanne Chrysostomo*. Per eos res celebritatem maiorem et inuidiam reperit. Sed de Diodori disciplina interpretandi aliquid dicendum videtur.

Neque enim explicatum est satis, quod quidem reperierimus, quid sit id, quod *Suidas* tradit, ab eo constitutum fuisse discrimen ἀλληγορίας et θεωρίας in interpretando, idque libello proprio explicatum: cuius nihil hodie exstat. Nam quod *Kusterus*, ad eum *Suidae* locum, θεωρίαν e *Sozomeni* et *Socratis* notis locis interpretatur: vterque eam opponit τῷ ῥητῷ vel τῷ ψιλῷ γράμματι, i. e. sensui grammatico; in quo ab allegoria non differt, cum eaque sexcenties permutatur, tum apud alios, tum apud *Isidorum* Pelusiotam Ep. IV, 117. vbi v. et *Rittershusium*, qui et ἑρμηνείᾳ τῇ καθ' ἱστορίαν, interpretationi *historici sensus*, θεωρίαν opponit, et itemque τῇ ἱστορίᾳ, Ep. 203. Nec satisfacit, cum dicit, θεωρίαν esse sublimiorum rerum, ἀλληγορίαν in humilioribus occupari. Repugnat enim

enim vſus perpetuus veterum et conſuetudo loquendi. Nobis certum videtur, θεωρίαν eum ita dixiſſe, vt intelligeret interpretationes, quae res ſenſibiles ad inuiſibilia et intelligibilia (ſpiritualia) traduceret ingenio et arte: cui generi id verbum bene conuenit per reliquum et veterrimum eius vſum; per quem rerum maxime diuinarum inuiſibiliumque contemplationem ſubtiliorem ſignificat. Atque haud ſcio, an verbi huius in ea re vſus e *Polybii* diſciplina, vt aliorum multorum apud ſcriptores graecos Eccleſiaſticos, fluxerit, qui, inter alia Philoſophorum verba, et θεωρίας nomen ad hiſtoriam tranſtulit, quae eſſet πραγματικὴ, adque Philoſophiam quandam ſuper euentis, in hiſtoria traditis, ad acuendum iudicium de rebus ipſis, quae narrarentur, et in rebus gerendis. Ἀλληγορίαν igitur intelligemus poſitam a *Diodoro* eſſe in iis, in quibus per figuram aliquam, de conſilio Spiritus S. exprimerentur res Chriſti: quem ſenſum myſticum dicimus proprie, dicuntque veteres, ſi qui accuratius ſcribunt: vt, cum ſub nomine et figura Dauidis aliquid de Meſſia dicitur. Etenim eſt etiam hic proprius et antiquiſſimus verbi ἀλληγορεῖν vſus, vt dicatur tum, cum rei non ſuum, ſed aliud nomen tribuitur, in quo ſuum nomen καθ' ὑπόνοιαν, ſic loquuntur, intelligatur ex indiciis quibusdam. Veluti, ſi dicas ab Ezechiele propheta ἀλληγορεῖσθαι Δαβίδ. Nam ſic et Clemens in *Paedag. I.* p. m. 87. τὸν λόγον ἄμπελον ἀλληγορεῖ, *rationem alieno vitis verbo appellat et exprimit.* Item *Strom. VI.* p. 676. myſteria et arcana ἀλληγορεῖται, εἰς οὖς λέγεσθαι, *figurate dicuntur, in aurem dici.* Ea quae vulgo nota eſt verbi ἀλληγορίας ſignificatio, non diuerſa ab θεωρίας vi, eſt recentior, *Origenis* demum, vt videtur, temporibus nata. Inde fit, vt *Diodorus* interpretationem, quae res ſenſibiles interpretando in inuiſibilia per ingenium conuertit, diſtinxerit ab ea, quae res ſub nominibus alienis perſonisque occultatas, indagat et explicat. Et eſt ſane vtriusque verum nec paruum diſcrimen. Nam

* Ern. b. h. A, 469. X, 502.
Op. Orat. 240.

cum primum illud genus tantum comparatum sit ad illustrandas res sacras et inuisibiles per res sensibiles, ad vsus populi, vt per sensibilia adducatur ad inuisibilia, nec sit proprie interpretandi genus, sed accommodatio illorum ad haec illustranda; alterum contra eruit reuera abdita sub verborum figuris, estque haud paullo illo superiori melius et grauius. *Facundus* quidem de *tribus Capit. III.* p. 499. diserte distinguit *mysticam* et *moralem* interpretationem Prophetarum, et quae mystice dicta sint a Prophetis, ea pariter prophetice dicta esse dicit, pag. 497. Itaque cum Diodorus dicitur a *Sozomeno* et *Socrate* τὰς θεωρίας ἐκτρέπεσθαι, id non ad interpretationes mysticas, siue typicas pertinet, sed ad illam Origenianam, ac Philonis Iudaei imitatricem, res historicas conuertentem in morales, vnde et *moralis interpretatio* dicitur *Facundo* pluribus locis, de *tribus Capit.* vt p. 496. Nam illud quidem genus ab Diodoro seruatum esse, atque ab discipulis, adeo non dubitatum est, vt in eo vsurpando etiam modum excessisse viderentur, cum multa, quae de Christo proprie dicta vulgo viderentur, et in disputationibus cum Iudaeis vsurpari solerent, tantum μυστικῶς, sed vere tamen, ad eum pertinere dicerent.

Ceterum *Diodoro*, propter hanc mutationem interpretationis, nemo, neque viuo ita molestus fuit, vt rem ad haeresin traheret, neque mortuo, cum in discipulis eius, *Theodoro* maxime, id fieret. Viuum quidem semper laudatum esse tradit idem *Facundus* p. 512. propter sanctitatem vitae et puritatem doctrinae. Crediderim etiam modestiam ei profuisse viuo, quod rationem illam suam tractaret Commentariis scribendis, et tantum suo modo libris sacris interpretandis, non aliis impugnandis, et irridendis, h. e. irritandis: nec, cum *Theodorus*, etiam nominatim huius interpretationis caussa, damnaretur mortuus, vlla eius mentio facta est; qui, si ille propterea damnandus erat, pariter damnari debuisse videtur: cuius rei caussam idem *Facundus* p. 509. ab inuidia in *Theodo*-

rum

rum repetit, quae *Diodorum* non tetigerit, quod in Synodo Chalcedonensi non pariter laudatus fuisset: an vere, nihil attinet hic quaerere.

Vt summam rei faciamus, proprie ad institutum nostrum pertinentis, *Diodori* ratio interpretandi scripta prophetica fuit haec, vt alia eorum dicta ita ad Christum pertinere diceret, vt de eo vno proprieque, vt dicit *Cosmas*, eius rationis aemulus, *Topogr. Christ.* V. p. 227. εἰς τὸν Χριστὸν μόνον καὶ κυρίως, intelligi deberent, κατὰ ῥητὸν et καθ' ἱστορίαν· sed ea non esse valde multa; alia μυστικῶς, quae κατὰ ῥητὸν et καθ' ἱστορίαν de aliis, vt Dauide, Salomone, Ezechia, euentisque humanis scripta essent. Vtrumque genus propheticum, vtriusque generis ῥήσεις prophetice dictas dicebat. Esse etiam, quae ad Christum referrentur interpretando, exemplo Apostolorum ipsorum, etsi prophetice dicta de eo non essent: id fieri per θεωρίαν, rebus historicis et naturalibus ad spiritualia trahendis; quam rationem non esse interpretantis, sed accommodantis, nec adeo in Commentariis, ad interpretationem, quae proprie dicatur, pertinentibus, aut aduersus Iudaeos vsurpandam.

In hac igitur caussa vniuersa nihil esse, quod reprehendendum sit, nemo negauerit. Sed quae vniuerse recta sunt et probanda, in iis saepe vel peccatur, vel dissensus oritur, cum secundum eam rationem in singulis rebus iudicatur: in quo interdum fit, vt etiam vniuersa illa ratio deseratur, atque adeo oppugnetur. Sed in tali re, et peccatis et dissensionibus locum facit maxime explicandi et praecipiendi ratio vaga, nullas praebens perspicuas et certas notas veritatis, nec demonstrans viam reperiendi, sed modo, quid reperiendum sit, explicans: quod fuit omni tempore frequens praecipientium vitium; estque ea vera caussa omnis controuersiae, quae in ea re ab illis inde temporibus saepe intercessere, interdum magnis cum animorum motibus. Sed nos historiam persequemur.

In discipulis igitur *Diodori* fuere duo insignes, *Theodorus*, qui post Mopsuhestiae in Cilicia Episcopus fuit, et *Ioannes*, post *Chrysostomus* appellatus. Et hunc quidem ex ea disciplina nihil inuidiae tetigit; nam et moderatius ea ratione vtebatur, nec in haereseos suspicionem ac crimen alia de caussa venerat: tota eius moles inuasit *Theodorum*. Et ille quidem viuus irritauerat interpretationis ab *Origene* ortae studiosos, quae erat longe maxima doctorum pars, scripto aduersus eorum rationem libro proprio, qui *contra Allegoristas* vulgo dicitur. *Facundus* titulum facit, *de Allegoria et historia contra Origenem* III. pag. 496. vbi et locum e praefatione ad *Cerdonem* quendam affert, cui opus illud inscripserat: quod contra opus, vt aduersus alias reprehensiones, scripsit *Eusebius* in *Apologia Origenis*, cuius, sub *Pamphili* nomine, Liber primus exstat latine versus ab *Rufino*, inter *Hieronymi* opera et *Origenis* ex editione *Ruaei* T. IV. Sed in eo nihil ad *Theodorum* proprie, et ad hanc caussam pertinet, praeter cap. 6. in quo defenditur *Origenes* ab reprehensione, pertinente ad rerum historicarum interpretationem, quae sensum historicum plane tollebat. Sed interpretationis Theodorianae ratio demum in crimen haereseos, Iudaismi nomine, vocata est per occasionem controuersiae Nestorianae, in cuius societatem mortuus vocatus est, quod praeceptor *Nestorii* fuerat, eique in errore eo prolusisse credebatur, propter quem accusatus et damnatus est, vt patet ex Actis Concil. Constantinop. II. et Epist. *Iustiniani* Imp. nuper in *Bandini*, V. C. Catalogo, Bibl. Medic. T. I. p. 166. edita: in qua multa e libris *Theodori* fragmenta exstant, vt alio loco indicavimus. .3. J. VII, 482.

Sed interpretationis Theodorianae ratio quae fuerit, optime, vt opinamur, cognosci potest ex *Facundi* illo opere, eiusque Libro tertio, qui eius interpretationis defensionem habet in eam partem, vt ea liberetur ab haereseos Iudaicae et impietatis crimine. Etenim plane intelli-

intelligitur, eam vniuerse a Diodoriana nihil diuersum habuisse. Nec vero illa vniuersa Prophetarum interpretandorum ratio reprehensa est; neque enim aliquid vitii habet; sed vsus, quod nimis pauca loca eorum καθ' ἱστορίαν ad Christum in Commentariis retulisset, veluti in Psalmis tantum tres aut quatuor; in ceterorum interpretatione, quae ad Messiam ab aliis vocarentur, fere cum Iudaeorum magistris consensisset, quod etiam discipulus eius *Theodoretus* pluribus locis iudicat. Quamquam fortasse etiam apud quosdam hoc ad Iudaismi crimen vocatum est, quod secundum textum hebraicum interpretatus esset, ex hebraei sermonis natura, et contra versionem graecam latinamque, quae e graeca facta erat. Nam id etiam aliis accidit, nominatim *Hieronymo* propter versionem latinam, quam ex hebraico fecerat. Caussa rei erat haec, quod doctores Ecclesiae versionem graecam, Iudaeorum graecorum fabulas de eius origine secuti, auctorem habere Spiritum S. credebant, eamque ob caussam textum hebraeum Iudaeorum, quod ab ea discreparet multis locis, saepe et iis, quibus in disputando vterentur contra Iudaeos, corruptum ab ipsis consulto iudicabant. Itaque quicquid in interpretando cum textu hebraico consentire dicebatur, id, si discreparet a sententia, quam ipsi in verbis graecis videbant, pro iudaico repudiabant. Nam quod ad interpretationem V. T. attinet, qua est grammatica, pendetque ab intelligentia linguae hebraicae; et fatentur, qui eius reliquias in Catenis cognouerunt atque excusserunt, etiamsi improbantes eius interpretationes vaticiniorum de Christo, eam esse eiusmodi, vt egregium et hebraismi bene peritum virum arguat; et res ipsa quemque idoneum iudicem doceat: qua de re etiam liquidius iudicari posset, si, qui in Vindobonensi et Medicea Bibliotheca scriptus exstat Commentarius in XII. Prophetas minores, ederetur: cuius rei spem, factam a *Bandurio*, destituit mors viri. Sed de eruditione viri hebraica post, per aliam similemque occasionem, aliquid

quid dicemus. Apud veteres quidem, etiam in Ecclesia graeca, Orthodoxos, etsi eius errores alios improbabant, et illam rationem interpretandorum vaticiniorum de Christo, tamen in magno pretio fuit, vt *Interpres* vniuerse, eiusque Commentariis saepe in interpretando vsi sunt. Atque ego reperi, multos ex his, eosque maxime illustres, secutos eum esse in multis, etiam in talibus interpretationibus, quarum rationem vniuerse improbabant; inprimis hos, qui se dicerent media via incedere velle, inter Origenianam et Theodorianam. Nam cum illa via media certis limitibus definita non esset, accidit iis, quod omnibus, qui nihil nisi *viam mediam* iactant in aliqua re, vt fluctuarent et errarent, e casuque magis penderent, quam e certa ratione, vt nuper de *Theodoreto* notauimus; in *Bibl. Theol. Vol. IX. p. 490.* Apud Syros autem, vt olim, ita cum maxime vocatur *Interpretis* nomine simpliciter, quasi Princeps interpretum omnium, vt docet *Renaldetius* Liturg. Orient. T. II. p. 622. ad Liturgiam Interpretis, i. e. *Theodori*: quanquam id ad Syros Nestorianos pertinet, vt res ipsa docet, et *Assemannus Bibl. Orient.* T. III. P. II. p. 127. sq.

Atque hinc quasi classes quaedam interpretum propheticorum exstitere. Nam erant, qui Theodorianas interpretationes fere probarent, ac defenderent, quanquam admodum pauci: qualem *Cosmam Indopleusten* cognouimus, tum in interpretatione Psalmorum, quatuor tantum Psalmos καθ' ἱστορίαν ac proprie de Christo accipientem, *Topograph. Christ.* p. 90. tum in aliis Prophetis multa cum *Theodoro* de hominibus dicta intelligentem, et per mysticam modo rationem ad Christum transferentem; velut illud Zachariae: *Gaude filia Sion, venit rex tuus*, ad Sorobabelem, sed vt hyperbolen agnoscat, et euentum proprium et κατ' ἀκρίβειαν pertinere dicat ad Christum Dominum. Nam et Commentarii in Psalmos titulus, a veteribus traditus, est eiusmodi, vt et historiam et mysticam interpretationem secutum esse appareat. Hic

Hic commentarius, vt hoc obiter addamus, qui etiamnum ſcriptus exſtat, ſiue in Vaticana, ſiue alia qua Italica Bibliotheca, vſurpatus eſt ab *Agellio*, in eruditiſſimo in Pſalmos Commentario, inſertis pluribus ex eo excerptis; quod non animaduerſum *Fabricio* in *Bibl. Gr.* nude eius indicium facienti e *Cangii Gloſſ. Gr.* in Addendis ad Vol. II p. 830; ne *Montefalconio* quidem in Prolegom. ad *Coſmae Topogr.* qui huius tamen Commentarii mentionem facit in *Proleg. ad Euſebii Commentar. in Pſal.* p. V. nec ignorabat *Agellii* Commentarium, vt in iisdem animaduertimus. *Agellius* ipſe Commentarium non contemnendum iudicat. Alia claſſis fuit eorum, qui ſe velut Eclecticos profiterentur, et, vt ſupra dixi, via media incedere vellent. In quo delectu illi ſane interdum non falſi ſunt; ſed tamen certo et conſtanti gradu non inceſſerunt, neutriusque partis gratiam tenuere. Ceterum ipſa modeſtia eorum probanda eſt, etiam nonnullorum in hoc, quod, cum hiſtoricam interpretationem defendunt, aliis libertatem iudicandi relinquunt, et viciſſim ſibi eam concedi velint. Tertium genus eſt, quod ſtudioſe hoc agit, vt quoquo modo quam plurima ad Chriſtum referat, nec modo vt myſtice ad eum pertinentia, et per allegoriam ſeu accommodationem, ſed etiam proprie, eosque, qui hiſtoriam ad humana accommodant, quanquam in iis figuram Chriſti agnoſcunt, Iudaiſmi accuſant; in quo etiam honori Chriſti et Prophetarum vniuerſaeque Script. Sacr. et religioni chriſtianae, ſe conſulere putant. Atque hoc genus tum in Graeca, tum in Latina Eccleſia numeroſiſſimum fuit, et labentibus temporibus, cum literarum hebraicarum et graecarum ſtudia vel nulla, vel tenuia eſſent, tenuit Eccleſiam, ad fidem et pietatem ſine noxa; immo etiam vtiliter, ſed ad vſus diſputandi aduerſus Iudaeos, et ad accuratam intelligentiam Scripturarum S. parum perite: qua de re aliquid dicemus paullo poſt: nunc ſententias Theologorum, inprimisque interpretum illuſtriorum, primum veterum, nec modo qui poſt *Dio-*

dorum Theodorumque fuere, ſed etiam ſuperiorum, tum et ceterorum, qui proximis a ſacrorum et literarum reſtitutione temporibus fuere, de prophetia, et modo reperiendi ſenſus, et ipſum cuiusque modum interpretandi, teſtimoniis exemplisque proferendis, commemorabimus, vt, ex quo quisque genere fuerit, intelligi poſſit.

Ac prophetiam quidem vniuerſam, conſenſu tradunt, ipſam eſſe obſcuram et ad intelligendum difficilem, quippe etiam parabolis et allegoriis inuolutam; idque ipſos prophetas interdum fateri, vt habet *Irenaeus II*, 22. *IV*, 26. vnde eam ἀντιλογίαν eſſe hominibus, altercandi ac diſputandi materiam. In quam partem late diſputat *Clemens Strom. VI.* p. 677. vt alios multos mittamus: nec omnium dicta commemorare attinet: neque enim profuerint ad ipſam interpretandi rationem: quippe nec cauſſas illius ſatis explicant, nec ſuppeditant plerique aliud, quod ei diſſipandae ac demendae proſit, praeter euentum, quo omnem obſcuritatem ſublatam dicunt. Etiam quod *Chryſoſtomus* in eam rem habet, non multum profuerit: ſed id explicandi cauſſa ponemus, et habere etiam aliam vtilitatem poteſt. In *Comm.* igitur in *Pſalm. p.* 325. *Matth. XXI*, 42. inquit, ſi, quod e Pſalmo CXVII. ad Chriſtum refertur, non cohaeret cum hiſtoria illius Pſalmi, ſed vaticinium mediae hiſtoriae inſertum eſt; non mirum aut nouum videri debet: nam plura alia ita in V. T. propoſita ſunt, διὰ τὸ δεῖν συσκιάζεσθαι τέως, ὥστε μὴ καὶ τὰ βιβλία αὐτὰ ἐξαλειφθῆναι: *propterea quod ea oportuit inumbrari et obſcure tradi tum, ne libri ipſi abolerentur*, ab Iudaeis videlicet, qui iſta vaticinia non erant toleraturi: quae eſt vtique mirifica ratio. Immo longe alia cauſſa rei intelligenda videtur, quae ad iudicandum de toto genere prophetiarum, et earum interpretandarum ratione proſit.

Eſt igitur veriſſima et praecipua cauſſa rei in conſilio diuino ſuper modo promulgandi, et perficiendi, quae de ſalute hominum per filium ſuum reparanda decreuiſſet: quod

quod eam rem primum patefieri vellet per multos et varios gradus, perfici autem poſt longas et multas praeparationes. Itaque primum nihil aliud placuit promitti, quam hominem, per quem ſalus redderetur: poſt et ille ipſe, et ſalus per eum paranda, cum bonis eius omnibus, per magnam nominum varietatem, variasque imagines et figuras rerum hominumque, adumbrata ſunt, quarum vim vix intelligeret, qui non diuinitus erudiretur, aut quae per euentum demum acciperent lucem ſuam, et hanc ipſam tum quoque per multas demum admonitiones et demonſtrationes capiendam oculis animorum humanorum. Ad hanc igitur quaſi legem et normam conſilii diuini, prophetia tota, quae proprie dicitur, de Meſſia compoſita fuit neceſſario, vt conſentirent inter ſe omnia, doctrina, et cultus religioſus, et hiſtoria populi. Sed ne plane aenigma fieret totum hoc, vt non dubitat appellare prophetiam omnem *Irenaeus*, eiusque, in praeſens certe, vſus vniuerſus tolleretur: immiſcenda erant neceſſario, quae non obſcurarentur figurarum inuolucris, ſed quae hiſtorice ac proprie dicerentur et acciperentur, praeberentque anſam quaſi prehendendorum, quae ſub iſtis inuolucris laterent et in lumen proferendorum per eos, quibus Deus hoc mandare deſtinaſſet, aut concederet, et quibus temporibus id fieri placeret: qualia eſſe, ſaltem quaedam, ad Iudaeos conuincendos euidentiſſima, in confeſſo eſt in omni genere Interpretum propheticorum, etiam apud Iudaeos ipſos ſemper fuit. Haec obſcuritatis propheticae cauſſa recte cognita quos vſus habeat, poſt videbimus. Nam aliae, etſi non improbandae aut omnino falſae, v. c. ad euentum impediendum valituram fuiſſe claritatem ſummam vaticiniorum; quo pertinent *Chryſoſtomi* verba, ante memorata, et plura apud eum loca, vt ad *Eſ. II.* p. 20. et in homiliis, *de prophetiarum obſcuritate*, p. 175: eae igitur, ad iudicandum de interpretandi ratione ac modo, nihil admodum proſunt. Ad interpretes veniamus, in quibus recenſendis

dis non illa tria supra constituta genera seruabimus, sed ordinem temporum sequemur. Id nobis erit ad praesentis temporis rationem et breuitatem aptius.

Proximus igitur ab *Origene* est *Eusebius Caesariensis*, cuius et in *Psalmos*, et in *Esaiam* Commentarios habemus, a *Montefalconio* primum editos, magnos illos quidem mole, sed tamen non integros, et varie, forte et a variis, excerptos ex integris Commentariis. In Esaiam quidem Commentarii exemplum ab edito diuersum pluribus locis in Bibliotheca Medicea esse docet Cl. *Bandinus* in *Catal.* T. 1. p. 90. ex altero autem ab *Agellio* plura commemorata vidi, quae in edito non reperiuntur, nominatim ad Psalmum CX. (Gr. CIX.) in quem quae sunt in Montefalconiano exemplo, scholia sunt magis e Commentario Eusebiano, quam Commentarius ipse. In his igitur, quae in Psalmos scripsit, plane sequitur Origenianam rationem, cuius fortasse Commentarium in Psalmos compilauit. Nec alia ratione vtitur in altero; quod etiam olim reprehendit *Hieronymus*, quamquam ipse Origenianae rationis admirator et defensor. Sed *Eusebius* promiserat, se historiam secuturum et τὸ ῥητὸν, nec id fecerat: id vero improbat *Hieronymus*: veluti, statim c. primo, versum 2. 3. ad Christum a Iudaeis spretum refert: eum contemtum προφητικῶς αἰνίττεσθαι, putat. Eandem sectam sequitur *Athanasius*, vt vel e prooemio in Psalmos patet, apud *Montefalconium*, Collectione noua PP. T. II. p. 60. Nam Dauidem, ait, cum esset Propheta, spiritualia magis et inuisibilia vidisse, quam externa et sensibilia, velut, cum aduersus hostes preces faceret, daemonas, quam homines aduersarios, et contra illos, non hos preces fecisse, sub nominibus visibilium hostium, et, si non ita interpretemur Psalmos, nullum ex iis fructum capi: itaque videndum esse, vt verborum sensus assequamur secundum hanc rationem, et v. c. in Ps. I, 1. in verbis *impiorum*, *peccatorum* et *irrisorum*, intelligamus tria hominum genera tempore Christi, *Scribas*,

bas, *Pharisaeos* et *Legis doctores*. Et huius generis sunt in istis plurima. Psalmo II, vt hoc obiter addamus, verba, *Ego hodie te genui*, de natalibus Iesu accipit.

His adiungimus *Hilarium Pictauiensem*, auctorem Commentariorum in Psalmos: qui, si non est interpres et compilator Origeniani Commentarii, quod contra pugnat *Coustant*, tamen in summa operis et modo interpretandi ab *Origene* totus pendet, omnia in Psalmis prophetica esse contendens, et in singulis prope infidelitatem, ita loquitur, exprobrans iis, qui non totos de Christo accipiant, vt in secundo: in quo ceterum illud, *tu es filius meus cet.* ad Christi reditum in vitam refert, vt multi ex orthodoxis interpretibus antiquis. Sed huic similes fere sunt ceteri Latini interpretes prophetici, vt *Ambrosius*, *Hieronymus* item, certe in summa rei, et *Augustinus*. Itaque de singulis separatim dicere nihil attinet: in oriente erudito nos continebimus.

In quo primus nobis occurrit *Ephremus Syrus*, cuius Commentarios, in plerosque Prophetas, syriace et latine editos, debemus *Assemanno*. Eum igitur ab Origeniano vitio intactum, et propiorem *Diodori* aut *Theodori* rationi, vel saltem *Chrysostomi*, *Isidori*, similiumque moderationi, qui historica et prophetica permixta esse, saepe in vno eodemque orationis tenore, in eodem etiam Psalmo, alia κατὰ ῥητὸν, alia μυστικῶς prophetica esse, defendunt. Exempla aliquot insignia commemorasse sat erit. Ad *Esaiae* igitur *c. IX.* (T. II. p. 36.) scribit in hanc sententiam: „etsi ex his, quae hoc loco leguntur, nonnulla ad Ezechiam pertinent, sunt tamen alia, quae ad illum nullo modo quadrant: sed et illa ipsa, quae ad eum referri possunt, iuxta arcanum et mysticum sensum, ad illius Dominum, ex eadem stirpe nasciturum, traducenda sunt." Secundum hanc rationem fere interpretatur c. XI. *surculum Iesse*, vt ad Ezechiam referri possit, sed melius ac plenius ad Christum. Tum *Ioëlis* vaticinium de effundendo diuino spiritu refert ad populum, qui Ezechiae tempo-

tempore fuit, vt hoc pignore praenoſceret futuram Senacheribi cladem; et prodigia ibi denunciata primum ad Ezechiae tempus, iterum ad tempus Gog, ſed ad vtrumque ex parte, perfecte ad Chriſti aduentum vtrumque. Item *Amoſi* c. IX, 11. ait euentum habuiſſe in reditu Iudaeorum e ſeruitute Chaldaica, iterum et plenius in crucifixione Chriſti: v. 13. autem ſecundum obuiam ſignificationem verborum Sorobabelis tempus reſpicere - - ſecundum ſublimiorem intelligentiam ſpiritus, coeleſtia dona poſt reſurrectionem Chriſti. Quae denique de *Zemach Zach. VI*, 12. dicuntur, ad Sorobabelem pertinere iudicat, per myſticam rationem de Chriſto praedicta eſſe. Sed haec ſpecimina Ephremianae interpretationis ſufficiunt, vt opinor, ad iudicandum.

Eadem via incedit, etſi in ſingulis exemplis ab *Ephremo* diſcrepans, *Baſilius*, magnus illius admirator. Planum facit vel vna clauſula praefationis in Commentarium in *Eſaiam*, cuius pars nobis reliqua eſt. Nam enarrato totius operis prophetici argumento hiſtorico, rebus ibi traditis vbique, ait, adſperſa eſſe, quae ad Chriſtum pertineant: *τὰ περὶ Χριςȣ̃ πάσῃ τῇ προφητείᾳ ἐνεσπαρμένα, ἑκάςȣ τῶν καθ' ἱστορίαν λεγομένων καὶ τῷ μυςικῷ συγκαταπεπλεγμένȣ·* (ſic enim pro *συγκαταπεπλεγμένων* ſcribendum, e veſtigiis Cod. Pariſ. niſi quis etiam *καὶ* deleri malit.) In quo mixturae illius Ephremianae forma maniféſte exprimitur: quam et in interpretando ſequitur; niſi quod, vti diximus, in ſingulis locis, vt *Eſ. VII*, 14. et c. IX. ab eo diſſentit, non ad myſticam ea, ſed propriam rationem referens.

Clarior interpretandi arte *Io. Chryſoſtomus* eſt, ſed via et ratione in hoc genere non diſpar, idem de indole propheticorum ſcriptorum ſentiens, eodemque modo interpretans orationem prophetarum, vt contextum ipſum plerumque faciat hiſtoricum, eique ſubinde inſerta dicat, quae proprie de re Chriſti intelligantur, ceterum etiam in iis, quae hiſtoriae humanae ſint, abdita exiſtimet, quae

ad

ad Christum pertineant. In quo dicit esse ad *Ps. XLIV. p.* 165. discrimen Euangelistarum et Prophetarum. Nam illos quidem ex ordine res Christi enarrare debuisse, Prophetas vbique ὀλίγα τινὰ μέρη εἰς τὴν ἱςορίαν ἐμβάλλοντας καὶ συσκιάζοντας ἀποχωρεῖν. In Psalmis quidem sunt, quos totos ad Christum refert, refellens etiam Iudaeos, qui ad homines trahere conentur, vt *Ps. XLIV. CX.* et alios quosdam; in quibus dignum est cognoscere, quomodo eos refellat: sed saepissime tantum particulas Psalmorum ad Christum refert eo, quo diximus, modo, interrupta historia et oratione ad homines pertinente, vt etiam Psalmo octauo. Exempla pauca alia attingemus. Psalmi igitur *CIX.* argumentum vniuersum refert ad Dauidis historiam, sed prophetice de Christo insertam esse particulam, pertinentem ad proditorem eius Iudam. Petrus, inquit, Psalmum hunc refert ad Iudam, μᾶλλον δὲ οὐ τὸν ψαλμὸν ἅπαντα, ἀλλὰ τοῦ ψαλμοῦ τὸ μέρος. p. 145. post quam particulam Dauidem ad se redire, καὶ γὰρ τοῦτο προφητείας εἶδος, μεταξὺ διακόπτειν καὶ ἱςορίαν τινὰ ἐμβάλλειν, καὶ μετὰ τὸ ταῦτα διεξελθεῖν πάλιν ἐπὶ τὰ πρότερα καὶ ἐπανιέναι. p. 246. Similiter *Ps. CXVIII*, (*Gr. CXVII.*) tantum v. 22. ad Christum proprie refert, et addit: εἰ δὲ μὴ δοκεῖ ἐξ αὐτῆς ἠρτῆσθαι τῆς ἱςορίας τὸ εἰρημένον, ἀλλὰ μέσην τὴν ἀκολουθίαν διακόψασα ἡ προφητεία ἐπεισῆλθε, θαυμαςὸν οὐδὲν οὐδὲ καινόν. οὕτω γὰρ αἱ πλείους τῶν προφητειῶν, διὰ τὸ δεῖν αὐτὰς συσκιάζεσθαι τέως cet. Atque ex hoc genere ait esse locum *Es. VII*, 14. Sed in *Esaiae* capita octo habemus homilias, sine dubio *Chrysostomi*, eximias, in quibus insignia interpretationis vtriusque, et eius, quae proprietatem vindicat, et quae sub figuris verborum latentes sensus indagat, exempla reperiuntur, vt posterioris generis ad c. II, 2. qui locus exempli et regulae vim habere potest. Enimuero, ex paucis quae *Chrysostomi* in Prophetas inde ab *Esaia* habemus, si cui non satis liquido de eius ratione iudicari posse videatur, vicarium ei sumat

Theodo-

Theodoretum, qui eum in his plerumque fecutus eft, rationibus iisdem ad confirmandum vfurpandis. Exempli cauffa legent, qui volent, quae ad vindicandum Chrifto κυρίως illud *Efaiae* c. VII, 14. ab vtroque dicuntur.

Sed ad hunc *Chryfoftomi* difcipulum veniamus, *Theodoretum*, quamquam et *Theodorum* praeceptorem habuit. Eum vero ab *Theodori* ratione difceffiffe, eamque cum *Chryfoftomo* mitigare tentaffe, mediam viam quandam tentando, fupra iam monuimus, eftque clara eius profeffio in *praef. in Comm. in Pfalmos*, non longe a principio, cum fe dicit et Allegoricorum, et eorum ἀμετρίαν vitare, qui prophetias hiftoriam faciant, nihil ad Chriftum pertinentes. Itaque refellit faepe in Commentariis in V. T. fcriptores *Theodori* interpretationes, quibus proprie aut omnino de Chrifto dicta prophetica intelligenda negabat. Nec tamen omnes proprie et hiftorice de Chrifto interpretatur prophetias, fed quasdam etiam myftice. Τῆς προφητικῆς συνθήκης, inquit praef. in *Ef. p.* 2. τὰ μὲν ἐςι σαφῆ καὶ γυμνὴν ἔχοντα τὴν διάνοιαν, τὰ δὲ τροπικῶς εἰρημένα καὶ ἑρμηνείας δεόμενα· ex quo genere funt myftice dicta. Sed illam mediam viam quomodo fecutus fit, ante monuimus. Nec modo a *Theodori* ratione in Pfalmis difcedit, fed etiam *Chryfoftomum* deferit, vt qui v. c. *Pf. CIX.* totum Chrifti preces facit. In *Pf. CXVIII.* fimilior eft *Chryfoftomo*, fed myfticam pariter rationem fequitur. Nam hymnum quidem hiftorice tribuit Iudaeis reuerfis in patriam, ceterum magis congruere his, qui e gentibus credidere, quod in eo res horum potius adumbratae fint. Atque huius generis exempla funt permulta. In prophetis eandem rationem tenet, interdum tamen hiftorice modo, fine refpectu vllo ad Chriftum interpretatur, in quibus alii alterutrum defendunt, velut *Zach. VI*, 12. quem locum fimpliciter de vno Sorobabele, καθ' ἱςορίαν, accipit, fine vllo ad Chriftum refpectu, quem alii in eo loco agnofcebant, vt fit etiam nunc.

Omnino

Omnino multum est dissensionis inter Interpretes, etiam eos, qui idem videntur spectare, vt hi, de quibus diximus, qui inter Origenianam et Theodorianam rationem medii esse voluere: cuius rei caussam supra commemorauimus. *Chrysostomus* interpretans Prophetarum capita in partem eam, vt ad Christum referat, vindicetque aduersus eos, qui aliter interpretabantur, spargit ille quidem, vt inprimis in iis, quae in *Esaiam* scripsit, quaedam interdum, quae ad rationem praecipiendi de modo interpretandarum prophetiarum, spectant, quod et facit *Theodoretus*; sed ea non satis definita sunt aut sufficiunt, et interdum decernunt magis, quam docent; vtunturque argumentis e natura rerum non satis euidentibus: cum id genus alias minime omnium sit contemnendum. Ad praecipiendi rationem magis spectantia quaedam *Isidorus* Pelusiota habet, discipulus et ipse *Chrysostomi*, elegantis ingenii et doctrinae vir; cuius commentarios quidem in libros biblicos nullos habemus, sed tamen epistolas plerasque, ad interpretationem scripturarum pertinentes, in quibus etiam quaedam ad prophetica scripta pertinent. At maxime insignis ad hanc rationem, de qua nunc agimus, est epistola 203. *libri quarti.* Ibi enim hoc agit, vt regulam interpretandi prophetica dicta scribat, quam exemplo Psalmi LXXII. illustret. Incipit ergo ab eo, quod e *Chrysostomo* commemorauimus, vt Prophetas, dicat, non simpliciter et planissime proposuisse vaticinia rerum futurarum, sed res futuras praesentibus miscuisse ita, vt et, qui tum essent, aliquid inde vtilitatis caperent, post euentum autem futuri res praedictas planissime possent cognoscere. Id adeo se exemplo illius Psalmi demonstraturum, vt inde de aliis iudicari posset. Nam eum Psalmum, secundum sensum obuium, pertinere vtique ad Salomonem, sed ex parte; cetera ad Christum, cuius Salomo figuram habeat. Vtriusque autem generis discernendi hanc legem scribit, vt, quae humiliora et humana sint, ad Salomonem, cetera, huma-

 nitatis

nitatis modum excedentia, ad Christum referantur. Itaque non esse, omnibus eodem modo interpretandis, vim faciendam prophetis, nec, quae historice, de rebus illorum temporum, dicta sint, accipienda de rebus futuris, et ad Christum pertinentibus: quam ille *θεωρίαν* vocat; nec, quae ex hoc genere sint, ad illud per vim trahenda esse. In quam sententiam etiam aliis quibusdam in epistolis, tractans loca prophetica, disserit. Et est vtique illa tum obseruatio, tum inde ducta regula valde bona; sed nec omnibus locis apta, et interdum difficilem applicationem reddit tum linguae hebraicae indoles, tum rerum ipsarum natura. Itaque cum nemo facile regulam ipsam repudiet, tamen in singulis locis interpretandis ad hanc regulam, valde discrepant. Sed in historia pergemus.

In eandem igitur aetatem incidit *Cyrillus* Alexandrinus, cuius Commentarios propheticos multos habemus. Sed de interpretatione prophetarum quid senserit, planum est e praefatione Commentarii in *Esaiam*, et in *Zachariam*, (*T. II. et III. Opp.*) itemque e *Glaphyris*, i. e. selectis et insignibus locis, *Pentateuchi L. I. pr.* Credebat ille, Vetus Testamentum totum esse figuram Christi et N. T. quod suo modo verum est; sed vniuerse dictum habet ambiguitatem lubricam in interpretando, quae et ipsum decepit, et ad Origenianam rationem interpretandi nimis inclinauit; praesertim qui esset, vt *Athanasius*, de quo supra, exercitatior in dogmaticis controuersiis, quam in linguis tractandis. Sed tamen historiam interdum relinquit, et in ea tantum figuram Christi agnoscit; verum, quae non ingenio humano ficta sit, sed consentiat consilio diuino, vt in *Zemach Zachariae* (*T. III. p.* 705.) et si quid aliud adiungit e genere morali, per similitudinem tantum, doctrinae illustrandae caussa facit, vt in *Ioel III*, 9. et 24. (*T. III. p.* 234. 244.) et locis aliis.

Possemus referre plures, vt *Seuerum* Antiochenum, *Euthymium*, et alios serioris aeui interpretes Prophetarum

rum

rum, quorum modus interpretandi e reliquiis quibusdam, vt illius in *Catenis*, huius ap. *Monachium* in *Var. sacr. T. I.* (est prooem. in Psalmos) cognosci potest. Et est in iis interdum aliquid boni iudicii; sed magis magisque ad allegoricam illam *Origenis* disciplinam lapsi sunt, studiis doctrinae magis magisque labentibus, et omnibus e Commentariis superiorum pendentibus, e quibus maxime sequebantur eos, qui ad rationem dogmaticam et concionatoriam aptissimi essent. Itaque longius non progrediemur, ne nimis excrescat narratio. In Ecclesia latina reperiuntur vestigia reuiuiscentis studii prophetici, per tempora Carolingica, incitantibus Doctorum studia Iudaeis, qui in Hispaniam et Galliam copiosius infusi, et per copias e mercatura, potentiae et gratiae plus, quam satis esset, etiam in aulis Regum nacti, vt ex *Agobardi* aliorumque scriptis et querelis discimus, insolenter doctoribus Ecclesiae illudebant. Nam et hebraicas litteras quidam discere instituerunt, pro modo facultatis, quam quidam Iudaei, qui Christiani facti essent, dabant, aut eos consulebant super textu hebraico, quod *Rhabanum Maurum* fecisse scimus *), vt pugnare contra Iudaeos possent; in quo scientia et interpretatio scripturarum propheticarum necessaria erat. Sed ea res intra angustos fines constitit, et qui tum, sequentibusque temporibus, exorti sunt in Prophetas Commentarii, magis e veteribus Latinis collecti, quam auctoris modo et arte scripti sunt. Itaque ista tempora tantum attingenda putavimus. Nec immorabimur iis, per quos aurora literarum hebraicarum et melioris interpretationis exorta est, vt per *Liranum*: ad illa ipsa beata tempora, quae instaurationem verae interpretationis biblicae atque doctrinae habuere, ad seculum *Lutheri*, ita appellemus licet, transibimus.

*) v. Comm. eius in libros Regum praef. et Marcianaei Prolegom. ad Hieron. Biblioth. diu. III, 6.

Et *Lutherus* quidem ipse, etsi in Commentariis, quos ad vsus populares scripsit, vt in Psalmos, veterem rationem sequitur, quam e disciplina Augustini acceperat, allegorias tractantem: tamen intelligebat, vulgaribus interpretationibus propheticis ad Christum quaedam trahi, quae secundum accuratum iudicium eo non pertinerent, vt ex epistolis eius alio tempore commemorauimus *). Sed exortus est mox non paruus numerus interpretum propheticorum, *Phil. Melanchthon*, *Aretius Felinus*, i. e. *Mart. Bucerus*, *Oecolampadius*, *Pellicanus*, *Musculus*, *Caluinus*, *Esromus Rudingerus*, de quorum methodo dicendum videtur.

Melanchthon igitur primum illam veterum regulam saluberrimam et verissimam agnoscit, et subinde inculcat, Prophetas rebus historicis suorum temporum et humanis immiscere res Messiae, et promissiones de Messia et eius bonis, Ecclesia cet. v. Argumentum *Ierem. T. II. opp. p.* 408. *et admonitionem de hebdomadibus Dan. p.* 404. *praef. ad Zach.* p. 533. vbi dicit, esse obseruandum, vbi de sua politia loquatur; nec necesse esse omnia in allegorias transformari et ad Christum referri. Ea regula saepe ab eo commendatur in Psalmis, nec totum statim Psalmum ad Christum vult referri, cuius particula aliqua ad eum pertineat. Item in iis vult obseruari, vocem Dauidis esse simul vocem Christi, h. e. Dauidem, cum de se et suis rebus, bonis, malis, loquatur, simul de Christo, et nomine eius loqui, velut *Ps. XXII.* quod mala Dauidis sint figurae malorum Christi. cf. ad *Ps. III.* Contra *Ps. XVI.* solam Christi vocem agnoscit διδασκαλικήν. In quo genere ponit et secundum, *XLV. CX.* v. *praef.* ad *Ps. CX. p.* 714. et videtur non valde multos huius generis agnoscere. Vtitur tamen interdum etiam allegoria, sed raro, vt in *Daniele*, vaticinii ad Antiochum historice pertinentis accommodationem ad Antichristum agnoscit cet.

In

*) in Diatr. *de libertate ingenii in caussa religionis.*

In his omnibus ei ſimiles ſunt ceteri, ſed interdum longius progrediuntur et liberius interpretantur, vt *Felinus* in *Comm. in Pſalmos*; libro erudito, at raro, interdum duplicem ſenſum faciens, vbi ille vnum agnoſcit, ſed vtrumque verum et diuinum, vt in *Pſ. II.* (*p. m.* 24. *et* 29.) vt hiſtoricus ad Dauidem, ex 2 *Reg. V*, alter, myſticus, ad Meſſiam pertineat. *Veritati enim*, inquit, *id nil officit, et facit omnia clariora*: qua de re etiam latius diſſerit ad *Matth. II*, 15. Nam in *Pſ. XXII.* et aliis cum *Philippo* conſentit. Ceterum *Philippo* prior eſt. Nam illum Commentarium edidit primum 1529. noſtrum exemplum ſerius factum.

Oecolampadius, hebraice tum doctiſſimus, vt alii ex illa Baſilienſi ſchola, qui e monaſterio ibi Franciſcanorum exierant, in quo litterae hebraicae cultae erant diligentius: illius igitur plures Commentariolos in prophetas habemus, vel e lectionibus ſcholaſticis excerptos, vel ab ipſo editos et elaboratiores. Et is primus Euangelicorum hoc genus tentauit. Nam *in Eſaiam Comm.* editus eſt an. 1525. Quid autem de interpretatione Prophetarum ſenſerit, ipſe explicat, primum in *Comm. in Eſaiam* principio, *p.* 4. a. Vult enim in prophetarum interprete eſſe hiſtoriam temporum prophetae cuiusque, et pro fundamento poni. *Nam niſi*, inquit, *quis illam recte pro fundamento praeiecerit, quicquid ſuperſtruxerit, ruet; quemadmodum, ſi iuſte illam tractarit, feliciter etiam allegoriarum myſteria colligere poterit: quas male vel in vniuerſum contemſeris, vel intempeſtiue protuleris.* Intelligit ſenſum myſticum, ſed non commentitium et inuentum ingenio humano. Et ſequuntur alia lectu digna, iis, quae de *Chryſoſtomo*, *Theodoreto*, *Philippo* retulimus, ſimillima: poſſuntque addi, quae in *Ioelem* p. 136. 138. itemque ad *Hoſeam*, de modo Chriſti in prophetis agnoſcendi, dixit p. 3. quae ad anagogicam rationem pertinent. Eſt autem in vſurpanda ratione hiſtorica valde conſen-

consentiens communibus sententiis. Quod secus est in *Pellicano*, *Musculo* et *Caluino*.

Et *Pellicanus* quidem, eruditissimus librorum sacrorum interpres, vt vniuerse de eius interpretatione dicamus, in Psalmis, fatetur, se secutum esse maxime *Felinum*, eiusque rationem Psalmorum interpretandorum. E Prophetis ceteris vt aliquid speciminis proponamus, *Es. VII.* locum ille quidem de virgine grauida historice interpretatur, sed innui a Spiritu S. aliquid, quod Achas tum nondum intellexerit: at c. IX. etsi priora de Ezechia intelligi possint, cum respectu mystico ad aliud in N. T. tamen v. 6. de puero nascendo, nullo modo (p. 13.) *Cap. XI.* plane de Christo interpretatur vno, item vti c. *LIII.* De Zachariae viro Zemach sentit cum *Melanchthone*, ad Iosuam Pontificem referente, cum significatione Messiae et Ecclesiae eius: vt appareat, eum mixtum et temperatum e duobus interpretum generibus contrariis: altero, quod historiam nimis amouet, et altero, quod nimis amplectitur.

Paullo plus ad historicum genus inclinat *Musculus*, item hebraice et graece doctus, copiosi et docti in Psalmos Commentarii, itemque in Esaiam auctor de medio seculo sexto decimo. Nam *Ps. II.* sub regni Dauidici figura de regno Christi vaticinari putat. *Ps. VIII.* dicit ad hominem pertinere, quem Deus extulerit, primum in Adamo typice, deinde in Christo perfecte. *Ps. XVI.* autem *v.* 10. sic ad Christum pertinere dicit, vt ad Dauidem nullo modo trahi possit; at reliqua esse Dauidi et Christo communia. In *Ps. XXII.* porro, sub Dauidis persona, Christum describi κατὰ ταπείνωσιν et κ. ὕψωσιν. Eodemque modo *Ps. XLV.* secundum typum ad Salomonem, secundum veritatem ad Christum reuocandum esse. Tum in *Ps. XLI.* tantum decimum versum typicum facit. *Non omnia*, inquit *p.* 362. *mox eius Psalmi ad Christum pertinent, sed vnus et alter versiculus;* plane ad veterem rationem, a nobis memoratam supra cet. De *Caluino* autem non, vt opinor,

attinet

attinet commemorare late, quo genere interpretandi prophetas vtatur: cum sit nota et vetus multorum reprehensio, quod nimis indulgeat mysticae rationi in vaticiniis de Christo, et accommodationi, adimatque Christo vaticinia, vt reddat hominibus: in quo tamen subleuatur a nonnullis, nec modo suis, sed etiam aliis, ad lenitatem in hoc genere propensis. Ad vltimum eius numeri, quem proposuimus, veniamus, ignotum prope omnibus, nec eruditissimo *Carpzouio*, *Introd. ad Libr. Bibl.* auctori, aliisque cognitum ac commemoratum, *Esromum Rudingerum*, *Camerarii* nostri generum, sed inprimis dignum, qui cognoscatur. Is e terris nostris, cum aliis excellentibus de *Melanchthonis* et *Camerarii* schola viris, expulsus, in Morauis cum praeesset scholae tum Euanzizii illustri, scripsit *Psalmorum paraphrasin latinam*, praeposita singulis προθεωρία, et subiectis notis satis copiosis, quibus rationem paraphraseos redderet. Ea edita est voluminibus quatuor *Gorlicii*, a. 1580 et sequentibus. Paraphrasis primum est elegante latinitate scripta, quae intelligi ab vnoquoque possit, et sensum hebraicorum verborum, quem ipse crederet esse, planissime exprimit. In προθεωρίαις explicat argumentum Psalmi, inprimisque historiam cuiusque suppeditat, vt ad intelligendum conferri possit, in quo se interdum coniecturam secutum esse non negat: fuitque profecto primus, qui historiam Psalmorum vniuersorum indagare et perscribere instituerit, eoque saltem nomine debebat commemorari. Addidit etiam in fine operis vniuersorum Psalmorum ordinem ac seriem, quam secundum temporis rationes nectere ac constituere tentauit; quod ipsum ad intelligendum non parum profuerit, si recte factum sit. In notis denique, dum rationem paraphraseos reddit, explicat sententias verborum ex hebraei sermonis indole; in quo se dicit vsum optimis et veteribus et recentioribus, iis, vt opinor, quos supra proposuimus, interpretibus: vnde quale hoc opus sit, quod a viro, linguarum mortuarum recte et ad bene intelligendum et expli-

 candum

candum tractandarum peritiſſimo, elaboratum ſit, facile intelligi poteſt. Nempe ſequitur eam rationem, quam *Chryſoſtomus*, *Theodoretus* cet. *Melanchthon*, et alii ſecuti ſunt, ſed iudicio ſuo et modo. Veluti, Pſalmum XXII. non totum facit Chriſti vnius, ſed ex partibus iis, quae manifeſte in eum vnum quadrant, cetera Dauidi communia: plane eo modo, quo nuper *Venema* V. Cel. cui hoc opus non ignotum eſſe coniicio: et memini quibusdam doctis Batauis id memorari, nominatim *Alberto* ad *Heſychium*. Similiter facit in aliis pſalmis; de quo tum praefatio Voluminis primi p. 12. tum, quae ad Pſalmum ſecundum ſcripſit, videnda ſunt accuratius rem cognoſcere volentibus. Et ſunt in praefatione multa bene monita, quae prodeſſe poſſint bene tractaturis Pſalmos. De hebraica lingua eiusque vſu, quem ipſe fecerit, fatetur, ſe non eſſe valde doctum hebraice, nempe ad illam ſubtilem rationem eorum, qui eius ſe doctores profitentur et Grammaticos; ſed vſum eſſe apparet doctiſſimorum in eo genere hominum libris, inprimisque ſe ad intelligendum eius genium adiutum ab *Oncelica Paraphraſi*, itemque *Ionathanica*, dicit. Et tamen, quantum nobis iudicare licet, bene interpretatur ſententias hebraicas et explicat perſpicue, bene latine; quod in Paraphraſi fieri commodius poteſt, quam in verſione, quamuis bona. Itaque et ipſa, et notae plurimum profuerint iis, qui intelligere, non decipi verſionibus et interpretationibus hebraeo-latinis velint.

455 Hic lubeat quaerere id, quod ſupra polliciti ſumus, et ad iudicandum profuerit, cum de veteribus quibusdam interpretibus, vt *Theodoro*, *Chryſoſtomo*, *Theodoreto* quaeritur, an hebraice docti fuerint; cum appareat, eos ſaepe hebraica bene interpretatos eſſe, et ſenſum melius aſſecutos, quam quos hebraice doctos fuiſſe conſtet. Credo, vt ab his incipiam, eos vel omnino non calluiſſe litteras hebraicas, vel admodum tenuiter, nec ad Grammaticorum ἀκρίβειαν et copiam. Vtebantur autem Origeniano opere biblico, inprimisque *Aquilae* et *Symmachi* verſione, quorum ille

ille verba plane secundum etymologiam hebraicam expresserat, hic autem secundum sensum cuique loco aptum bene graece, vt vnusquisque, graece sciens, plane intelligere posset. Hae autem duae versiones, inter se iunctae, habebant Lexici rationem, in quo primum significatio prima ex etymologica ratione reperiretur, deinde ex ea ductae aliae, tum singulorum verborum, tum iunctorum et phrasium: quod et agnoscit *Vitringa* praef. in *Esaiam* p. 4. Nec huic tali Lexico comparem vllum nostrorum, in quo verba singula hebraica latinis hebraizantibus, quae et ipsa pleraque e versione latina vulgata, aut graeca, aut magistris Iudaeorum ducta sunt, explicantur: quorum omnium non profecto maior esse potest, quam *Aquilae* et *Symmachi* auctoritas, immo nequaquam par, cum praesertim res doceat intelligentes, quam illi bene docti fuerint. Et illi Graeci Doctores habebant aliquid adiumenti, quo plerique post caruere, qui hebraicas literas tractauere. Nempe etsi Grammaticae hebraicae scientia carebant, quam mechanicam appellare liceat, non illa nimis vtili ad sensus orationis perspiciendos; at erant instructi scientia linguae graecae excellente, et interpretandi artes grammaticas et rhetoricas per vsum callebant: quarum similitudinem ad hebraica transferendo, primum genii hebraici discrimen a graeco plane intelligebant, cauebantque, ne pro graecis in interpretando darent hebraica, quae Graecos conturbarent ac deciperent, dum suae linguae vsu caperent, quae aliter dicta essent; deinde, illis Hebraeorum interpretationibus, et Analogia linguarum vniuersa adiuti, reperiebant saepius sensum verum orationis, quam vel Hebraei plerique possent, destituti ab illis, quas diximus, artibus. Atque hinc intelligi potest, quare *Rudingero* graecarum et latinarum literarum et omnium artium interpretandi peritissimo, in mediocri scientia hebraicae linguae grammatica secundum vulgarem et mechanicam rationem, felicius res successerit, quam aliis, nihil admodum praeter hanc ad interpretandum afferentibus, nullum vsum interpretandi ex accuratiori scientia alius

 linguae,

linguae, vt graecae et latinae. *Lutherus* aliquo epistolarum loco (*T. I. p.* 139. ed. pr.) ad *Spalatinum* scribit de *Melanchthone*, eum felicius hebraica tractare et libros sacros hebraicos interpretari, quam Professorem Linguae hebraeae, qui nuper Viteberga abierit *). Eius iudicii quae ratio sit, ex iis, quae diximus, intelligi potest. Nam *Philippus* non erat ita hebraice doctus, vt in literatura hebraica excellere posset; nec hoc egerat: sed quae ad sensus recte eruendos necessaria erant, callebat, et omnibus bene interpretandi artibus, quae omnibus linguis communes sunt, valebat. Sed ad institutum iter redeamus.

Sunt ergo interpretes, de quibus paullo ante diximus, clariores ex illis temporibus, quos nos quidem cognouimus, et quorum in hoc genere, propter nobilitatem ingenii et doctrinae, auctoritas esse aliqua possit. Nec tamen eodem illo seculo prorsus caruit Ecclesia Romana interpretibus eruditis; sed ii sunt pauci, de quibus nobis dicendum videatur. *Vatablum* commemorasse non alienum sit, litterarum hebraicarum excellentem sub *Francisco I.* Professorem, quem et Iudaei eruditi admirabantur. Eius Scholia in V. T. in Bibliis *R. Stephani* sunt, etiam in Psalmos separatim edita ab eodem *Stephano*, nuper etiam Halis repetita. Sed quoniam ea, quae ab ipso profecta sunt, excepta videlicet ex eius Lectionibus, interpolata sunt valde e *Caluini* Commentariis, vt, quid ipsius, quid *Caluini* sit, non saepe possit liquido iudicari, eum praetermittemus. Nec *Genebrardum* morabimur, non indoctum illum hebraice, sed ferocem Euangelicorum aduersarium, et nimis addictum Ecclesiae suae. Vnum ergo *Ant. Agellium*, Episcopum Acernensem, commemorabimus, vt per hanc occasionem etiam notior

*) Non piget addere, quod de eodem Hebraeo scribit p. 102. b. *Hebraeus Professor, suo more, caput habet, et id ponderat, quod pondere caret. Nam id, quod nos maximi facimus, facile et libenter tradit: ea, quae nos contemnimus, velut denegaturus, magni facit, i. e. vim literarum et verborum nos curamus, prosodiam vero minus quaerimus, haud sperantes, futuros nos oratores apud Iudaeos.*

notior fiat ſtudioſis harum literarum. Nam fuit ille hebraice graeceque doctiſſimus, verſatusque excellenter in ſcriptis Doctorum Eccleſiae veteris, inprimis Graecae, nec modo editis, ſed etiam ineditis. Is igitur in pleroſque libros Propheticos ſcripſit Commentarios, quorum maior pars, vt in Eſaiam, Danielem, et Prophetas minores, latet inedita in Bibliotheca Pontificia Romae (v. *Le Long* Bibl. S. *p.* 598) imperfecta, vt opinor. Editos autem habemus quatuor; e quibus nos eos cognouimus habemusque in manibus, qui ſunt in Pſalmos cum ceteris Canticis, vt Moſis cet., et in Habacucum: ſed hic breuior eſt, eruditus tamen, ille admodum copioſus et eruditus; ſiue Criticam ſpectes, quam bene et circumſpecte tractat, allatis etiam lectionibus Codd. ſcriptorum, ſiue interpretationem ipſam. Inprimisque plenus eſt Excerptis e Commentariis Graecorum ineditis tum, quibusdam et nunc, vt ſupra, per *Coſmae* occaſionem et *Euſebii*, monuimus. Dixit de hoc Commentario, quem ignorabat, cum Criticam ſcriberet, *Simon*. Epiſt. Sel. p. 1. n. 36. ſed tantum modum tractandi textum e Grammatica et Critica ratione tradit, magna cum viri laude, id, quod nos hic quaerimus, non attingit. Hic igitur tam doctus Interpres in hac noſtra narratione non praetermitti poteſt. Eſt autem in vniuerſo quidem genere interpretandi ſimilis illis, de quibus diximus, ſed magna cum modeſtia. Veluti Pſalmum ſecundum mauult et ipſe typice intelligi; ſaltem apparet eam rationem ipſi non diſplicere. Hebraei, inquit, (p. 25. 6.) de rebus Dauid hunc Pſalmum agere putant. - - Noſtri fere de Chriſto intelligendum cenſent, quos in hac parte nos quoque ſequimur - - Non negamus tamen, vt fere omnia, quae in V. T. geſta ſunt, futurorum imagines fuerunt, ſic praecipue Dauid Chriſti figuram geſſiſſe, vt rerum Chriſti imago in rebus eius praeceſſerit cet. In *Pſ. XVI.* Chriſti verba modo facit verſus 7. 8. nec tamen admodum aduerſatur iis, qui et hos Dauidis fecerint, ſed hac conditione, vt ſpes Dauidis nitatur filii ſui, Chriſti, reſurrectione. At contra *Pſ. XL.* non ſequi vult eos,

qui

qui similiter de v. 8. statuant, faciantque Psalmum veluti vestem, e diuersis filis contextam. Quid igitur? totum, Dauidis vnius esse, sed eum considerandum esse non modo vt hominem et Regem Israelis, sed vt patrem Messiae, qui verba eius vsurpet, quia ex illius carne nasci debebat: in quam sententiam late disputat, p. 215. Psalmum autem XXII. totum Christi et ex eius persona dictum statuit.

His ita expositis, vt propositum erat, in hac dissensione tanta, quae etiamnum duret, et incensa sit etiam recentioribus controuersiis, a Grotianis inde temporibus; cum alii nimis raro Christum in propheti. videantur agnoscere, alii nimis saepe; quod in *Coccejo*, eiusque aemulis reprehendi solet: quid vniuerse statuendum sit, si quis quaerat, et media via quae sit, quam omnes commendent? mihi sic videri non dissimulem: neque enim decet doctorem publicum. Primum igitur arbitror, analogiam vniuersam minimeque dubiam V. T. hoc postulare, vt non valde multis locis prophetias de Christo credamus esse κατὰ ῥητὸν et κυρίως propositas: quasdam esse oportet, quae characteres historicos omninoque tales habeant, per quos de Messia, cum venisset, plane iudicari et ipse agnosci posset, vt supra diximus; quales esse, nemo dubitet, aut negauit vnquam: earum porro oportet esse numerum talem, qui sufficiat, et ad agnoscendum et ad conuincendos aduersarios veritatis. Sed an oportet eas necessario multas esse? Nuspiam numerantur argumenta, sed ponderantur. Et nos cum docemus, Messiam venisse, et in Iesu esse characteres Messiae minime dubios, non modico numero prophetiarum defungimur? Enimuero ex altera parte fatendum ac defendendum est, prophetias mysticas esse permultas: nec vllo modo concesserim, eas esse illis, praesertim apud Christianum, leuiores. Ad Iudaeos quidem conuincendos in principio nihil admodum valeant: sed apud eum tamen, qui iam summam veritatis tenet, prodesse possunt. Nam mysticas et figuratas esse prophetias multas, quomodo mirum aut dubium videri possit,

possit,

possit, cum totus cultus Leuiticus fuerit figuratus. An agnus paschalis et similia nihil, quod firmum sit habent, quia figuram tantum habet; nihil omnes typi? Immo, vt hi pares sunt et esse debent disertis testimoniis, si non sint ficti ingenio humano, sed a Christo et Apostolis demonstrati; sic et prophetiae, in quibus per figuram modo inest Christus. Totam oeconomiam V. T. reprehendat, et mutet necesse est, qui genus hoc prophetiarum et multitudinem reprehendat, aut ad inuidiam interpretis trahat. Omnino oportet in hoc genere non acerbum esse. Vides tu, o! bone, Christum in V. T. vbi alius aut omnino non, aut non ita clare videt, vt tu vel vides, vel videre te putas! Vide eum sibi, et gratias age Deo. Sed fac, vt eum et in cor, cum eius mansuetudine et lenitate, recipias, ne frustra videris. Ille vero alter eum alibi pariter videt, si non vbique in V. T. satis clare, vt dubitet, haereat, per vmbram modo; at in N. T. videt in clara luce refulgentem, et pro eius claritatis beneficio gratias agit Deo. Non probo totam *Grotii* rationem: scio, eum deceptum dulcedine historicae interpretationis, aberrasse: at fateor, me indignari, cum propterea pro Iudaico homine et incredulo vituperari audio, qui veritatem religionis Christianae inimitabili libello demonstrauerit, et viam muniuerit aliis, qui post idem argumentum tractare vellent, et adsuefecerit homines talibus demonstrationibus legendis et cognoscendis, cum tempora imminerent, quibus cum multis pugnandum esset pro religionis Christianae veritate. Sed definendum tandem est, vt veniamus eo, quo nos res vocat, quam in manibus habemus, quaeque non paruam habet cum ea, quam tractauimus, coniunctionem.

Producemus enim in eum, quem indicimus his literis conuentum solennem, quibus ad summos honores ordinis nostri, ad nomen et iura Doctoris sacrarum literarum, aditum faciamus, quam *Licentiam* appellauit vetus inscitia. Sed

Sed hi sunt viri tales *), quales optabile est dari saepe Doctoribus publicis ornandos. Nec opus est, eos a nobis nunc commendari, qui se satis ipsi commendauerint publice, Lectionibus habendis, partim ad Interpretationem V. T. pertinentibus, partim ad Noui; et illi quidem plane ad voluntatem nostram et veram rationem, qualem supra descripsimus, cuius omni tempore exempla rara fuere, suntque cum maxime: hic ita, vt miraremur, Virum a studiis Academicis dudum abstractum, et multis negotiis illiteratis distractum, per muneris publici rationem, tamen gustum illarum literarum conseruasse per lectiones ad sacrarum literarum studia erudita pertinentes. Sed illis lectionibus in colloquiis, quae de more cum iis habuimus, similes se praestitere: nec abhorrebunt, quae scripsere, quaeque disserent eorum disceptandorum caussa. Sed laudibus nostris, apud legentes haec, fidem facere poterunt etiam, quae quisque de vita sua, qua in studiis doctrinae discendo agendoque exacta est, scripsit.

Debebitis hoc, quicunque hic literas vel discitis, vel docetis, vel earum fautores esse haberique vultis, debebitis, inquam, et dignitati talium virorum, et ipsis literis, quod Vos rogare instituimus; vt eorum primum Disputationibus, deinde honoribus faueatis, eumque fauorem frequentia, audientia, aliaque beneuolentia comprobetis: in quo non modo ipsis, sed etiam Ordini nostro, mihique met ipsi, per quem ornabuntur, honorem habitum existimabo.

*) Erant: *Christianus Guil. Thalemannus* ad aedem D. Nicolai Diaconus, *Io. Aug. Dathius* Lingu. Or. Professor, et *Melchior Traugott Schubartus* Eccl. Haynensis Pastor et Dioeceseos Haynensis Superintendens.

DE

DE
LIBERTATE INGENII
IN
CAVSA RELIGIONIS

DE

LIBERTATE INGENII

IN

CAVSA RELIGIONIS

In die eo, quem insignem et religione publica solennem nobis fecere initia excutiendae seruitutis superstitiosae, et libertatis religiosae repetendae, secundum magnitudinem beneficii, quod in eo misericordia diuina nobis indulsit, nihil est, de quo potius vel cogitare vel dicere debeant, qui praesunt publicae religionis doctrinae, et qui horum aemulantur studia, quam *Lutherus* ipse, cuius feliciter efficaci ministerio Deus in illa tanta re vsus est; nec modo grati aduersus eum animi caussa, sed etiam, vt in eius virtutes intuendo, ad imitandi studium curamque incendantur et acuantur. Etenim, cum Deus hoc sibi instrumentum suum omnibus ingenii animique bonis, ad rem talem ac tantam necessariis, cumulandis praeparasset, ipse iis ita est vsus, vt ab eo virtutum omnium, quae in doctore et assertore religionis esse debeant, exempla peti possint, ab nobis vero etiam debeant, qui nos aemulos doctrinae ab eo restitutae et constitutae profitemur. Sed de vniuersis dicere, voluminis ingentis foret, non huius nostrae disputationis, quae paucarum paginarum angustiis coërcetur. Itàque satis erit, vnam demonstrasse, et ad imitandum studiosis commendasse, quae sit et illius felicissimi diei memoriae aptissima, et huic tempori maxime necessaria, libertatem ingenii in causſa

sa religionis, in sacris literis interpretandis, et in omnibus partibus doctrinae, ita temperatam, vt tantum abesset a licentiae temeritate, quantum ab seruitutis vel stupore vel timore. Nam huius libertatis vsurpandae et asserendae initium factum est ea die, qua impiae Indulgentiarum superstitioni aduersarium se professus est, propositis loco publico Sententiis (*thesibus*), per quas primum aditum factum esse constat ad repurgandam religionis doctrinam.

Magnum in *Luthero* et acre ingenium fuisse, ne inimici quidem abnuerint: et id admirari solebat *Erasmus*,[a]) ingeniorum iudex acerrimus. Sed in partibus ingenii excellentis est nouitatis amor et studium, quod, vt in aliis rebus, ita in doctrinarum disciplinis non acquiescit in vsitatis, et vulgo probatis, sed meliora aut plura desiderat, et nouas vias patefacere sibi ac munire conatur, vel ad quaerendum, quod lateat, vel ad emendandum, quod in medio sit, vel ad commendandum, quod quaesitum sit ac repertum videatur. Quod si remouemus inuidiam, quam nouitatis verbo adiunxit partim quorundam in nouando inscitia et temeritas, partim imperitorum stupor et tarditas, interdum etiam improborum cupiditas, id studium sine exceptione accusari, et simpliciter repudiari non debet, sed potius in magna ingenii virtute et beneficio diuino censeri. Etenim, si nulla talis vis insita fuisset ingeniis humanis, non dicam id, quod est in promtu, nullas artes atque doctrinas inueniri potuisse: omnes certe etiam nunc primam tenuitatem et prope barbariem seruarent.[b]) Illud quidem perspicuum est, quod pertinet maxime ad institutam disputationem, eo ipso studio Deum esse vsum ad emendanda per *Lutherum* sacra, et doctrinam religionis bene constituendam: in qua tanta tamque salubri re impedienda et ad inuidiam vocanda, nihil magis tam solenne fuit ignauis et improbis ingeniis, quam nouan-

a) Epist. *Erasmi* ad *Petr. Mosellanum*, inter Epp. Erasm. p.
b) vid. Memoria *Sandelii*, inter Opusc. Orator. p. 304. ed. sec.

nouandi libidinem ac temeritatem accuſare, et nouas ſacrorum librorum interpretationes, noua dogmata, ita appellabant, non ferenda clamare.

Enimuero vix alia eſt ingenii humani pars magis aut aeque anceps et lubrica. Nam et res ipſa declarat, et vſus omnium temporum demonſtrat, eam pari momento ad ſalubritatem et ad noxam, ac prope maiori ad hanc, quam ad illam, trahi, certe ſaepius in partem inutilem et noxiam ferri, inprimis in religionis doctrina, in qua, et inſito quodam naturae vitio, et multiplici alia culpa, irritantur ingenia humana ad male nouandum; vnde oritur illa licentia ingeniorum, quae tot ac tanta religioni mala intulit, et cum maxime inferre conatur. Quo magis videndum eſt, vt illud naturae bonum ita temperetur ac regatur, vt ad vtilitatem conuertatur, in eiusque vſu cernatur libertas vera, et iuſta, et ſalutaris, qualem nobis *Lutheri* noſtri exemplum et demonſtrat et commendat. Nam et de hac libertate valet, quod de ciuili dixit et rerum geſtarum et prudentiae grauis auctor *Liuius: libertas temperata ſalubris eſt; nimia, aliis grauis, et ipſis, qui habent, effrenata et praeceps:* quamquam ipſa libertas, quae vere et proprie dicitur, nulla eſt nimia; ſed ſaepe ac facile ſine modo ac lege exercetur: in quo intelligitur id, quod nimium appellamus, eaque proprie eſt licentia.

Vera libertas, quae ſit eius generis, de quo diſputare inſtituimus, h. e. quae cernatur in iudicandis rebus ad religionem pertinentibus, tenetur, ſi nullius hominis arbitrio ac poteſtati ita ſis obnoxius, vt aut cogi poſſis dicere ac facere contra rectum ſenſum et honeſtam voluntatem tuam, aut non poſſis dicere ac facere, quae recta, et honeſta, et publice priuatimque ſalutaria et vtilia videantur. Sed haec libertas, vt omnis alia, habet primum certam legem ac normam, ad quam in vtendo dirigatur, deinde modos, a quibus accipiat grauitatem et conſtantiam, ne vel efferat ſe inconſultius ac vehementius, magisque

motu feratur, quam iudicio nitatur, nec timefacta contrahat se angustius, quam veritas et honestas patiatur.

Vt igitur libertas talis, cum exercetur in rebus ad iudicium rationis pertinentibus, vt in philosophia, in historia, similibusque disciplinis, legem habet ac normam rationis et naturae, h. e. certa principia naturae et rerum, quas in iudicando, nemine impediente, ac iure suo, sequatur: sic in religione, quam nos dicimus, quam diuinitus traditam sacris literis habemus, legem vnam habet et agnoscere debet ipsas literas sacras: cui legi cum maxime obtemperat ac seruit, tum maxime et verissime libertas et est, et appellatur; nec vlla vera libertas in religione agnosci aut probari debet, quae aut non possit ei parere, aut nolit. Nam, cum ab ea traducitur ad normam arbitrii humani, cui per naturam nulla est cum veritate coniunctio, seruitus existit; cum cupiditate ac temeritate vinculis eius se eximit, in licentiam abit.

Atque etiam est genus libertatis, huic subiectum et coniunctum natura ac similitudine, quod inest in ipsius legis huius, h. e. sacrarum literarum, iudicio et interpretatione. Nam vt quisque magis in iis interpretandis legi recte interpretandi obedit, solutus vinculis potestatis vel auctoritatis et opinionis humanae, vel denique cupiditatis suae; ita magis libertatem veram retinet. Haec ipsa autem lex est eiusmodi, cuius auctoritatem mens recte et libere iudicans, haud inuita agnoscat, libenterque sequi possit ac debeat. Est enim et ipsa diuina: quippe a principiis ducta, quorum originem diuinam perspicue intelligere possimus, hoc est, a rebus clare in Scriptura sacra traditis, et verborum diuinorum indole et natura, notitiis denique insitis diuinitus et incorruptis.

Huius autem partis, quam primam et summam censere libertatis illius religiosae debemus, nullum maius atque illustrius, paene dixerim, par, exemplum habet vel omnis, vel recentior certe aetas, quam *Lutheri*. Hic vir fuit, qui in religione omnia scripturis diuinis, nihil vel arbi-

arbitrio vel auctoritati hominis cuiusquam tribuerit, itaque vnum initium habuerit et cognoscendae et restituendae veritatis, eandemque caussam inuidiae, irarum et vexationum omnium. Omnino fuit in eo viro, quod nec taceri hoc loco, nec satis praedicari potest, fuit, inquam, in eo amor et admiratio Verbi diuini talis, tam et feruens et constans, vt nihil supra. Itaque de Verbo Dei sic loquitur, vt, eum cum audias, ardentem illum pro Euangelio Paullum audire videare, vereque me hoc dicere putem, neminem, post illum Apostolum, ita de Verbo Dei locutum esse: neminem certe tam magnifice, tali cum sensu, dicentem nos vel legisse profitemur, vel audiuisse; vt vel hanc ob caussam in manibus haberi scripta eius ac legi a nostris cupiamus, vt illo sensu imbuantur, illo spiritu incendantur. In interpretandis autem literis sacris quid eo liberius fuit, ad illam quidem legem, quam diximus? qui, repudiatis omnibus opinionibus et auctoritatibus humanis, totus penderet ex iis principiis, quae in scripturis ipsis traderentur, et e linguis diligenter tractatis et bene cognitis. Nam sensus scripturarum se profitetur ipsis comparandis indagasse, et indagare iubet; [c]) et linguarum instrumento adiutum, certum se in intelligendo, et securum ab errore factum esse. [d]) Itaque eum scripturarium et literalem et grammaticum interpretem, per contemtum scilicet, appellabant magni Dogmatici, toti barbariae sordibus obliti, tum, quos ipse vocat, Prophetae noui, ad fanaticam rationem procliues, et Spiritum quendam suum iactantes in interpretatione et cognitione religionis, et studia linguarum contemnentes: cum ipse contra assidue et grauiter commendaret, et earum negligentiam castigaret; [e]) quo etiam potissimum auctore, hortatore apud Principes, et magistratus vrbium, defenso-

c) ad *Io.* 14. cet.
d) Epist. ad Germanos, *de Scholis instit.* T. 2. Opp. ed. Altenb. p. 81.
e) *Philippus Mel.* Or. IV. p. 165.

fenfore et adiutore, in his terris, et in Ecclefia reuixere. Et erat tanta eius in ea re cura, vt etiam inuidiam caueret, quae iis per cauffarum fortuitarum occafionem ab indoctis et ignauis conflari poffet, cum multi effent, vt fcribit ad *Spalatinum*, de methodo, ftudiofis Theologiae in facris literis difcendi fequenda, qui omni ftudio occafionem quaererent ad calumniam bonis literis. f) In quo ille, vt in aliis rebus, multum vidit. Nam haec libertas religiofa, cuius reftituendae et vindicandae auctorem habuit Ecclefia *Lutherum*, fine harum literarum ftudiis non magis teneri et aduerfus arbitrii humani libidinem ac fingendi licentiam, quae fe nunc vndique ingerit, defendi poteft, quam olim reuocari in Ecclefiam potuiffet. Nec vero ingenii, exfultantis auiditate nouitatis, licentia in peruertendis Scripturis, et per eam rationem ipfis religionis capitibus, vel alia re magis corroboratur, quam infcitia et negligentia linguarum, vel certius coërcetur, quam earum veluti vinculis iniiciendis et adftringendis. Illa quidem impia licentia Socinianorum, vt faepe in Lectionibus noftris demonftramus, prope tota eft vel ab indocta infcitia verborum, vel ab voluntaria negligentia, nec alia ratione certius ac facilius conuincitur, quam tenendis verbis; fi iubeas docere, quomodo in verbis Scripturae infit vel ineffe poffit, quod illi defendant.

Sed in hoc genere faepe exoritur quaedam ambiguitas licentiae et libertatis difcernendae: primum in locis fcripturarum iis, in quibus Antiquitas et Scholae vfus agnofcit argumenta dogmatum, cum ea, interpretandis verbis, per fpeciem ἀκριβείας grammaticae aut dialecticae, alio trahuntur, et eripiuntur confuetudini Scholae in dogmatibus firmandis: deinde in placitis, pertinentibus ad rationem hiftoricam et criticam, vt de literis, de punctis Hebraeorum et accentibus, de lectionis varietate, et rebus fimilibus: in quibus faepe et licentia inuidiofe accufata, et libertas defenfa eft, vel nomen libertatis

f) Epiftol. T. I. p. 47. b.

tis pro clypeo fuit. *Luthero* quidem ipsi in vtroque genere crimen licentiae atrociter et assidue intentatum esse ab defensoribus receptae in Ecclesia Romana disciplinae, satis constat, nec vnquam ea criminatio aduersus Ecclesiam nostram vniuersam, et Doctores eius, conticuit: et in ipsa quoque Ecclesia nostra saepe quidam talis licentiae rei facti sunt, et cum maxime fiunt, iure interdum, sed interdum etiam iniuria et vitio ingenii humani, non facile patientis eripi sibi sua, et quae diu probauerit et pro certis defenderit, repudiari, praesertim ab iis, quos vel aetate, vel honoribus, vel fama superet, vel his vniuersis. Illud quidem in promtu est, rationem Romanam in hoc genere plane repudiandam esse, quae rem vel ad consuetudinem reuocat, auctoritate veterum nixam, quae non mouenda aut sollicitanda sit, vel ad arbitrium Episcopi Romani, hoc est, hominis, siue, vt honestius faciant, Ecclesiae; quod siue necessitate seruili, et inuidiae inter suos timore, fit, vt a doctioribus, quos multos commemorare inde a *Cano* (*Loc. Theol.* 2, 13.) possemus, siue inscitia, et indocta improbaque pertinacia, vt in turba monachorum et scholasticorum rabularum. De quo genere nuper fuit *Laubrusselius*, Loiolita Argentoratensis, acerbissimus in hac caussa, vt in aliis, *Luthero* maxime, et omnibus Ecclesiae nostrae Theologis, in explicandis ac defendendis doctrinae Christianae capitibus, scripturae sacrae potius, recte per adiumenta literarum et linguarum explicatae, quam humanam auctoritatem secutis, in libro tertio Operis *de abusu Criticae in Caussis religionis.* Sed bene est, quod in ipsa Ecclesia Romana inscitia hominis et impudentia repudiata est, nuper etiam ab *Alemberto*, ingeniosissimo et doctissimo Viro, in principio Disputationis, sub eodem titulo acerrime notata. g) Nos vere videamus

g) *Melanges de literature cet. T. IV. p.* 370. Non alienum fuerit, ex eo libello adscribere locum de Scholis Protestantium in Germania, quod illius laudis origo ducitur ab libertate

deamus et iudicium et exemplum *Lutheri*, in quod intuentes, in neutram partem vehementiores aut acerbi simus, in vtraque modum seruare, et recta via incedere, i. e. veram libertatem et tenere ipsi, et aliis concedere discamus.

Reprehensus, vt hoc potissimum commemorem, ab *Hieronymo Dungershemio*, Theologo in hac Academia tum primario, quod locum Paulli ad *Philipp. II*, secus, quam consuetudo Scholae ferret, et noua ratione explicasset, sic ei rescripsit: [h]) „*De secundo loco Philipp. II, quem putas a me, Erasmum secuto, male tractatum; verum etiam tu hic non textum, sed Patrum sententias refers. Primum, mi vir egregie, credo te nosse, hunc versum Psal. CX.* Tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus sanctorum ex vtero, ante Luciferum genui te, *esse de Divinitate Christi, aduersus Arrium, velut summum, ac inter prima, argumentum agitatum; vt legis in Tripert. et in Augustino, ita vt Graeca et Latina Ecclesia hoc sensu eum Psalmum teneat etiam cantu celebratum in officio diuino: non tamen ob hoc Lyram, Burgensem, imo hebraeam linguam, haeretificabis, vbi legitur, hunc versum non posse quidem de diuinitate intelligi. Quare non semper claris et aper-*

tate ingeniorum honesta et nullis terroris vinculis constricta: „*On ne peut s'empêcher d' avouer avec affliction la supériorité présente des Universités de la partie Protestante de l' Allemagne sur les Ecoles Catholiques. Elle est si frappante, que les Etrangers, qui voyagent dans ce Pays, et qui passent d' une Uniuersité Catholique à une Université Protestante voisine, croient en une heure avoir fait quatre-cens lieues, ou vécu quatre cens ans, avoir passé de Salamanque à Cambridge, ou du siecle, de Scot à celui de Newton.*" Nam quod Vir doctissimus putat, id discrimen non esse ab diuersitate religionis, quod in Franciae et Italiae quibusdam Scholis effloruerint pariter literae: alii Viri doctissimi illarum partium, etiam Theologi, fassi sunt, necessitatem colendarum diligentius literarum a Protestantibus ortam esse. v. *Verneii Appar. ad Ph. et Theol. II.* 1. 9.

h) Epist. T. I. p. 149. b.

apertis auctoritatibus contra haereticos pugnant sancti Patres. Quot auctoritatibus abutitur Hieronymus contra Iouinianum? Augustinus contra Pelagium? et alii contra alios?

Item illud Genesis, Faciamus hominem ad imaginem nostram, *quanta fiducia Augustinus pro Trinitatis assertione, et pro imagine, quae est in homine, tractat: cum neutrum ex eo possit probari, quod in hebraeo* faciam *dicitur, non* faciamus. *Item illud Exo. III.* Ego sum, qui sum, *omnes ad substantiam Dei referunt: cum Burgensis et Hebraei ad effectum auxilii aptari conuincant. Quia dicit,* Ero qui ero, *in futuro: et infinita his similia. Quid ergo mirum, si et locum Philip. II, ad diuinitatem torserint, qui aptius de humanitate sonat, si verba consideres? Non ergo credo me peccare, si Patribus dissentio in aliquo textu obscuriore. Quid vero vos facitis, omisso textu, tantum in dictis Patrum versantes, nisi quod dubia et incerta relinquitis? In qua re Magister sententiarum pessimum exemplum reliquit, omnia omnium dicta concordare nitens. Ex quibus fit, vt contra haereticos dubiis obscurisque sententiis armati, ludibrium fiamus.*"

Hic quis non videt, auctore *Luthero* nostro, primum hanc libertatem discedendi a vulgatis interpretationibus, in explicandis aut defendendis Doctrinae capitibus, concedi: deinde ad linguae rationes bene cognitas adstringi, quae et necessariam interdum faciant discessionem ab vsitatis interpretationibus, et honestam: eam porro his finibus coërceri, vt in locis obscuris se contineat, nec loca plana et perspicua tentet ad peruertendam aut sollicitandam doctrinam: denique habere caussam hanc, ne in disputatione aduersus haereticos, (addi poterat, cum acutioris ingenii hominibus) frustra laboremus, atque adeo irrideamur, grauem sane, et temporibus iis, quibus studia linguarum vigent, admodum necessariam.

Hac igitur tali de caussa, si absit temeritas, inscitia et insolentia, illudens potius veritati, quam succurrens, et

insidias perspicue struens, non defensionem diligenter parans, appareatque amor et studium veritatis, et doctrinae bene explicandae et accurate defendendae diligentia; non est aequum, licentiam exprobrare, non potius libertatis veritatem agnoscere. Nec est difficile bonorum virorum doctam modestiam, grauitatem et constantiam, discernere ab ceterorum leuitate et libidine. *Aliter catuli olent*, ait illa, *aliter sues*. Prurientis gestus etiam leuiter attendenti obseruantur: scabies vero etiam in oculos incurrit. Atque etiam iniquum foret, lapsus omnes in hoc genere aliquid tentantium referre ad licentiam, et ad infamiam vocare, praesertim si etiam aetatis aliqua excusatio accedat, quae ipsi *Luthero* et vsurpata est, et profuit in tali genere. Nec vero nimis duriter sunt tractanda ingenia, praeclara praesertim iuniorum, ne opprimatur insita vis et exstinguatur, quae fouenda potius est, et lenitate admonendi regenda. Etenim aetas illa, nondum longa exercitatione vsa, etiam leuis speciei blanditiis capitur, labiturque cupiditate magis, quam prauitate, denique ipso lapsu, si amica manu attollas, fit ad cauendum diligentior. Idque multo magis de altero illo genere, quod proposuimus, valet, quod, quamquam ipsam doctrinam aliqua ex parte attingit, historicum tamen est maxime: in quo etiam *Lutherum* nostrum liberiorem, ita liberum fuisse, constat, praesertim vigente aetate, vt vix in alio, etiam sui, satis laturi fuisse videantur: quale est, quod iam tum, cum, propter paucitatem librorum, saltem ambigua res esset, tamen seuere repudiauit testes in coelo 1 *Io. V.* puncta autem Codicis hebraici sine exceptione ingeniis magistrorum Iudaicorum tribuit, et saepe fallacia constanter pronunciauit. Sed et in his et in aliis generibus ab licentia nobis cauebimus, et libertatis verae et honestae fines conseruabimus, si et leges illas libertatis, quas posuimus, tenebimus pressius, et modum eius exercendae seruabimus, cuius sapientissimos homines auctores, *Lutherum* vero et magistrum

ſtrum et exemplum habemus: de quo nobis aliquid dicendum reſtat.

Plato in Dialogo de Scientia, qui ab ſermone Socratis cum Theaeteto, ingenioſiſſimo iuuene, *Theaetetus* inſcribitur, in perfectis ingeniis, et ad conſequendam veram ſapientiam, requirit non modo fortitudinem quandam praeſentis animi, ſed etiam lenitatem, ne, vt πλοῖα ἀνερμάτιστα, *naues non bene ſaburratae*, fluctuent, ſintque μανικώτεροι ἢ ἀνδρειότεροι, *furibunda potius quam fortia*, ſed λείως τε καὶ ἀπταίστως καὶ ἀνυσίμως, *leniter, ac ſine lapſu, et ſtrenue*, in veritatis diſquiſitione verſentur. Quo ſpectat etiam *Baconis Verulamii*, quamquam in alio genere nouandi, admonitio, iubentis imitari tempus, quod innouat vel maxime, et corrigit, quae non bene habent, ſed leniter, tacite, ac prope ſine ſenſu. [i]) Et illud quidem in promtu eſt, in libertate illa noſtra, fortitudine quadam opus eſſe, quae haud dubie praua et vitioſa corrigere, veritati conſulere, eam certa ratione cognitam proferre in lucem ac defendere audeat, nec timeat inuidiam in rebus grauioribus, cum ſalute hominum perſpicue coniunctis, ne periculum quidem: cuius fortitudinis nullum aliud maius, immo par exemplum habemus *Luthero* noſtro. Sed et in hoc maiori et neceſſario genere, tamen vera libertas ſeruare debet modum lenitatis et verecundiae, quam et rerum grauitas, et Eccleſiae reverentia, iure ſuo poſtulat. *Etiam vera loqui cum timore oportet in Eccleſia Dei, Lutherus ad Io. Siluium*, de dogmatibus ſuis conſulentem, ſcribit. Rectiſſime. Nam Eccleſia altera noſtra in his terris, et bona mater eſt, quam leniter docere et corrigere pietatis eſt. Et videmus, quam lenia et placida initia habuerit libertas *Lutheri*, qui dubitantis modo, non iudicantis, contra Indulgentias ſcribere coepit. Ita ille quidem in cauſſa tam manifeſta, tam graui! Quid fieri debet in minoribus, in minus perſpicuis? in quibus iactatio vehementior plus plerumque vanitatis inutilis

i) in Sermonibus fidel. digniſſimis lectu n. XXIV.

inutilis habet, quam verae, et ſapientis, et vtilis publicae libertatis: inſolentior vero, et arrogantior, et petulantior, etiam caſtiganda eſt et penitus eiicienda. Itaque omnes, qui ſalubriter et ſapienter vti libertatis bono in rebus talibus velint, oportet animos ad hanc modeſtiae et lenitatis tranquillitatem componere, in primisque, ſi qui ſunt acrioribus ingeniis, celeriorique natura, et adhuc feruent aetate, vt vel exſpectent, tum in iudicando, tum in iudicio ſuo proferendo, dum ille feruor reſideat, per quem tam facile praecipitantur ingenia optima, bonitate ingenii per luxuriam ante euaneſcente, quam frugem bonam edere poſſit, vel identidem ſe in conatu iudicandi reuocent ad cognoſcendi diligentiam et ſeueritatem, et illum bonae naturae geſtientem impetum, velut generoſi equi ferociam, in arena diuturnae et ſeuerae exercitationis fatigent, nec velint ante non modo doctores, ſed etiam emendatores eſſe et reformatores, quam ipſi ſint, ad veram normam et regulam, multis literis, et diuturno literarum, diuinarum maxime, atque etiam humanarum, vſu emendati et formati. Aliter veram libertatem non tenebunt, ſed ad licentiam nec opinantes ruent. Scio me hanc parum iucundam diſciplinam libertatis capeſſendae et exercendae ſancire ingeniis talibus; ſed non eſt alia vera, et honeſta, et ſalutaris, nec nimis ſeuere caueri veritatis diuinae et religionis ſecuritati poteſt.

Neque tamen in hac ſeueritate ita ſumus acerbi, vt nihil humanae naturae imbecillitati concedamus, nec condonari quicquam ab hac via aberrantibus velimus. Etenim multis de cauſſis accidere poteſt, vt de recta via vel declinent, vel etiam depellantur, qui ab licentia opinandi toto animo ſunt alieni. Primum nemini, ne doctiſſimo quidem, ita cautum eſt ab errore, vt nunquam labatur, etiamſi omnia diligenter circumſpiciat: et interdum ſpecie veri decipiuntur acutiſſima ingenia. Inſidiatur etiam ingeniis praeclaris impatientia morae, in difficultatibus praeſertim tollendis. Itaque ab ea interdum oppreſſi

ad

ad opiniones trahuntur, quibus proferendis audaciae cuiusdam inutilis et periculi aliquid habentis non iniustam suspicionem et inuidiam mouent; praesertim cum irritantur in disputatione ab aduersariorum vel acerbitate vel etiam inscitia et impudentia: in quo genere etiam *Luthero* nostro interdum aliquid humani accidisse, iudicia eius quaedam liberiora, vt de epistola Iacobi et Apocalypsi Iohannea, arguunt. In hoc igitur genere aequum sane iudicamus, videre, quo quisque animo sit, et quo consilio quidque dicatur, vt eius integritati et bonitati condonemus aliquid. Omninoque, vbi improbitas et libido reprehendendi et peruertendi veritatem absit, leniter in viam reuocare errantem, et intra fines verae et iustae libertatis reducere tentemus.

Plura dicere hoc tempore locus hic non patitur: et haec speramus sufficere, iuuentuti inprimis ingeniosae, studia sacrarum literarum aemulanti, ad cauendum, ne sibi indulgeat quis vltra fas in libertate iudicandi de rebus diuinis, aut ἐλευθερίαν ἐπικάλυμμα τῆς κακίας, 1 *Petr. II*, 16. faciat, sed, dum se liberum ab arbitrio et auctoritate hominum ostendere vult, seruum Dei et Verbi diuini probet: ὡς ἐλεύθεροι, ἀλλ' ὡς δοῦλοι Θεοῦ. Hic quoque debet esse omnibus in animo et in ore illud Paulli, μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ, *Rom. XI*, 20. In primisque existimandum est, in hac libertate vsurpanda duce opus esse diuino, et de eo quoque genere verum esse, quod de alio dixit Paullus: οὗ δὲ τὸ πνεῦμα Κυρίου, ἐκεῖ ἐλευθερία, 2 *Cor. III*, 17. Hoc igitur duce et monitore discamus libertatem ingenii et capessere et exercere, sequamurque exemplum eius, per quem ea nobis est restituta, Patris nostri communis, *Lutheri:* qui profecto instinctu illius Spiritus Vindicias huius libertatis suscepit, et eiusdem adiumento feliciter peregit, atque ita nos eo dignos probemus. Ceterum huius diei solennitate admoniti, primum cogitemus magnitudinem beneficii, quod in vniuersa libertate religiosa, per *Lutheri* ministe-

nisterium restituta, nobis est tributum, et auctori eius, Deo, gratias dignas decernamus. In quo non modo communibus caussis moueri nos conuenit, sed etiam propriis: quod illa libertas multis modis coniuncta est cum studiis rectis vniuersae doctrinae liberalis. Nam et in illa vindicanda multum valuerunt studia recta linguarum, historiae, philosophiae, etiam scientiae legitimae, nec minus valent in tuenda et conseruanda: ipsa autem incenduntur et augentur illa libertate exercenda, eiusque retinendae et firmandae cura. Et partem quidem beneficii illius diuini eam, quae proprie ad religionem pertinet, in qua est summa salus nostra, commendabunt nobis, qui inter sacra communia Ciuitatis concionabuntur: alteram, nobis propriam, quae coniuncta est cum studiis doctrinae, inter Sacra Eucharistica, quae in aede Paullina hora XII. fient, commendabit *M. Ioannes Friedericus Burscherus*, Philosophiae Professor, Vir doctissimus. Dicet enim ita *de Bono verae libertatis in iudicando*, vt et magnitudinem eius, vimque in studiis doctrinae, demonstret, et id nobis per emendata *Lutheri* ministerio sacra contigisse doceat.

DE

DE

AVARITIA

ECCLESIASTICA

ET

SALVIANI ADV. AVARITIAM

LIBELLO

Ern. J. S. VIII, p. 513.

DE AVARITIA ECCLESIASTICA ET SALVIANI ADV. AVARITIAM LIBELLO

Doctrinae publicae emendandae initia, nemo nefcit facta esse oppugnanda foeda auaritia, quae per lene *indulgentiae* nomen, non modo in pecunias hominum male credulorum faeuiret, sed etiam disciplinam Ecclesiae, ad coërcendam peccandi libidinem vtcunque constitutam, euerteret, denique, quod pessimum erat, ipsam religionis summam corrumperet, hominum animos foeda superstitione oppleret, peccandique licentiam corroboraret atque augeret. Alii ante, aliisque in locis, viri, etiam docti et boni, improbauerant perniciosam illam auaritiam; sed aut tacita modo indignatio fuerat, propter periculi metum, aut, si tamen ausa erat libere loqui, vel omnino caruerat successu conatus, vel ad breue tempus valuerat. Nam et plerique non tam religionis caussam egerant, quam suam, Ordinis Monasteriique sui, inuidia magis, quam veritatis et religionis amore, incensi. Principes autem et ipsi aegre tulerant rem, non, quod esset inimica religioni; nam eius plerumque vltima apud eos cura est: sed quod nollent tantam pecuniae vim e finibus suis exportari, quae melius ad se veniret: venerantque interdum in partem praedae, vel adimenda ministris sacrarum exactionum pecunia, vel talium exactionum potestate a Pontifice Romano ad vsus aedificandi, belligeran-

di aliosue ſibi impetranda. Sic quondam Praeſides provinciarum Romanarum auri Iudaici exportationem non tulerant, vt in Aſia Flaccus apud Ciceronem et alii, poſt Caeſares; ſed vt ad aerarium Ciuitatis, ſed vt ad fiſcum Caeſaris veniret. Lutherus autem eam auaritiam, cum omnibus rei vniuerſae vitiis, vero et integro animo oppugnare inſtituerat, nihil aut ſui priuatim, aut Ordinis ſui communiter ſpectans, nihil denique humani, omnia diuina, et cum veritate doctrinae Euangelicae, cumque ſalute animarum humanarum coniuncta; idque loquuntur nobiles illae Theſes, quibus proponendis bellum auaritiae et ſuperſtitioni vniuerſae denunciauit. Neque hoc vnum agebat, vt plerisque videmus placere, ſed plura etiam et maiora petebat, ſummam vniuerſam rei poſtmodum actae, i. e. vniuerſae tyrannidis Romanae euerſionem et doctrinae diſciplinaeque publicae emendationem vniuerſam. Nam et res ipſa, quae impugnabatur, habebat magnam cum vniuerſis Eccleſiae Romanae rationibus copulationem, et ipſe, hoc ſe egiſſe animo et ſpectaſſe, in epiſtolis ad Spalatinum profitetur. Quo magis Deo viri et conſilium et conatus placuit, qui profecto etiam ei et hanc mentem iniecerat, et hanc animi vim inſpirauerat, vt tantum onus et ſuſcipere geſtiret, et ad extremum vsque ſuſtineret. Itaque res habuit illum euentum, quem admirabundi videre maiores, cuius memoriam nos fructumque, ſi quidem grati ſumus, et beneficii magnitudinem capere poſſumus, laeti celebramus.

Arbitramur, non alienum nos facturos ab hoc cerimoniae craſtinae praefandi officio, et ab illius, de qua diximus, rei memoria, ſi quid de vniuerſa auaritia, vt ita dicamus, eccleſiaſtica, cuius tum partem petiit Lutherus, pauca diſſeramus. Nec abhorret ea diſputatio a praeſentis temporis rationibus, quibus, in ipſa Eccleſia Romana, multis partibus, praeſertim in Francia, in omnium ore

eſt,

est, accusaturque libris palam auaritia vetus Cleri, cum diuitiis, per malas artes quaesitis, ad iuuanda et coloranda consilia circumscribendi et auaritiam illam, et diuitias ipsas, harum etiam, idque maxime, diminuendarum: non vt religioni consulatur eiusque puritati: nihil minus agitur: sed vt noua subsidia potentiae firmandae augendaeque quaerantur aduersus hostes, quibus per veteres et solitas opes pares esse non videantur. Hinc ex altera parte querelae multae et graues eorum, quorum copiae in periculum adducuntur, studiumque defendendi, vt ita dicamus, fines suos*) et opes longos cumulatas per annos. Quo pertinebat nuper Viri doctissimi e Benedictinorum inprimis locuplete familia, in *opere nouo diplomatico*, optatum, vix euentum habiturum, vt accurate quis, et sine cupiditate, de origine diuitiarum Ecclesiasticarum scriberet, ad reprimendas vulgatas iam calumnias, quae ad perniciem Ecclesiarum et Monasteriorum spectarent. **) Et sunt profecto in his disputationibus vtriusque partis falsa veris admixta, dum quaeque, nimis fauens caussae suae, vel videre se putat, quae nuspiam sunt, vel non vult videre, quae sunt ante oculos perspicuis impressa vestigiis.

Sed in illa caussa et quaestione saepe fit, vt vitia cupiditatesque singulorum commisceantur cum auaris institutis et artibus vniuersorum. Nam multos omni tempore fuisse, sicut qui suam magis, quam Christi gloriam spectarent, ita, qui suam vtilitatem primam facerent in sacerdotio administrando, ad eamque doctrina ipsa Christi

 abute-

*) Traité nouv. Diplom. T. IV. p. 582. *Les pretendus sages de notre siècle font des systèmes pour autoriser la destruction des Eglises totale.*

**) Ibid. p. 581. extr. *Vn traité historique et exact de l' origine des biens des Monastères seroit indispensable, si l' on vouloit rectifier les fausses idées répandues dans un nombre des Auteurs modernes cet.*

abuterentur, id eſt ita teſtatum omnibus diuinis humaniſque literis, vt dubitatione careat. Etenim, vt veteris Eccleſiae Iudaicae exempla mittamus, iam Paullus commemorat *καπηλεύοντας τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ*, *qui cauponarentur Euangelium*, hoc eſt, quaeſtum ex Euangelio tanquam e merce, facerent, et miniſterium verbi in negotiationem conuerterent, 2 *Cor. II*, 17. cf. 1 *Theſſ. II*, 5. *Tit. I*, 11. Et veteris Eccleſiae doctores ſubinde queruntur de hac peruerſitate quorundam, commemorantque *χριστεμπόρους*, et *χριστεμπορίαν*, *mercatores* et *mercaturam Chriſti* et Euangelii. Vnius *Hieronymi* quam multae eo pertinentes extant querelae, quas etiam in vnum locum congeſtas hominibus Eccleſiaſticis commendat *Baronius* Ann. ad a. 370. n. 19. ſ. Nec id aut mirum videri poteſt, in tanta paucitate hominum, qui veram pietatem ſequuntur, ab ipſo Chriſto denunciata, aut ad opprobrium et criminationem ordinis Eccleſiaſtici aut Euangelii ipſius trahi debet, quod eſt commune omnium aliorum vitae generum, etſi dolendum in nullo alio magis.

Non igitur aliam auaritiam Eccleſiaſticam agnoſcere debemus, quam quae ſit in inſtitutis callide inuentis ad augendas Eccleſiarum et Monaſteriorum diuitias, per ſpeciem religionis, cum noxis priuatis publicisque. Atque ab huius generis labe primum, vt arbitramur, pura debemus pronunciare tempora ea, quae ante Conſtantini M. aetatem et huic proxima fuere. Etenim ſuperioribus, ſatis conſtat, Eccleſias nihil habuiſſe, quod ſuum poſſent dicere, neque in agris, neque in numis, nullas dotes, nulla patrimonia. Nam nec templa erant, vt eſt a *Blondello* aliisque demonſtratum, quae noſtris eſſent ſimilia, nec Monaſteria eius, quae poſt fuit, aut nunc tenet, formae. Nec aliud habebat coetus Chriſtianorum, i. e. Eccleſia in quaque vrbe, commune, praeter ea, quae ad alendos doctores ſine re publicos, et pauperes, vel ipſi contuliſſent,

ſent, per eas, quas oblationes dicerent, vel ex aliis Ecclesiis in vltima neceſſitate collecta accepiſſent, de vetere Apoſtolico more et inſtituto. Primus Conſtantinus Ecclesiis in eam quoque partem liberalem ſe praebuit, vt agros iis donaret, quorum fructibus pauperes, viduae, orbique parentibus alerentur, auctore *Euſebio* Vit. Conſt. IV, 28. Ab hoc autem initio longius res progreſſa eſt: donationes fundorum pecuniarumque factae Ecclesiis, vnde certi et perpetui reditus eſſent, decimae attributae; aliae extra ordinem pecuniae in eas congeſtae: vnde ſaepe non parum ſupereſſet vſibus neceſſariis: quae late perſequuntur, qui de Beneficiis eccleſiaſticis et reditibus ſcripſere. Hactenus ergo nullum auaritiae veſtigium; omnia liberalitatis, etſi interdum ſtultae et ſuperſtitioſae. Nec in eam partem acceperimus ſtudium copias Eccleſiarum augendi parſimonia, diſpenſationis diligentia, cultu praediorum et vniuerſae rei ruſticae cura exquiſitiori; quae plurimum profecto valuit ad diuitias Eccleſiarum, praeſertim in regionibus vaſtis et parum ante cultis, vbi etiam tanto latiores agri aſſignabantur, quanto minus tum ex iis redibat, velut in Germania noſtra; nec minus ad copias ceterorum incolarum, qui nouas artes aliunde allatas imitarentur, in ſiluis exſcindendis, inertibus terris mouendis, in vitibus ſerendis, arboreis fructibus mitigandis, vniuerſoque cultu hortorum: vnde etiam villae multiplicatae, vrbes nouae ortae, cum pluribus iam alendis ſufficeret terra, pluresque manus occuparet. Immo in hac parte, nos certe, etiam debemus Eccleſiis et Monaſteriis. Fuerint interea aliqui ex iis, qui praeeſſent rei communi Eccleſiarum, cupidiores augendarum copiarum, et Principum priuatorumque liberalitatem erga Eccleſias vel allexerint blandiendo, vel impudenter mendicando expreſſerint: ne hoc quidem auaritiae noxiae aſſignetur. Humana iſta ſint: et ſtudiis rei communis condonentur. Agnoſcamus etiam interdum innocentiam

in iis, quae pro malis artibus auaritiae exprobrantur a multis hodie: quale illud esse arbitramur, quod existimant aliquando, Seculo nono atque decimo, sparsam esse a clericis in populum opinione imminentis rerum humanarum finis, vt homines, ea opinionem capti, bona sua Ecclesiis et Monasteriis relinquerent. Nam is error, fanaticae similior dementiae quam callidae imposturae, nec toleratus est vnquam, vt bene demonstrat *Mabillonius*, in Annal. Bened. T. II. p. 672. s. nec hanc vim videtur habere potuisse. Neque enim Ecclesiis plus quam suis se profuturos existimare poterant, qui non sibi magis quam omnibus finem rerum instare crederent.

Sed sint ista et alia his similia, vel honesta ipsa, vel maligne in auaritiae crimen vocata: tamen non vicerint vllis doctrinae antiquae copiis vel moderatissimarum honestissimarumque familiarum sodales, copias Ecclesiarum suasque nihil debere auaritiae artibus non probandis, non decoris Euangelicae professioni, quae copias spernere iubet; quibus etiam vsi sint ii, quorum nomina sanctitatis laudes nobilitauere. Exempli caussa dicamus de vno, ne longiores simus: quippe librum non scribimus, et per hanc occasionem operis antiqui notitia accurata impertiamus studiosos antiquitatis eruditae, qua vulgo caruere etiam de doctissimis quidam.

In beneficiis haud satis consultae semper liberalitatis erga Ecclesias Constantinus M. etiam hoc iis tribuit lege, Romae in ipsis Quinquennalibus Constantini et *Crispi* Caesarum proposita, vt quisque Ecclesiis, quicquid vellet, testamento posset relinquere: quae lex etiam nunc extat l. 4. *Cod. Theod.* de Episc. Ecclesiis et Clericis, et l. 1. *Cod. Iust.* de SS. Eccl. siue ea prima eius rei ius fecit Ecclesiis, siue ante iam, ab anno inde 312 aliis a Constantino concessum, ad Romanas etiam Ecclesias pertinere voluit, quae eo iure ante caruissent; quae est *Gothofre-*

di

di coniectura, non admodum, vt nobis quidem videtur, probabilis: tum, quod non ducitur a testimoniis vel rerum vel scriptorum, tum quod res ipsa non satis videtur conuenire. Nam quae in quinquennalium celebritate factae sunt leges, eae vero, secundum obseruationes ab exemplis haud dubiis ductas, ad vniuersitatem Imperii pertinuere: de quo adeundus *Pagius* in Dissertatione Hypatica P. II. c. 3. 4. cet. Erat autem tum in Occidente Constantinus, occupatus bello Sarmatico per Pannoniam Daciamque, quod anno 319 coeptum ad 322 vsque durauit; vnde, id quod aliis exemplis constat, edicta, non modo, quae ad Romanos proprie, sed quae ad Imperium pertinerent, misit, publicanda in antiqua Imperii sede. Nec intelligi potest, quare, quod ceteris Ecclesiis dudum concessum esset, eo Ecclesiae vrbis Romanae solae caruerint, et quomodo id passi sint Episcopi Romani, Melchiades et Siluester, hic per annos octo, homo alias non immemor vtilitatis suae vel Ecclesiarum suarum.

Nec vero ad legem hanc vel abolendam, vel eius beneficium circumscribendum, aut Ecclesiarum inde crescentes in dies copias minuendas, pertinuit lex Valentiniani maioris *Cod. Th.* l. 20. de Episc. cet. vt video placere *E. S. Cypriano*, in aureo et ediscendo penitus libello de Papatus Origine et Incrementis 18, 3. Non ad Ecclesias illa lex pertinet, sed ad Clericos heredipetas, qui irreperent in domos priuatas adque mulierculas superstitiosas, viduas inprimis et pupillas, et earum imbecillitate captanda in testamenta ipsi priuatim venire tentarent. Nec *Hieronymi* de ea lege querela Epist. 2. ad Nepotianum, pertinet ad Ecclesias, quarum commodis obstaret, sed ad Clericos et monachos, quorum improbitas eam legem expressisset, sibi potius quam Ecclesiae quaerens copias: *Non de lege*, inquit, *conqueror*, *sed doleo*, *cur*

 merue-

meruerimus hanc — Sit heres, sed mater filiorum, i. e. gregis tui, Ecclesia, quae illos genuit, nutriuit et pauit. Quid nos inserimus inter matrem et liberos? Itaque etiam post illam Valentiniani legem testamenta, quae Ecclesias heredes scripsissent, rata fuere. Sed hoc obiter admonuimus.

Sed illa Constantiniana lege fontem diuitiarum Ecclesiasticarum perennem atque vberrimum patefactum, ab illiusque vbertate immensas diuitias in Ecclesias, maiorum praesertim vrbium, fluxisse, fatentur omnes, etiam in Ecclesia Romana, allatis etiam veterum testimoniis, vt *Pagius* in Crit. ad a. 321. sine haesitatione secutus *Gothofredum* ad *Cod. Theod.* l. c. e quo sua descripsit. Nam in recentis tum vel Christianismi modo suscepti, vel laetitiae e pace Ecclesiae per Constantinum reddita ardore, cum contemtum rerum humanarum, et benignitatem erga pauperes inprimis, publica Ecclesiae cura alendos, demonstrare plerique vellent enixius, fecerunt simile quid iis, qui Apostolorum ministerio primum ad Christi fidem adducti, superabundante gaudio, etiam omnia sua Apostolis permisere, vt cum pauperibus communiter alerentur, nec quicquam haberent ab ea parte praecipui. Itaque multi aut viui amplis donationibus ad Ecclesias contulere magnam bonorum suorum partem, aut testamentis, per quae etiam copiosius et libentius post illam legem dabant, quod vsum rerum et fructum viui retinebant.

Iam in hac repentina liberalitate saepe aliquid superstitionis intercessisse, etiam iniurias in coniuges, liberos et cognatos, facile intelligi potest: et extant super ea re piorum querelae. Nec abnuerimus, a Clericis interdum impulsos esse homines in hanc fraudem, cum cohortarentur diuites, ne beneficium legis irritum facerent amore intemperante vel suorum vel pecuniarum ipsarum. Omnia tempora, etiam nostra, et huic aetati proxima, talis

talis iniuriae, et talis intemperantiae, in instituti religiosi nouitate vel commendanda locupletibus, vel prosequenda largitionibus, exempla tulere. Auaritiam quidem nondum exprobrabimus iis, qui etiam fortasse intemperantius hoc tormento expugnandae vel pietatis in suos, vel auaritiae sunt vsi. At hanc tamen sine dubitatione impudentem impiamque auaritiam et artem pessimam augendarum ecclesiasticarum diuitiarum agnoscemus, quae pro parte necessaria religionis, et in conditione sperandae remissionis peccatorum obtrudere Christianis ausa est largitiones testamentarias, sub pauperum nomine, Ecclesiis faciendas, et per eas, coniugibus liberisque alimenta sua eripienda, quibus prospicere et consulere iussit diuina auctoritas. Hoc vero genus auaritiae extitisse post illam legem et vsurpatum esse etiam ab iis, qui in laude doctrinae et pietatis versarentur, insigni et commemorando exemplo planum faciemus, enarrando argumento libri veteris, quod, sub tractatus siue epistolae nomine *aduersus Auaritiam*, exstat, et vulgo commemoratur inter *Saluiani Massiliensis* opuscula; quem sanctum Virum *Eucherius* Episcopus Lugd. *Baluzius* autem *Orbis Christiani magistrum* appellare non dubitat.

Opus id habere auctorem *Saluianum* nemo hodie, vt opinor, dubitat, etsi nomen eius in Codicibus scriptis non habet, sed *Timothei*; estque primum a *Sichardo* in *Antidoto*, deinde *Heroldo* in *Haeresiologia* editum, sub titulo *aduersus Auaritiam*, non constat, an quia in scriptis exemplis sic repertum esset, cum ii, quos *Baluzius* vidit, eum titulum non haberent, sed *ad Ecclesiam Catholicam*. Credibile est, secutos esse *Gennadii Massiliensis* auctoritatem, qui eum titulum operis habet, sumtum, vt opinor, e praefatione ad Salonium. Sed hic titulus decepit homines doctos, qui opus ipsum non legissent, et argumentum libri e titulo hoc iudicarent, fortasse, quia hanc ipsum

ob caussam legere non dignati essent, putarentque, nihil inesse aliud, quam declamationem aduersus auaritiam vulgarem. *Caueus* quidem, cum illam epistolam legisset, in qua auaritia etiam Clericos inuasisse dicitur, libri ipsius argumentum inde finxit, et sic expressit: *aduersus auaritiam, praesertim Clericorum et Sacerdotum:* quod longe abhorret ab veritate. Non dubitem, lectum esse opus a *Tillemontio*, fortasse et *Dupinio*, nisi illius auctoritatem est secutus, libro non lecto: solet enim magis ab aliis tradita repetere, quam suis oculis cernere: at, verum, vt opinor, dicere non ausi, nil aliud reprehendunt aut memorant, quam quod interdum *videatur* durius dicere de bonis per testamenta relinquendis pauperibus ad salutem animae, et ita liberis patrimonio fraudandis; sed ea loca esse rara: idque sequuntur *Auctores Historiae literariae Francicae T. II. p.* 525. *Baluzius* autem, cui optimam *Saluiani* operum editionem debemus, rem totam ne attingit quidem. Nostrae aetatis duos omnino reperi, qui aliud in his libris agi notarent, quam titulus habere videretur; alterum nostratem, *Heumannum* in *Poecile*, L. II. p. 337. alterum Auctorem libri nuper Parisiis editi, *de l' Autorité du Clergé du Pouvoir du Magistrat politique* T. II. p. 233.

Etsi negari non potest, in iis libris esse quasdam de auaritia vniuersa sententias, easque saepe bellas et argutas, reprehensionem etiam Clericorum et Monachorum L. II. et IV. qui diuitias seruent, nec vel viui vel moribundi Deo tradant, inprimisque locum egregium aduersus hereditatum captatores, in libri tertii fine, tamen, si quis argumentum, quod proprie per vniuersum opus tractatur, exprimere, et inde titulum verum operi facere velit, rectissime, *Pro auaritia Ecclesiastica*, inscribat. Nam omnia, a principio ad finem, eo spectant, vt omnes omnium pecuniae per do-

natio-

nationes et teſtamenta, verbo ad pauperes, re vera ad Eccleſias et Monaſteria confluant. Vult enim heredes ſcribi Eccleſias, non liberos, non fratres et amicos: atque id dicit *reddere Deo ſua*, *et redimere peccata.* Hoc ille inculcat, centies repetit: durum videri fatetur: et tamen neceſſarium eſſe defendit, vt vnum remedium peccatorum, quod morituro reliquum ſit, vnum, in quo aliqua ſalutis ſpes ſit, vnum, quo etiam ſancti redimere reliquias peccatorum poſſint.

Initium totius operis, Libro primo, ducitur ab querela graui, quod Chriſtiani non ſatis habeant, bona ad *opus ſanctum* a Deo data, ſine fructu miſericordiae retinere, ſed etiam auaritiam illam, i. e. idololatriae ſeruitutem, *in futura poſt mortem tempora* extendant. In eo numero eſſe paene omnes. Nam non imitari quemquam illos Chriſtianos primos, qui *vniverſi* facultates rerum caducarum ad coeleſtium poſſeſſionum opes contulerint, et immortales diuitias praeſenti paupertatis ambitu emerint: ſed potius laborare in re facienda per cauſſam amoris aduerſus liberos; quaſi ipſis eſſent neceſſariae copiae, et non ſatis ſit pietas, quae ad omnia vtilis ſit, et non amor liberorum potius ſit in eo, ſi eos ad pietatem adducamus. Tum vero, cum in ea re ſe peccare non putent, atque etiam ad mortem cuncta ſeruent; nec in morte ſibi conſulere *per diſpenſationem ſubſtantiae*, i. e. bonorum ſuorum. Iubet ergo morientes offerre, ad liberandam de perennibus poenis animam, quia iam aliud non poſſint, ſaltem ſubſtantiam ſuam, ſed cum compunctione cet. et eam quidem totam. Nam hoc ipſum totum eſſe parum. Atque haec quidem pertinent ad homines vitae male actae ſibi conſcios.

In libro ſecundo oratio confertur ad melius hominum genus, et verae ſanctitatis ſtudioſos. Hos fortaſſe

tasse ab illa necessitate relinquendi sua Ecclesiis liberabit, qui, vt ipse ait, non habent, quod necesse sit redimere largitate? Immo vero eidem necessitati subiicit. Primum neminem esse, ita sanctum, vt non saepe labatur et delinquat, eamque ob caussam necesse habeat futuri examinis tremendam necessitatem metuere. Itaque nihil esse, *cur non totis substantiae suae viribus ad id nitatur, vt vel mortis deuotione redimat, quicquid vitae offensione contraxerit.* Deinde, etiamsi praeterita *peccata* non sint, *quae oporteat rebus cunctis redimere;* esse tamen perennia bona, exspectanda scilicet in vita altera, quae *magno oporteat comparare*, nec vllas diuitias esse tantas, quae non longe exsuperentur diuitiarum coelestium magnitudine: quo minus dubitare quemquam debere, eas vniuersas pro iis profundere.

Liber porro tertius versatur in diluendis iis, quae cum specie aliqua dici contra possint: in primis, quod ista philosophia pugnet cum pietate aduersus liberos. Cui rei ita occurrit homo hypocriticus, vt dicat, in iis esse vmbram excusatiunculae, dantem reo deprecatiunculae speciem, non reatus securitatem: Dei amorem etiam liberorum amori praeponendum esse de praecepto Christi: deinde sui quemque ipsius rationem debere potiorem ducere, quam liberorum aut cognatorum amicorumque, nec tam curare, vt alii bene post se viuant, sed quam male moriturus ipse sit: tolerabilius esse, si quid filiis hic desit, quam si parentibus in futuro, si illi sint hic in tenuitate, quam si parentes in aeterna non modo paupertate, sed etiam poena. Haec vbi declamauit, inuehitur in parentes eos, qui testamentis plus relinquant filiis ciuilem vitam sequentibus, quam qui monasticam amplexi sint, his etiam interdum vsum tantum partis destinatae, non ipsam.

In

In qua longa declamatione multis modis prodit animum: vt in his: *eligi* debere *paupertatem* ab his, qui monachi fiant, *non sustineri*: mollem vero et facilem paupertatem, quae nomine tenus suscipiatur, non re! si tamen sustineant, deuotione tolerare debere, non damnatione pati: plus etiam debere monachis relinqui, quam ceteris liberis, vt facultatum aliquid saltem per filios ad Deum veniat: in *vsu* rerum habere eos *aliquam tantum imaginem opum*, *conscientiam non habere*: et multis aliis similibus.

In libro quarto, repetita sententia, aliis porro defensionibus occurrere conatur eorum, qui recte se putent posse sua suis relinquere: vt cum dicant, se id facere non propterea, quod eos plus ament Deo, aut Deum vilem putent, sed quod ament suos. Id vero ipsum, ait, incuriam Dei et contemtum arguere. Nam si hoc sit, amare suos et honore afficere, si iis tua relinquas; planum esse, non amari sed contemni Deum, si ei non relinquas, eique praeferri in amore et honore homines. — Deus munificentia hominis non indiget. — Immo eget, sed in pauperibus, in suis. Inde delabitur ad eam, quam supra indicauimus, accusationem religiosorum, quae ad finem vsque operis continuatur.

Hac e summa arbitramur satis intelligi, quo pertineat consilium operis totius, et sub nomine Dei, Christi, pauperum, latere auaritiam illam, de qua diximus, quae opes Ecclesiis petat, ad potentiam, ad magnificentiam substructionum, splendoremque templorum et monasteriorum inutilem; de quo etiam sancti saepe viri, in his *Bernhardus*, in clara ad *Guilielmum* S. Theoderici Abbatem Epistola, questi sunt. Sed haec de eo, quod proposuimus, dicta sunt.

Gra-

Gratias debemus Deo, qui per ministerium Lutheri Ecclesiam ab ista auaritia liberauit, ceteraque superstitione, quae et fidem Christianam et vitam foede corruperat, in lucemque restituit veram doctrinam Euangelii, quae omnem spem salutis ad ipsius misericordiam et filium eius Iesum Christum pro nobis mortuum reuocat, commendatque beneficentiam, sed veram, liberam, et sine cuiusquam iniuria copiosam. Has gratias publice agamus, primum cum toto fidelium coetu in diei crastini celebritate, deinde etiam proprie in aede Paullina ab hora XII. cum precibus religiosis, vt hoc tanto beneficio et nobis et seris nepotibus conseruando suam filiique sui Iesu Christi gloriam illustret.



DE

DE THEOLOGIAE HISTORICAE ET DOGMATICAE CONIVNGENDAE NECESSITATE ET MODO VNIVERSO

DE THEOLOGIAE HISTORICAE ET DOGMATICAE CONIVNGENDAE NECESSITATE ET MODO VNIVERSO

Scientia, quam profitentur ii, qui Theologi dici haberique volunt, duabus rebus conſtat: quarum altera eſt in materia, quam iis literae ſacrae et Eccleſiae monumenta praebent tractandam ingenio, et elaborandam arte ac veluti fingendam: altera autem cernitur in ratione earum rerum, quae ingenio ſuppeditatae ſint, tractandarum. Itaque nec qui bonam materiam e ſuis locis quamvis diligenter congeſtam tenet, perfectam Theologiae ſcientiam habet, niſi rationis et artis ſubtilitas acceſſerit, nec qui, in rerum tractandarum ſubtilitate, bona materia caret. Vt non ſtatim Phyſicus eſt, qui, quicquid in rerum natura vel eſt, vel accidit, curioſa lectione vel obſervatione didicit ac tenet, nec bonus Phyſicus poteſt haberi, qui in rerum natura cauſſisque ſubtiliter indagandis et explicandis acutum ſe praebet, ſine naturae vera hiſtoria: nam in illo tantum hiſtoria naturae eſt, non ſcientia, in hoc fabuloſae et commentitiae potius, quam verae naturae interpretatio: ſic nec Theologus perfectus eſſe poteſt, qui quicquid eſt in literis ſacris et monumentis Eccleſiae, perceptum ingenio, et comprehenſum memoria tenet: nec bonus Theologus, qui in rebus diuinis li-

teris vel voce tradendis, subtilitate vtitur, quae sit destituta sacrarum et ecclesiasticarum apparatu et instrumento literarum. Nam in illo est historica modo rerum sacrarum eruditio, praeclara illa quidem et vtilissima, et, si alterutra pars omittenda sit, haud dubie illi alteri longissime praeferenda, sed tamen non scientia digna Theologi perfecti nomine, in hoc inane disserendi artificium, τεχνολογία, vt *Gregorius Nazianzenus* ait, non θεολογία, vmbra Theologicae scientiae, non vera et expressa imago, aedificium bene descriptum atque exstructum, sed e parum bona vitiosaque materia, e stipulis, foenoque, (1 Cor. III.) in quo nemo prudens habitare vel cupiat, vel audeat. Quod si vtrumque apte coniungitur, si ad rerum veritatem et copiam accedit docendi ac differendi elegantia et subtilitas, tum vero existit is, quem vere possimus Theologum perfectum appellare. Haec pressius et vberius differemus.

Est igitur duplex Theologia (imitemur enim praeclaros viros, quamquam vna tantum est, si subtiliter loqui velimus) historica altera, altera dogmatica, siue scholastica, aut Academica potius. Nam dogmatica proprie est illius ipsius historicae Theologiae pars, de placitis et opinionibus Theologorum, quae sunt proprie dogmata, nostraque demum aetate, a nostratibus quibusdam, ita appellari coepit ea, quae olim scholastica, post, propter inuidiam verbi, acroamatica dicebatur. Sed historica Theologia omnis versatur in indagandis rebus, quas altera illa tractet subtilius, easque haurit e libris primum diuinis, a quibus omnis vera et certa rerum diuinarum scientia ducitur, deinde vero etiam ex humanis Conciliorum, Symbolorum, publicis, et Ecclesiae doctorum priuatis: non quo ex his veri iudicium petatur, quod solis scripturis diuinis conuenit, sed vt intelligatur, quae publica quibusuis temporibus fides fuerit, quid magni viri de vnaquaque quaestione, inprimis difficili aut obscura, senserint, quaeque opiniones fuerint, quibus argumentis rationi-

tionibusque veritatem ſtabiliuerint, erroresque refellerint, qui errores per haereticos irrepſerint, a quibus fontibus fluxerint, quibusque argumentis ſpeciem acceperint. In his porro indagandis et congerendis, vtitur inſtrumento literarum hebraicarum, graecarum et latinarum, etiam hiſtoriae, cum vniuerſae, tum etiam philoſophicae, ſine qua dogmata doctorum Eccleſiae ſaepe intelligi et explicari non poſſunt. Acroamatica autem ſiue dogmatica Theologia res, per libros ſacros ſparſas ac diſſipatas, primum ad certa capita congregat, deinde ſubtiliter ac perſpicue definit, varietatem verborum (ſynonyma) ad ſignificationis vnitatem reuocat, ambigua diſtinguit, genera in ſuas partes tribuit, veritatem rerum idoneis argumentis demonſtrat, quid ex quoque conſequatur, quomodo quaeque apta inter ſe ſint ac nexa, oſtendit, dubitationes vndecunque ortas tollit, denique errores et falſas opiniones acute et accurate refellit. Iam qui illam, quam hiſtoricam diximus, Theologiam, ex iſtis fontibus, per ea, quae diximus, inſtrumenta ductam, etiam virorum, qui in eo genere elaborarunt feliciter, qui ſunt multi et magni, obſeruationibus ac diſputationibus ornatam et illuſtratam, teneat, is quin pulcherrimam ſcientiam ſibi comparauerit, ſitque in magnis viris ac Theologis numerandus, dubitare ac negare profecto nemo poteſt, niſi qui ſe ita anguſto ingenio et obſcuro velit oſtendere, vt illius tantae, tam eruditae, tam copioſae, tam multarum artium comitatu circumfuſae ſcientiae ſplendorem adſpicere et capere non poſſit. Enimuero, niſi ad huius tam praeclaras copias accedat alterius ſubtilitas, exiſtunt facile, etiam in magnis ingeniis, incommoda et vitia multa et magna.

Atque vt mittam, in illa rerum quamuis bonarum copia non eſſe, quae proprie in ſcholis atque in arte dicitur, et eſſe in Theologo debet, ſcientiam: maximum et primum vitium illius rationis eſt hoc, quod notiones rerum facile ſuſcipit parum vel plenas, vel circumſcriptas: quae

non sufficiant ad res accurate intelligendas, iudicandas, et explicandas defendendasque, et confundendis rebus natura sua diuersis locum faciant: vnde errores, logomachiae, et inanes, saepe etiam noxiae, concertationes nascuntur. Inprimisque facile conturbatur in ambiguis, hoc est, vel notione, vel nomine similibus, et quibus communis est appellatio, cum diuersa ipsa sint. Nam etsi diuersitatem significationum non ignorant, tamen, cum exercitationibus crebris et diligentibus in scholis philosophorum non didicerunt, discrimina rerum, in communitate verborum, accurate tenere, et in legendo ac iudicando semper in oculis atque in animo habere, obliuiscuntur repente discriminis, praesertim si qua cupiditas intercesserit. *Petauio* quidem, vt de aliis taceam, in praeclaro dogmatum theologicorum opere, hoc subinde accidisse, eumque, hac quoque de caussa, nec suis, nec ceteris satisfecisse reperio: ab eoque deceptos alios, qui suis oculis videre in iis rebus vel non possent, vel non curarent, vt opinionis suae amore adhaerescerent ad id, quod ipse iudicarat negligenter ac parum subtiliter, atque etiam defenderent: in his *Curcellaeum*, elegantis alias ingenii et doctrinae virum (*praef. ad Episcop opp. n. VI. et Quatern. Dispp. Th. p.* 852. *Opp.*) in ὁμουσίου notione, quam ille, arrepto *Petauii* loco (*I*, 4. 15.) contendebat, ab antiquis Ecclesiae doctoribus, iisque orthodoxis, poni in essentia, non numero, sed specie eadem, nec modo in quaestione de Christo θεανθρώπῳ, quem ex altera parte ac natura nobis ὁμούσιον dicebant, sed etiam in quaestione de trinitate, et λόγῳ s. filio Dei. Quodsi ea res obest in ipsa dogmatum historia, e libris humanis eruenda, quantum inde putamus mali nasci posse in notionibus, quae ex ipsis libris sacris hauriri et accurate definiri debent. *Plato* solebat Dialecticam vocare θριγκόν, quandam quasi *saepem doctrinarum omnium*, *Cicero*, leuiter mutato tropo, *vallum*. Id rectissime ad Theologiam transtulere doctissimi et elegantissimi Ecclesiae graecae

et

et latinae scriptores, quoties Dialecticam laudant, *sepem Theologiae* appellantes. Quae ei laus profecto, omnium disciplinarum nomine, debetur etiam hac de caussa, quod notiones rerum e dictis, factis, rebus quibuscque, acute et plene colligere, et definiendo, distribuendoque ac distinguendo, circumscribere, et circumscriptas, exercitatione assidua, sine confusione cum aliis, tenere, et ad quamque disputationem accommodare docet, nec sinit res diuersas, quamuis communia et ambigua nomina habentes, permisceri. Nam non vniuersum modo alicuius vrbis territorium habet suos terminos, quibus a vicinis territoriis distinguitur, sed etiam agri singulorum, prata atque horti, habent suos limites, macerias atque sepes, quibus cuiuscunque possessio circumscribitur, et cauetur iniuria.

Alterum, nec multo minus vitium illius rationis cernitur in iudicio et delectu argumentorum, quibus in quaestionibus theologicis, vel firmatur veritas, vel error reuincitur. Nam, vt nihil dicam de recentioribus Theologis, qui profecto non semper optimis et satis certis argumentis vtuntur, veteris Ecclesiae doctores, quorum in scriptis eas quaestiones tractatas reperimus, cum e Philosophorum scholis, vel e Rhetorum et Oratorum officinis profecti essent, in disputando vsi sunt ratione disserendi Philosophis visitata, oratoriaeque consuetudini simillima*). Ea qualis fuerit, si non ex ipsis eorum scriptis intelligeremus, *Cicero* doceret, qui Philosophorum hunc morem esse dicit, (*Tusc. V, 7.*) vt, quamcumque rem habeant in manibus, in eam, quae conueniunt, congerant

*) *Dallaeus* quoque (*de Vsu PP.*) hinc ducit caussam obscuritatis, et ambiguitatis in cognoscendis ac iudicandis PP. sententiis et argumentis: sed eum locum admodum ieiune tractat, nec modo de Rhetoricis artibus, quas ponit prope totas in tropicis et hyperbolicis loquendi modis, sed multo magis de Dialecticis, (*p. 146*) quas omnes videtur ponere in nimia contentione vincendi, per quam in contrarium ei, quem oppugnent, errorem incidant saepenumero.

rant omnia: eamque ipse perfectam philosophiam semper se iudicasse profitetur (*Tusc. I*, 4.) quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere. Itaque ad eam veluti legem in explicandis quaestionibus congeruntur omnia, quae in mentem venerant, vel ab aliis accepta, vel suopte ingenio excogitata, nec modo quae certitudinem adferant, sed etiam, quae vtcunque probabilem speciem habeant. Quod etsi in eo genere disputationis non est admodum vituperandum, nec omnino displicet ille *Melch. Cani* praeceptor *Fr. Victoria*, qui nullum argumentum esse negligendum aiebat, in quo aliqua significatio veritatis appareret: tamen iis cognoscendis facile conturbantur ingenia expertia subtilitatis dialecticae, nec possunt ab infirmis firma, quae sola in scholae doctrina sunt vsurpanda, discernere. Vnde et ipsi saepe, vbi firmiter consistant, non habent, et in docendo vel non possunt ad ἀκρίβειαν et certitudinem adducere discipulos, aut etiam ingenia felicia, quae infirmitatem argumentorum sentiunt naturali quadam solertia et ἀγχινοίᾳ, ad scepticismi inconstantiam faciunt procliuia. *Huetius* quidem sibi hoc accidisse iuueni narrat (in *Comment. de rebus suis p.* 29.) e lectione Petauiani operis de dogmatibus theologicis, vt, argumentorum imbecillitate animaduersa, res ipsas incertas existimaret. Quamquam ea quoque res suum habet modum, nec ad contemtum veterum Ecclesiae doctorum trahi debet, vt faciunt vulgo, qui vel effugere molestiam ex auctoritate Patrum, in disputatione cum aduersariis oblatam, vel excusationem neglectae lectionis Patrum quaerunt. *Huetius* quidem ille natura procliuis ad scepticismum fuit, et illam propensionem ad extremum, id quod satis constat, seruauit: et erat tum ea aetate, vt satis acute de illis rebus fortasse iudicare non posset. Omnino in illo ipso iudicio de argumentis et demonstrationibus veterum doctorum solet non vno modo peccari. Atque ego non dicam, permultos, qui de iis iudicare audent, non esse satis peritos linguae, non modo

do

do graecae, cogique e versionibus sapere, quae sunt in nullo alio genere scriptorum fallaciores, praesertim si a Pontificiis factae sunt, in quibus ad imperitiam etiam accedit partium studium, sed etiam latinae: ex quo difficultas intelligendi oritur, si non tanta, quantam *Dallaeus*, seruiens caussae, iactat (*de Vsu Patr. I*, 5. *p.* 139.) quippe in exemplis ab eo prolatis ne mediocriter quidem graece docto insuperabilis difficultas obiicitur, at magna tamen, vt in omni genere scriptorum veterum de quocunque genere doctrinae. Grauior est in hac re Rhetoricarum et Dialecticarum artium ignoratio; nec modo illa, quae ab inscitia praeceptorum oritur eorum, quae in nouitiis inprimis libris Rhetoricis et Dialecticis traduntur, sed etiam, et multo quidem magis ea, quae est in omnibus, vsus et exercitationis in legendis et interpretandis oratoribus et philosophis antiquis, et in dicendo disserendoque, expertibus. Nam ea saepe facit, vt homines nec argumenta ipsa interpretando intelligere, nec vim eorum recte aestimare possint. Itaque saepe mihi tacitus risus exoritur, cum audio, homines, ab istis praesidiis rudes, de Patrum disputationibus tamen iudicare, easque magna confidentia contemnere, cum interim fateri necesse habeant, se eas nunquam cognouisse. *Dallaeo* hic paullo durius loqui fortasse licuit, et venia datur, quia ipse legerat, et homines, obscuros scilicet, intelligebat, et eorum testimoniis ad debellandos Ecclesiae Rom. doctores egregie vtebatur: illis non item. Sed hoc, vt non admodum pertinens ad institutam disputationem, leuiter tetigisse, et obiter admonuisse studiosos, satis est. Nec illud leue incommodum est, quod haec ratio in disputationibus iis, in quibus argumenta ducuntur e rerum natura, vel ad confirmandam veritatem, vel ad conciliandа inter se dogmata et consocianda, vel denique ad refellendas dubitationes e natura rerum, nisi felicissimum a natura et acutissimum ingenium contigerit, vix bene et constanter versari potest, sed vagatur et fluctuat, multo

 verbo-

verborum flumine obſcurans veritatem, nihilque vel breviter argumentando, vel ſubtiliter diſtinguendo, vel e contraria parte opponendo efficere poteſt. Vnde fit, vt ab acuto et ſubtili diſputatore facile in anguſtias redigatur, atque in laqueos coniiciatur eos, e quibus ſe expedire vix poſſit: qua re debilitantur ingenia imperitiorum, qui de veritate cauſſae ſolent e victoria diſputationis iudicare. Itaque mihi inprimis ſemper placuit inſtructiſſimae illius *Panſtratiae* auctor, *Chamierius*, qui controverſias, quae cum Pontificiis intercedunt Proteſtantibus, ita tractat, vt vtriusque partis rationes ad Dialecticas formulas redigat, et, quid iis vel confirmandis, vel frangendis ac diſſoluendis faciendum ſit, oſtendat, et tum demum copias ſacrarum literarum, et ſcriptorum eccleſiaſticorum, adſperſis obſeruationibus hermeneuticis, criticis, hiſtoricis, adducat ad pugnandum: quae res iudicium in vtramque partem facilius facit.

Sed non minus, atque adeo multo magis vitioſa eſt Theologia dogmatica, quae careat hiſtoricae, quam ante deſcripſimus, copiis atque ſubſidiis. Ac primum ſaepiſſime vitioſa eſt in definitionibus, quarum vitium ſaepe quodam quaſi contagio inquinat totas de rebus grauiſſimis diſputationes: quod nihil bene procedere poteſt in diſſerendo, ſi diſputatio a vitioſo definiendi principio proficiſcatur. Etenim, qui in Theologia confidunt ſubtilitati philoſophicae, ſine literis plurimis et hiſtoria, vel coguntur ſequi verſiones et ſacrorum et eccleſiaſticorum librorum, quae ſunt parum certae, ſaepiſſime etiam valde vitioſae, in poſteriori in primis genere, vt ante diximus, vel, ſi ex authentico hauriunt, quod hodie fere volunt videri, tamen verba e lexicis vulgaribus coguntur interpretari, quae ſaepiſſime fallunt, non modo ſuo vitio, quod plerumque etymologiam modo verborum vtcunque exprimunt, aut verbo non ſatis reſpondente alterius, quod erat interpretandum, ſignificationi, aut formas dicendi ad verbum vertunt, ſed etiam eorum, a quibus conſuluntur,

tur, cum verba latina e consuetudine puerili germanicè vertendi, aut sectae philosophicae, cui addicti sunt, accipiunt. Vnde vix dici potest, quot inanes verborum concertationes, quam multa etiam maiora mala omni tempore nata sint. Alio loco ostendi (*Antimurator. p. 25. sqq.*) praedestinationis Caluinianae, et transsubstantiationis monstra nata esse e verborum definitionibus, quae non ex obseruationibus grammaticis, et historicis collectae essent sed ex etymologia, eaque parum intellecta, et e nouitiis linguis aestimata, vnde conclusiones ducerentur alienissimae a vera rerum natura, et perabsurdae atque impiae. Quicquid propemodum est errorum Pontificiorum in loco de Poenitentia, id haud dubie natum est ex tali fonte: cum Latini de ea philosopharentur e vocabulo latino, quod in versione N. T. latina est, eiusque etymologia, ignorato et neglecto *μετανοίας* verbo, in quo plus inest, quam poenitentia latine accepta, i. e. dolor e male facto: nec vllo modo potuisset accidere, vt aut poenitentiae summa poneretur in contritione, aut poenitentia pro poena haberetur, vt alia mittam, nisi falsa notio e poenitentiae verbo suscepta fuisset. *Augustinus*, qui saepissime ad hoc saxum impegit, (*ep. LIV. et alibi*) poenitentiam, dixerat, habere nomen a puniendo, et esse quasi punitentiam, per quam se quis ipse puniat. Huius auctoritatem secuti doctores Ecclesiae latinae, qui fere omnes ex *Augustino* pendent, ad extremum Sententiis intulit *Lombardus*, sequente omni Scholasticorum grege, vt bene docet *Morinus* (*de Poenit. I, 1.*) Hinc mali initia omnia. Eodemque modo orti errores de Confessione, et de Satisfactionibus, quarum frequens apud Patres mentio, sed sensu bono et probando, vt *Chemnitius*, *Dallaeus*, et multi alii demonstrant. Mitto dicere de Consecrationibus, de Ordinationibus, de Sacramentis, de Oblationibus, et aliis, quae plena sunt apud Pontificios ineptiis: quas subinde agnouere, indignantibus suis, inter ipsos Theologi literati, qui historicam Theo-

logiam cum dogmatica coniungerent, inprimis is, quem ante commemoraui, *Io. Morinus*. *) Atque hoc ab initio repurgandorum sacrorum perspexere magni viri, in his *Philippus Melanchthon*, qui multis locis hoc monet, omnem propemodum deprauationem doctrinae ortam semper esse a deprauatione verborum, et definitionibus eorum constitutis sine literarum et historiae scientia, inprimisque, cum verba popularia definirentur e philosophorum consuetudine loquendi, atque ex illis definitionibus disputaretur: quo in genere saepe peccare *Augustinum*, et mirifice se torquere subinde. v. *Tr. de Ecclesia et auctoritate verbi Dei. (T. II. Opp. p.* 122.) vbi etiam exempla commemorantur.

Atque etiam solent arrogantia sua molesti esse aliis, qui ita tractant Theologiam, vt vna philosophiae subtilitate, sine multis literis et historia, nitantur: primum in eo, quod se putant saepe res nouas, aliis indictas, excogitasse ac protulisse, idque persuasum cupiunt hominibus: cum nouitas sit in solis verbis, non in rebus. Nam cum verba noua ratione definiunt, h. e. male, decepti ab inscitia literarum, e noua definitione colligunt multa, quae sub eo nomine sane nemo ante dixit: sed quae vel falsa sunt cum ipsa definitione, vel vera quidem, sed ita, si nomen rei mutes, de qua disputant. Sed insolentius illud

*) Vitae *Io. Morini* auctor, qui putatur esse *R. Simonius*, praemissae *Antiquitatibus Oriental. Eccles. p.* 75. tradit historiam Operis de Poenitentia, valdeque laudat et commendat, vt non scriptum ad modum Theologorum e schola, sed prope totum historicum, i. e. ab literarum sacrarum interpretatione et antiquitate ductum: sed *Morinum* coactum esse, narrat, quaedam emollire in praefatione, atque etiam retractare, quod essent aduersa Dogmaticorum decretis, quod fecit maxime in fine praefationis: *Forsitan*, inquit inter alia, *antiqui moris circumstantias particulatim discutientes, consequentia quaedam eruimus, quae doctrinae in Ecclesia vulgatae et approbatae principia laedunt: hoc toto animo exhorrescimus* cet. Sed similia ei acciderunt in alterius Operis praeclari, *de Ordinationibus*, P. III.

illud est, quod nimis sunt procliues ad hanc opinionem, vt credant, se solos esse subtiles Dogmaticos atque adeo Theologos, ceteros tantum plebeios concionatores esse, aut verba et historias tenere: a quo errore vel ipsi sunt, si potest fieri, liberandi, vel iuuenes, vt sibi caueant, monendi. Atque nos quidem et ipsi supra diximus, Theologo perfecto necessariam esse subtilitatem philosophicam, inprimisque dialecticam: sed in eius praecepti intelligentia cauendum est, ne quis erret: errant autem plerique. Nam putant, si vulgata praecepta Dialectica perceperint audiendo bono magistro, aut ea multis annis decantauerint in scholis, se bonos Dialecticos esse. Quod abest longissime. Sunt fortasse Dialectici, sed in praeceptorum intelligentia et scientia, non statim in vsu, et cum praecepta conferenda sunt in aliquo genere doctrinae ad definiendum et demonstrandum. Namque, vt maneamus in eo vno, de quo coepimus dicere, profecto vsus et in me, et in aliis multis me docuit, nec aliter esse potest, in verbis definiendis, quae non sensibiles res exprimant, quales sunt figurae mathematicorum, et res physicae, aut sensu interno contuendas, sed eas, de quibus aliunde, nisi e libris antiquis, iisque lingua scriptis mortua, cognosci non possit, in his igitur verbis definiendis, neminem, quamuis tritum in dialecticis praeceptis, bonum Dialecticum esse posse, qui non sit idem bonus Grammaticus, hoc est, in studiis linguarum, et historiarum antiquarum, valde exercitatus. Nam sicut definitiones rerum physicarum ducuntur ex obseruationibus physicis, sic illae ducuntur ex obseruationibus grammaticis et historicis, diligenter institutis: quae si desint, frustra tu Dialecticorum praecepta definiendi vniuersa calleas, aberresque necessario a vera notione, vt videmus accidisse Doctoribus Ecclesiae latinae et Scholasticis. Quodsi quis putat, se illis suis praeceptis definiendi plus posse altero illo, in quo sit scientia literarum, similis sit ei, qui libros Musicorum legerit, et praecepta eorum

eorum teneat, et in hac scientia, ab ipsa exercitatione canendi seiuncta, comtemnat eos, qui canendo exercentur, seque dicat Musicum esse, illos nil nisi sonos et instrumenta musica tenere. Ex quo fit, vt nullo modo in Theologicis, quae omnia e libris antiquis, hebraicis, graecis, latinis ducuntur, possit aliquis bene in definiendo versari, et a peccatis multis et magnis sibi cauere, nisi literas et historiam assumat.

Sed non minus magna, atque etiam plura, vitia oriuntur in argumentis, vel ad confirmandam veritatem, vel ad refellendos errores, si historica Theologia absit. In quibus primum et maximum est, quod argumenta colliguntur e verbis male intellectis, non e consuetudine antiqua, quam historia docet atque illustrat. Vnde nascitur Philosophia potius (si tamen dignae sunt hoc nomine ratiocinationes et disputationes inanes, a falso principio ductae) quam Theologia. Hoc vitium illud est, quod dominatur in Scholasticis, qui Theologiam tractabant sine historia et literis: per quod vniuersa Theologia misere contaminata et corrupta est. Fatentur omnes, qui eorum, praesertim celebriorum, scripta attigerunt, magna in iis ingenia, et subtilissima fuisse: nec minus fatendum est, eos, inprimis *Thomam Aquinatem*, in rebus iis, quae vel e versione S. librorum et PP. graecorum; vel e latinis PP. cognosci possent, sine accurata scientia linguarum et historia, quae sunt sane non pauca, itemque, cum res mere intelligibiles tractant, quae historiae lumen non desiderant, acutissimos et eruditissimos se praebuisse: sed cum primum incidunt verba et res, quarum intelligentia constat obseruatione consuetudinis antiquae et historia, qua erant destituti, non eos deserit acumen, sed fiunt tamen stultissimi, rebusque commentitiis replent omnia: quod necesse est fieri saepissime, cum rerum theologicarum maxima pars ducatur a factis, quae sola historia seruantur. Atque eodem vitio laborant recentiores controuersiarum scriptores, cum alii, tum maxime Pontificii superiores, in his *Bellarminus*, in quo refellendo

nus-

nusquam feliciores sunt aduersarii eius, *Whitakerus*, quem *Bellarminus* ipse admirabatur, *Chamierius*, et e nostris *Gerhardus*, quam cum in talibus rebus cum eo pugnam conferunt. Atque id agnouere ex ipsis Pontificiis Theologis eruditiores. *Launoius* quidem etiam accusat *Bellarminum* pluribus locis, (vt *Epp. VI*, 1. *VII*, 8.) quod in controuersiis vtatur argumentis philosophicis potius, quam theologicis, e scripturis recte intellectis, et historia ductis, agnoscitque, talibus nil effici in controuersiis, quae paene omnes ex interpretatione et historia pendeant. Nec aliter de antiquioribus, et his, qui *Lutheri* temporibus fuere, Theologis, et superstitionis Romanae defensoribus, iudicat disertissimus locorum theologicorum scriptor, *Melch. Canus;* (IX, 1.) *Quo tempore*, inquit, *aduersus ingruentes e Germania haereses oportebat scholae theologos optimis esse armis instructos, eo nullas prorsus habebant, nisi arundines longas, arma videlicet leuia puerorum. Ita irrisi sunt a plerisque, et merito irrisi, quoniam verae Theologiae solidam effigiem nullam tenebant, vmbris vtebantur. -- Quocirca homines, verbotenus in Theologia magistri, pugnauere illi quidem aduersus Ecclesiae inimicos, sed valde tamen infeliciter -- Errabant autem a principio statim studiorum suorum. Cum enim facultates eas, quae linguam expoliunt mirum in modum, neglexissent, cumque sese in sophistica arte torsissent diutius, tum demum ad Theologiam aggressi, non Theologiam, sed fumum Theologiae sequebantur cet.* Et huius generis confessiones plures licet reperire in scriptis eruditiorum Theologorum Pontificiorum, *Petauii*, *Natalis Alexandri*, *Dupinii*, et scriptoris nuperi *Verneii*, *Lusitani*, quas cum legas, nihil aliud facere iudices, quam, vt suo calculo probent, quae olim *Lutherus*, *Melanchthon*, de Theologis mere philosophicis, siue scholasticis, iudicauere.

Atque etiam hoc genus Theologiae philosophicae solet esse parcum ac tenue in ipsis argumentis. Habere enim solet rata quaedam argumenta verborum ac rerum, in

in quibus acquiescit magister cum discipulis, vt ex iis, velut tesseris quibusdam, possis scholam quamque agnoscere. Quodsi ferri potest, aut satis est in catechesi tironum, in Theologia viri, qui eam scientiam profiteatur, mera paupertas est, quae se facile deinde conspicuam facit, cum aut subtiliter in libris, aut populariter in templis, capita doctrinae sunt explicanda. Atque in eo quoque bene agitur, si ita feliciter res cadit, vt argumenta sint proba, vt testimoniis insit, cuius caussa proferuntur. Sed huic generi omni memoria accidit saepe, vt, quia testimonia plerumque iudicant e versionibus, quibus sunt adsueti a pueris, aut e textu authentico ad verbum a se verso, et inde argumenta ducunt, ad probandum ponant id, in quo, verbis bene intellectis, vis probandi nulla inest. Itaque. si quis eos in viam reducere vult, irascuntur, et imitantes Pontificios Sophistas tempore *Lutheri*, novitates interpretationum exprobrant, et res ipsas negari, aut in dubium vocari, inuidiae caussa clamant, atque etiam propterea, quod auctoritatem Dogmaticae suae labefactari vident, nec sibi honestum putant, si non intellexisse videantur, quae tot per annos dictauerint. Nulla profecto alia caussa fuit, vt hoc vtar, clamorum contra *Tarnouium*, a multis Theologis, in his etiam terris, sublatorum, (v. *praef. Exercit. bibl.*) qui mortuis iis, qui pro sua auctoritate dimicarent, non modo conquieuerunt, sed etiam in laudes sunt conuersi. Quodsi omnia bene se habent, tamen illa tenuitas non est laudanda. Dominus noster *Iesus Christus*, et Prophetae, Apostolique, in quibus fuit *I. C.* spiritus, inprimis *Paullus*, quam saepe, quam varie, quam multis et variis rationibus proferendis, magna doctrinae capita tractant? Non hoc erat imitandum? In rebus diuinis et humanis semper latet argumentorum quaedam copia et varietas, apta humanorum ingeniorum varietati; nec ibi sunt, vt in Mathematicis, itemque in Metaphysicis, ratae ac fixae demonstrationes, in quibus rerum tenuitas ab simplicitate, s. abstra-

ctioni-

ctionibus, orta, non praebet copias tales, quales sunt in rebus, attributorum, modorum atque relationum multitudine mersis. Ea opportunitate vtendum est Theologo: praesertim, cum in talibus rebus aliud alii ingenio aptius, id est, ad intelligendum et percipiendum sit accommodatius: cum Theologus verba faciens ad populum, vbi aures animosque celeriter transilit oratio, praesertim volubilis et celeriter labens, qualem aures plebeiae inprimis desiderant, etiam immorari debeat rebus, inprimis, quibus caussa continetur, et huc illuc eas versare argumentando, vt non possint non percipi, atque insidere animis audientium. In quo quis non videt etiam vtendum esse inuentis aliorum, inprimis doctorum veteris Ecclesiae, in quibus magnos, et acutos, et disertos viros fuisse, impudentia et ignorantia sit negare. At eorum argumenta interdum, immo, si quis ita malit, qui non legit, saepe non sunt satis firma. Scio. An vero nouitiorum doctorum argumenta habent hoc diuinitus, vt omnia, aut pleraque firma sint? Quodsi haec sunt cognoscenda, si forte boni quid insit: quidni illorum eruditissimorum virorum? An vero, qui horum recentiorum commentarios quosdam legerit, imbiberit, is Theologus, etiam bonus erit: qui veterum libros meliores, et illustriores eorumque interpretes atque enarratores, non erit? Non hoc est simile stultitiae eorum, qui philosophum agnoscunt hunc, qui primum aliquod compendium Philosophiae vel scripserit, vel enarrauerit subinde, ac de vno et item altero capite iuuenile opusculum ediderit: eum autem, qui instructus graecis et latinis literis, *Platonem*, *Aristotelem*, *Xenophontem*, *Simplicium*, *Ciceronem*, *Senecam*, aliosque assidua et curiosa lectione cognouerit, literatorem, non philosophum volunt haberi. Quid? quod mihi etiam videtur turpis esse Theologo, certe interdum rebus non honestis locum facere, ignoratio eorum, quae illi antiquae Ecclesiae doctores ad illustrandas literas sacras, et doctrinae capita vel firmanda,

vel

vel ornanda contulerunt. Vidi interpretationes sacrarum literarum, et argumenta rerum verissimarum, non modo repudiari, quod erat ferendum, si salua veritas ipsa relinqueretur, et aliis siue locis scripturae, siue argumentis firmaretur, non in dubium vocaretur, sed etiam suspicionibus inuidiosis vexari et infamari, quae magno consensu summis Ecclesiae veteris doctoribus probata essent: quod profecto in hos iniquum est, et non decorum exprobrantibus. Quod etiam transferendum est ad opiniones de quaestionibus theologicis, de quibus vel non perspicue in sacris libris traditur, vel nihil euidentibus conclusionibus e locis scripturae sacrae colligi potest.

Omnino tenendum est hoc omnibus, qui in Theologia feliciter velint versari, eam non esse disciplinam rationis et ingenii humani, quae tota subtilitate dialectica teneri possit, sed a fide duci, hoc est, ab auctoritate Dei, res occultas rationi tradentis, et a factis, quae sacris literis tradita teneamus. Hic, clarum est, omnia esse in vera intelligentia verborum et historiarum. Quaeri vero etiam solet, quid Ecclesia de fidei capitibus statuerit, qui cultus publicus fuerit: non vt certior fiat fides, aut vt iudicium veritatis Ecclesiae et doctoribus eius permittatur, sed vt testem habeamus non repudiandam veritatis: idque non modo quaeri coepit recentioribus temporibus ad reprimendos inprimis Pontificios, qui a scripturis reiecti, in illa veluti subsidia se coniecere, sed semper quaesitum est, vt multis magnorum veteris Ecclesiae doctorum locis constat, inprimisque docetur inductione plurium seculorum a *Facundo Hermianensi*, in libro multarum bonarum obseruationum, et propterea lectu dignissimo, *de tribus Capitulis*, qui totus prope nititur hac consuetudine. Quis autem hic rursus non videt, omnia esse historica. Inter haec duo aliquid loci datur dialecticae subtilitati, sed, vt supra dixi, hactenus, vt illis rebus bene vtatur, non modo via quadam et ratione edisserendo, sed etiam ex iis, quae accepit, argumentando, ambigua distin-

distinguendo, pugnantia ad concordiam reuocando. Sed illa ratio velut honoris caussa recepta, non debet dominari, non sui arbitrii esse, sed alieni, sed ministrare tantum literis et historiae. Si contra sit, sique, quod peius est, literis et historiae vicaria substituatur subtilitas rationis et Philosophiae, commentitiis rebus locus fit, quae a falsis principiis ductae sunt, coniecturis mere possibilibus, i. e. nullo fundamento idoneo literarum et historiae nixis, replentur omnia, et ita Theologia redditur incerta: quod in rebus diuinis nihil certi esse potest, nisi quod ab infallibili Dei testimonio, in scripturis edito, proficiscitur, cuius vim recte intelligendis verbis prophetarum et Apostolorum percipimus: similiterque cetera omnia fiunt incerta, quae etiam ex humanis libris sunt haurienda. Ex quo quis non videt, quantum incommodi sit in hac philosophica Theologia, quae parum sit ab historica illa instructa.

Atque ego nondum dixi, eam rationem, a bonis ingeniis vsurpatam, ducere ad quaestiones inutiles, quae fere versantur in metaphysica possibilitate, et indagatione caussarum non necessariarum, aut nituntur ideis mere abstractis Metaphysicorum, nec vllam lucem adfundunt veritati Christianae: velut, an Deus ab aeterno potuerit creare mundum, et, si potuerit, cur non crearit: an incarnatio Dei saltem vt possibilis possit naturaliter cognosci: an ὁ λόγος personam hominis potuerit assumere: et cur humanam naturam sine propria subsistentia assumserit: an vnio personalis differat realiter ab extremis cet. cuius generis quaestionibus pleni sunt Theologorum metaphysicorum libri. Nempe res ita se habet. Ingenium humanum, inprimis magnum et viuidum, impatiens est otii, semperque aliquid anquirit, in quo agitare se, et vim suam exercere possit. Itaque cum ad Theologiam se applicans, non per literas indagat veritatem in scripturis, eiusque vel illustrandae apparatum, vel defendendae copias, non sumit e graecis et la-

tinis monimentis Ecclesiae, ipsum conatur gignere, quod tractet ornetque. Sed cum eius rei caussa sit inscitia literarum et historiae, sine quibus etiam rudia semper et inuenusta fuit ingenia humana, et in cogitando, et in scribendo ac differendo, necessario incidit in subtilitates et nugas metaphysicas, et abstractiones inanes, quas etiam nugaciores et insaniores facit verbis barbaris et obscuris. Quod ita esse docet historia temporum superiorum. Nam barbaram et inficetam Theologiam Scholasticorum, satis constat, natam esse eo tempore, quo linguarum antiquarum, quibus sacrae scripturae et monimenta Ecclesiae consignata sunt, scientia defecerat. Ea autem tum demum coepit contemni ac repudiari, omninoque Theologia repurgari, cum studiis linguarum et historiae reuocatis, Theologia historica a *Luthero*, *Melanchthone*, et eorum asseclis ac discipulis, studiose ac diligenter coli et tractari coepisset. Et hoc vitium nascitur, si a Theologiae acroamaticae studio absit altera illa, quam historicam vocamus, in ingeniis acribus et magnis. Quid? ceteris nihil noxae affert? Immo cum alias, tum ignauiam, quae etiam bona ingenia debilitat, mediocria vero et tenuia plane extinguit. Nam acquiescunt in eo compendio et systemate, ex quo tirocinia didicerunt, et in dictatis magistrorum ad id compendium illuminandum, nec aliquid desiderant amplius; quod satis se habere putant, et fortasse etiam aliis credunt, ad munus in Ecclesia aut Academia rite obeundum. Et quidni satis sit, si alterum illud genus Theologiae non est necessarium ad veram et iustam Theologiae scientiam? Cur enim se vexent homines discendis rebus non necessariis, quarum nihil admodum in ipsis praeclaris magistris esse cognouerint? Vnde quanta fundo Theologico et Ecclesiae calamitas inferatur, quis non videt? Neque enim alia magis caussa est querimoniae, quae indies frequentius auditur, de mira paucitate eorum, qui muneribus in Academiis et Ecclesia maioribus satis honeste admoueri possint.

Qui-

Quibus omnibus de caussis, atque etiam aliis, quas praetermittimus, ne longiores simus, necessaria debet iudicari historicae et dogmaticae Theologiae coniunctio. In quo duces et auctores habemus magnos Viros, quos instauratores et defensores purioris Euangelicae doctrinae habemus. Nam initia emendandorum sacrorum facta sunt maxime a contemtu et repudiatione Theologiae dogmaticae, quae ab historica esset seiuncta, quam *Lutherus* ignorantiam veritatis inanemque fallaciam, in libro adu. *Latomum* vocat, et instauratione alterius, quae nihil, nisi quod in sacris libris esset, et monumentis veteris Ecclesiae integrae atque incorruptae, per studia linguarum et historiae cognitum traderet, sine artificio dialectico dogmaticorum. Ab hac instructi cum pugnarent eum Pontificiis Theologis, quamuis Dialecticis, facile victores discedebant, fauentibus omnibus, qui bonas literas amarent, quorum tum magna, inter nobiles inprimis, multitudo erat. Primus *Melanchthon*, vir ad fundandas et constituendas disciplinas factus et natus, Theologiam illam, quae interpretandis libris sacris, et capitibus doctrinae singulis, lata et copiosa disputatione explicandis, tradebatur, cum dogmatica coniungere instituit, et in modicum corpus redigendo vtramque, editis *locis Theologicis*, ad formam disciplinae scholasticae reuocauit: idque institutum *Luthero* ita placuit, vt eum librum non modo immortalitate, sed etiam canone dignum iudicaret: in easdemque laudes omnes, qui tum et paullo post fuere, magni Ecclesiae nostrae Theologi iuerunt. Quoad igitur lectiones in hunc librum factae sunt in Academiis, quarum specimen habemus *Chemnitii*, laudatum pluribus, quam lectum Commentarium in illos Locos, tamdiu mansit illa vtriusque Theologiae coniunctio. Sed cum ille ardor discendarum linguarum et literarum paullatim refrixisset, de quo iam *Ioach. Camerarius* queritur saepe, magis etiam magisque declinatum est a plerisque in eam partem, vt boni magis Dialectici

 et

et Metaphyſici eſſe haberique vellent in Theologia tradenda, quam in ſacris literis et monumentis Eccleſiae verſati: quod eſſe non poteſt, niſi qui ſit magna linguarum veterum et hiſtoriarum ſcientia praeditus, nedum, qui eas etiam contemnit, et ab earum ſtudio homines deterret, cuius dementiae multos reos fuiſſe accepimus. Cuius rei poſt fata fructum tulerunt hunc, vt ipſorum libri a nemine propemodum legerentur: praeſertim nunc, cum etiam intelligi vulgo deſierunt. Id iis incommodum accidit, vnde omnium minime timuerant, hoc eſt, ab ipſa philoſophia, ſed ea, quae a barbarie priſtina, in ſcholas reuocata, per praeclaros viros liberata eſſet, quae res potius, quam verba nugacia et barbara curaret. Haec ergo illius Theologiae Metaphyſico-barbarae, cuius, quamquam caſtior erat vetere ſcholaſtica, tamen pudere debebat *Lutheri* ſectatores, contemtum attulit, et ſuam puritatem ab talibus ſpinis ac ſordibus cum Theologia communicare tentauit. Sed in illis ipſis, qui hac noua philoſophandi ratione in Theologia vterentur, extiterunt, qui cum aliis in rebus peccarent, de quibus hic dicere non eſt neceſſe, tum in eo, quod Philoſophia vterentur, cum contemtu Theologiae hiſtoricae, et earum literarum atque artium, quibus ea continetur, Theologiam replerent notionibus et opinionibus ſectae eius, ad quam in iuuentute eſſent temere delati, haberentque non Theologiam Philoſophiae ſubtilitate bene digeſtam, et illuminatam, ſed Philoſophiam dictis biblicis vtcunque, et prope tantum honoris cauſſa, diſtinctam, et his ipſis ſaepe propterea male intellectis, quia ſcientia literarum iuſta deerat, et verſionibus magis et lexicis vulgaribus, quam idoneo vſu interpretandi vtebantur. In qua ratione etiam ſolent contemni doctores Eccleſiae veteres, velut Philoſophiae expertes, et inanes diſputatores, negligitur ſcientia librorum, qui capita Theologiae maxima, et controuerſias clariſſimas eruditis diſputationibus, criticis, hiſtoricis, et dogmaticis illuminarunt, verbo nihil, niſi

nisi suum cuiusque, et tenetur, et traditur aliis ac commendatur. Quae res hoc magis periculosa est nostris temporibus, cum in aduersariis Ecclesiae nostrae iis, qui maxime nobis timendi sunt, et fuerunt, et sunt etiamnum Theologi, qui longe aliter, ac temporibus pristinis, Theologiam et controuersias theologicas tractant, hoc est, qui literas et historiam adhibent, et per ea arma nos oppugnare conantur, per quae olim a nostris erant victi maiores eorum: quibus adeo resistere illa philosophica ratione non satis possumus. Neque est, quod quis dicat, controuersias, quas cum Pontificiis et Caluinianis habeamus, in quibus maxime vsus est historicae Theologiae, excussas esse penitus, et exhausta omnia cum puluisculo: nihil esse, quod hic agamus, post *Chemnitios*, *Gerhardos*, *Flacios*, *Dallaeos*, *Mornaeos*, *Blondellos*, *Forbesios*, *Chamierios*, et alios. Etenim, vt non dicam, in illis nostris multa esse, quibus hodie vti non possimus, ducta e libris suppositititiis, qui tum pro genuinis ferebantur, aut tum non satis intellecta, nondum ad hanc praesentis temporis perfectionem adducta Critica, et scientia linguarum et historiarum: post illos praeclaros scriptores extiterunt, et subinde existunt, vt non ignorant harum rerum curiosi, qui refellere illos *Dallaeos*, *Blondellos*, aliosque magno apparatu doctrinae conentur, locis scripturae et SS. PP. interpretatione callida peruertendis: qui nouis artibus, testimoniis, e libris antea non editis, et e puluere bibliothecarum nuper protractis, vtantur. Nullus prope est e Dallaeanis libris Anti-Pontificiis, quem non refellere integris et copiosis disputationibus conatus sit vnus *Natalis Alexander*, in Historiae Ecclesiasticae claro opere, vt de aliis taceam. Horum scripta profecto non ignorare doctus Theologus, sed eorum argumentis occurrere posse debet, ne in fraudem inducantur imperitiores, aut illi, quod fieri vidi, os nobis se obturasse, et victoriam a nobis reportasse iactent. Et est longe difficilius hodie certamen, quam in principiis reformandae doctrinae fuit,

 vbi

vbi mediocris talium rerum ſcientia ſufficiebat aduerſus plane rudes literarum et elegantis doctrinae, vt vidimus ſupra e teſtimonio *Cani*, fateturque *Natalis Alexander* Hiſt. Eccl. T. VIII. c. II. art. 10. cum nunc refellendi ſint admodum docti, et in his literis verſati. Quodſi maxime nihil ſupereſſet indictum aliis, nihil noui, nihil melius accuratiusque inueniri ac dici poſſet: tamen, quae ab tam multis praeclaris viris bene ſcripta ſunt, cognoſcenda, et optima quaeque, ac maxime neçeſſaria tradenda eſſent ſtudioſis, vt mature imbuerentur etiam amore talis doctrinae, quo perfacile incenduntur ingenia erectiora et liberaliora.

Sed de neceſſitate Theologiae dogmaticae et hiſtoricae, et in docendo et in diſcendo coniungendae, ſatis diximus. Deſtinatum erat autem nobis, adiungere partem alteram, de ratione et modo huius coniunctionis in Scholis. Sed longior multo futura erat diſputatio, quam ſineret diſputationis huius modus: quem ſic quoque exceſſiſſe videri poſſumus. Itaque eam ad aliam occaſionem differre cogimur, cum de inſtitutis noſtris in Theologia docenda, et eius diſciplina cum eloquentiae et humaniorum literarum doctrina coniungenda, dicemus. Et fortaſſe melius eſt, agendo oſtendere, quem huius coniunctionis modum putemus, quam ſcribendo. Nam illud quidem ex ſuperiori diſputatione ſatis perſpicuum eſſe arbitramur, quod non ignorari intereſt noſtra, h. e. quam nos quidem rationem Theologiae tractandae probemus, et quo genere diſciplinae vtamur.

DE

DE VESTIGIIS PROVIDENTIAE DIVINAE IN BELLO

DE
VESTIGIIS
PROVIDENTIAE DIVINAE
IN BELLO

Defuncti ergo sumus bello misero atque calamitoso, et, auditis tandem votis nostris, annuit misericordia diuina pacem plurimis et maximis de causis laetabilem, et omni praedicatione nostra et gratulatione superiorem! Itaque et ipsi vidimus, et saepe audiuimus, primum eius nuncium ita repente alienasse ab omni malorum etiamnum praesentium sensu animos, tam enixo favore omnibus in locis, tam effuso in laetitiam studio exceptum esse, vt capere laetitiam homines non posse viderentur. Quae enim tum significationes factae! quae voces auditae gratias Deo, gratias Patri Communi Patriae agentium, gratulantium inter se, sibi, suis, patriae, manantibus etiam subinde lacrimis, omni alia significatione et dulcioribus et verioribus. Nam in ceteris ferè impetus est hominum repentino motu elatorum, ad diuturnitatem parum ille constans; hae molli et intimo pectoris motu cientur, suntque tacitae, sed verissimae animi vere constanterque laetantis voces.

Sed posteaquam primus gratulationis ardor resedit, et ita recepti sunt animi ab illa prope alienatione, vt religiose ac pie, sapienter ac vere gaudere, et sancto ac certo gaudio incensi, veras et dignas Deo, dignas Patre Patriae, gratias agere possimus, quid prius quam publice

gratulationem facere debemus, vt sit ab nouitate tanti boni laetior atque efficacior? quid porro diligentius ac religiosius, vt decora sit professioni nostrae Christianorum, decora vero etiam sapientiae, cuius nomine ac studiis censemur: nec modo communiter cum patria vniuersa, sed etiam proprie: tanto magis proprie, *Ciues*, quanto magis proprias laetandi et gratiarum agendarum caussas habemus.

Enimuero plurimum refert, animo ab sensu et cogitatione rerum ad praesentem temporis rationem pertinentium rite praeparato et instructo accedere ad officium persoluendum. Nec enim aliter ei tam veritas et sapientia constare potest, quam religio et sanctitas. Sed quae propie religionis et sanctitatis in ea re partes sunt, eae in concionibus ad populum, et nuper, per supplicationum opportunitatem, demonstratae sunt, et in ipsa gratulationis solennis die inter sacra Ciuitatis communia demonstrabuntur a multis: nobis autem quoniam oratio proprie ad eruditos homines est suscepta, floremque iuventutis literarum et sapientiae studia aemulantis, non abhorrebit ab consilio huius instituti nostri, mentes vestras in eam partem rerum deducere, quae sit coniunctior rationibus vitae nostrae, nec tamen aliena a pietate ac religione. In quo nos aliquamdiu tenuit dubitatio, coniunctene mallemus cum bello superiori pacem nouam officii rationibus accommodare, an omnem tanti mali mentionem secludere, ne temporis huius gaudium contaminaremus illius acerbitatis cogitatione, quae in recenti adhuc pace horrorem animo offundat, qualis vix elapsos magnum periculum, etiam in tuto, stringit. Sed nos non ita spectabimus, quae retro sunt, vt terribilis aliqua species occurrat animo, qualis Annibali per somnium oblata traditur, contra ducis monitum respicienti (Liv. XXI, 22.) sed vt vestigiis diuinae prouidentiae persequendis deducamur ad eius maiestatem admirandam, quae se in nullo

nullo alio rerum humanarum genere maioribus et luculentioribus documentis ſpectandam praebet.

Hiſtoricorum veterum praeſtantiſſimos ſtudium ſuum ita ad ſcribendum videmus contuliſſe, vt vel ſola bella magna amplecterentur, vel ea in perpetuis hiſtoriis ita perſequerentur, vt ceteras res prope tantum ad ſeriem temporum vel nectendam vel explendam adieciſſe videantur. Qui primus hiſtoriae ad vſum vitae et prudentiae diſciplinam accommodatae exemplum prodidit, Thucydides, vnius, ſed, cuius memoria eſſet, maximi belli, nec eius totius res complexus eſt: cuius exemplum imitatus eſt alter, proximus ei, Xenophon, extremis belli eiusdem perſequendis, et Cyri Iunioris bello, rebusque ab Graecis Cyri ſociis, maxime ſe duce geſtis, tradendis. Iam Polybii, quam catholicam vocat hiſtoriam ſuam, tota eſt fuitque maximorum, quae ab Romanis geſta ſunt, bellorum; et quae ſeparatim ſcripſit ex hiſtorico genere, pariter ad bellicam rationem pertinuere. De Caeſare et Salluſtio tituli operum ipſi loquuntur: Liuius autem in continua hiſtoria Romana ita in bellis maioribus, inde a Punico primo geſtis, Punico ſecundo, Macedonicis, Syriaco elaborat, vt cetera παρέργῳ loco, et Annalium contexendorum cauſa, ſcripſiſſe videatur, et has partes cognoſcere debeat, qui Liuium penitus cognoſcere velit. Nam Tacitus, vt opinor, quia deerant bella magna, in quibus experiretur ingenium et prudentiam, hiſtorias fallere, inſidiari, dominari, omninoque peccare magis, quam recte facere docentes, ſcripſit: ceteri autem prope non numerantur in hiſtoricis, varietati doctrinae aptiores, quam hiſtoriae, quae proprie dicitur, ad vſum apte cognoſcendae. In quo illi ſane opportunitatem ingenii prudentiaeque proferendae ſpectare potuerunt. Etenim ea eſt in nullo alio genere rerum geſtarum maior, aut par: et vt hominum in gerendo bello, auctore apud Homerum Idomeneo, (Il. N. 277) ſic hiſtoricorum in ſcribendo μάλιϛ' ἀρετὴ διαείδεται, *virtus maxime inſpicitur:* tanta

tanta est rerum varietas, vbertas, et ad bene explicandum difficultas! Sed profecto nullae res sunt, et per se, et euentu, et tum ad hominum singulorum, tum populorum vniuersorum, vel salutem vel perniciem maiores, et cognitione digniores, nec aliae vllae tantum habent theatrum spectandae et naturae humanae cum omnibus virtutibus et vitiis suis, et diuinae in rebus humanis potestatis ad arbitrium omnia gubernantis, et contra consilia, vim, et opinionem humanam, leuissimo momento, quocunque vult, impellentis.

Quo tempore, et quibus in rebus, magis perspicitur vis ingenii, consilii, industriae, fortitudinis, vigilantiae, adde patientiae humanae, cuius maximam disciplinam in bello esse, et Polybius iudicat, et nos experti sumus; magnitudine praemiorum pariter et periculorum, inprimisque acerrima necessitate vrgente et cogente contendere neruos mentis et corporis omnes, vel supra vires? Hic veritas prudentiae, fortitudinis, industriae, potentiae, virtutum omnium velut igni spectatur: eliciuntur sensus, consilia habitusque animorum, per praui fauoris licentiam, nudanturque rebus et secundis et aduersis vitia Ciuitatum publica et hominum priuata, quae per pacis tranquillitatem vel tolerantur facilius, *) vel obscurantur felicitate ac teguntur, vel pudore, legibus, coërcentur, vel denique languidius irritantur; cum belli vis ea protrahat in lucem, tempestate fortunae vtriusque, acerrimis lucri, damni, doloris, voluptatis, spei, timoris irritamentis et paene tormentis agitata et expressa. Vbi porro maiores et crebriores rerum conuersiones, publicarum priuatarumque, futurae fortunae in longum tempus, saepe in saecula, momentum in vtramque partem facturae? Quae sunt magna omnia, et ad cognitionem et ad vsum; et sunt his alia similia.

Sed in omni bellica re nihil admirabilius est documentis potestatis et gubernationis diuinae, quae se in bellis

*) Demosth. Or. Olynth. II. p. 34. Epist. ad Philipp. p. 118.

lis ita praesentem exhibet; vt prope oculis cerni possit. Primum, non alio in genere rerum crebrius et manifestius apparet, quam non sint in rebus maximis euentus consiliorum et actionum in potestate humana; cum in consiliis solertissime excogitatis, et rationibus ad rem gerendam prudentissime dispositis, et expromta omni in agendo contentione industriaque, in perseuerandoque constantia, tamen euentus saepe non respondeat, semperque incerta spe expectetur: ita moderante rem ac temperante sapientia diuina, vt modo successus consiliis et actionibus annuat, qui sequi debere videantur, ne ad ignauiam et socordiam prolabatur ingenium humanum, tollaturque discrimen sapientiae et stultitiae, temeritatis et prudentiae, vigilantiae et somni, laboris et inertiae, modo omnia alia euenire iubeat, disturbatis leui motu rationibus omnibus, vt suam quoque vim intercedere sentiant homines, suumque imperium humano maius agnoscant. Neque enim negligere potest ius suum Maiestas diuina, et non curare, vtrum Dominum se mundi sui, cuius scilicet auctor est conseruatorque, credant ferantque coloni sui, nec ne. In quo miseranda est coecitas veterum historicorum, qui varietatem hanc tantam ad fortunae cuiusdam vanitatem referre maluerunt, quam ad diuinae potestatis veritatem, in his Polybius, haud paullo deterior religionis quam prudentiae auctor, qui Fortunam *brabeutam euentorum bellicorum* constituit, (I, 58.) in rebus maximis, contra consilia, apparatus, molitiones, et spem hominum, exeuntibus, etiam *lusus* eius videt. Sed illi commentitiis suis Diis res tantas attribuere non ausi, dum incertis viis caussas rerum indagant, ad nomen inane deducti sunt. Quanto sapientior Iosephus, Polybii alias admirator et imitator, qui *τὰς πολέμου ῥοπὰς τῷ θεῷ βραβεύεσθαι*, *a Deo gubernari ac dispensari belli inclinationes euentusque* monet. *)

Iam quod sacrarum literarum praeceptis edocti tenemus, diuinam vim eripere mentem hominibus consiliumque,

*) B. I. I. 10. A. I. XIV. 9.

que, vt aut, in magna et non inficianda prudentia, tamen non videant, quod verum et salutare est, ipsosque ante oculos atque in promtu, aut, cum videant, tamen ab eo repente demoueant oculos, sibique elabi suum consilium sinant; quo alio tempore saepius, vel legimus, vel ipsi audiuimus ac vidimus, magnis et manifestis in rebus fieri? Pompeii, vt hoc vtamur, ingressi bellum cum Caesare, omne *consilium Themistocleum* erat. *) Existimabat, *qui mare teneret, eum necessario rerum potiri.* Nec dubitant rerum periti, quin saltem attriturus fuerit Caesarem et fatigaturus, si consilium id tenuisset. **) Victoria vtendum esse, vrgendis victis, nec vlla parte quietis concedenda, si quisquam alius, sciebat. Quis enim ignorat? quis non vel indignatur, vel ridet, vbi secus factum est, etiamsi nunquam rem bellicam attigit? Et saepe ante, victis piratarum classibus, in Mithridate, bene vsus erat. Quid ergo? quae res eum repente de consilio ac mente deduxit? Profecto vis diuina intercessit, commutatura per Caesarem imperium Romanum, et nouam rerum formam inductura, quae esset ipsius consiliis, temporibusque Christi aetati vicinis aptior.

Et quoniam huc delapsa est oratio, magnas illas rerum conuersiones, per quas imperia commutantur, transferuntur, augentur ac minuuntur, opes vel franguntur, vel prouehuntur, diuitiarum porro paupertatisque celeriores vicissitudines, quae in Scripturis attribuuntur numini ac potestati diuinae, omni memoria reperimus belli maxime motu factas esse; vt appareat, instrumenti vim diuini esse in bellis, per quod Deus res maximas in terris agat, et sui numinis potestatem inprimis demonstret, et prope ingerat sensibus nostris. Ad nos quidem, si priscarum rerum memoriam tenemus, humanitatem, literas, religionem ipsam, primum velut alis belli delatas, intelligemus. In quo nihil temere, nihil sine Deo factum, omnia diuini consilii et operis fuisse, libenter, vt opinor, fatebimur.

Et

*) Cic. ad Att. X, 8.
**) Baco de Augm. Sc. VIII, 3.

Et sunt multa alia eiusmodi in bellorum indole ac natura, quae ad hanc rationem duci possint, imprimis digna cogitatione nostra: neque enim aliae vllae cogitationes aut ad patientiam in malis belli et aduerso euentu, aut ad modestiam in secundo, potentiores ac maiores aut sunt, aut intelligi possunt: sed omnia commemorare nec necesse est, nec conuenit huic instituto nostro, praesertim quae sunt coniunctiora cum iis, quae ipsi sensimus, quibus commemorandis refricare dolorem, parum aptum foret laetitiae temporis: et festinamus ad pacis commemorationem.

Ceterum, vt ea, quae commemorata sunt, hanc volumus habere vim, vt deducant animos Vestros, *Ciues*, ad vtilem et iucundam cogitationem, quae, in omnibus rerum humanarum euentis, debet esse prima, hoc est, quae habeat admirationem ac venerationem prouidentiae et potestatis diuinae, quae se etiam in nupero bello multis modis et magnis euentis, et, inter ipsas miserias nostras, plurimis malorum lenimentis, et ferendorum onerum adiumentis suppeditandis, conspicuam fecit; ita et cetera, quae sensum acerbum in experiendo habuere, accommodari ad hanc rationem poterunt, vt, quicquid est ex eo sensu reliquum doloris, obscuretur paullatim sancto hoc et sapienti remedio, et extinguatur.

In quo nos plurimum adiuuabit pacis restitutae tranquillitas, praesertim cum ea habeat multas et magnas commendationes, multa, quae dolorem nostrum consolari debeant, et spem bonam in posterum facere possint. Atque primum in ea donum Dei, miserti miseriae nostrae, quis non agnoscit, quod, desperata omni humana ope, maxime necessario tempore, cum maximus vltimi mali timor esset, spes pacis et salutis prope nulla, via ita breui contigerit, vt velut coelo demissum videretur. Non ille externas et humanas opes in societatem tribuendi beneficii venire voluit, vt suae vnius curae, misericordiae, benignitati deberemus, cui etiam libentius deberemus. Vnum

Augu-

Augustum, Patrem Patriae, et potestatis suae inter nos Vicarium, in tanti operis, tamque amabilis muneris societatem adsciuit, vt etiam commendatius nobis esset, haberetque gratiam maiorem. Et hic diuinitus ad rem tantam excitatus, incensusque verissimo suorum amore, magno animo aggressus est opus tam nobis exoptatum, concessitque in conditiones, vt nobis consuleret, redderetque se heu nimium diu! orbae Patriae; quae fideli antea, nunc etiam laeto incensa desiderio, festinat occurrere Patri, et hunc primum et dulcissimum capere gestit fructum pacis nouae, vt videat ipsum, ruatque in amplexus paternos, exsatiatura longum desiderium. Nam profecto tum demum plenam pacem habere videbimur, tum solidum gaudium gaudebimus, cum hic tantus cumulus ad laetitiam nostram accesserit. Et iam nunc praecipimus animis illius diei laetitiam, cum intranti hanc Vrbem obuiam ruet, si tamen intra moenia contineri se patietur cupiditas, omnis aetas, adulti, senes, veluti primum visuri, quem toties viderunt, pueri inprimis, haerentes parentibus, eosque amabili impatientia visendi fatigantes, denique sine demonstratione noscitantes Patrem Communem, propria maiestate oris, mixtaque maiestati lenitate et comitate; cum omnes certabimus adire, dextram contingere, dictis, factis omnibus, amorem et pietatem proferre, quam aduersa fortuna etiam magis inflammauerit, quam res secundissimae aliorum Principum apud suos accendere posse videantur.

Sed vt ad pacem redeamus, quantam gratiae accessionem habet hoc, quod id tantum diuinum regiumque donum accepimus de manibus serenissimi filii heredis, cuius patrius in Ciues animus, maxime duris in rebus, quot et quantis documentis spectatus sit, sciunt omnes, praesertim nos, Ciues, qui etiam propriis, nec modo veteribus illis, sed recentibus de caussis beneficiorum, praecipua gratia excipere debemus, immo excipimus, quae ipsius manus dederit. Atque etiam magnum omen ex ea re capimus pacis, quae literis inprimis, et sapientiae studiis, et Academiae

demiae noſtrae, laeta et frugifera ſit, cum hoc, tam prolixe fauente his ſtudiis atque rebus noſtris, Principe interprete et velut auſpice, perfecta ſit.

Sed ſunt alia plura, bene de pace noua ſperandi argumenta et pignora, miſericordia inprimis et benignitas in has terras diuina, a multis ſeculis cognita, quae ſe etiam inter ipſa tanta belli mala haud dubiis rebus oſtendit, vbertate agrorum continua, et aliis copiis largiendis, per quas ſupra fidem et ſpem ſuſtinuimus onera belli, Vrbis ipſius inter tantas tot periculorum minas, et Academiae in magnis rerum anguſtiis, incolumitate. Et ſicut tranquilla ſerenitas coeli a praegreſſa tempeſtate, ita, quae benignitas diuina ſuppeditabit bona, eam ſuauitatis commendationem ab ipſa ſuperiorum malorum acerbitate accipient, vt ea nos ad veriorem et acriorem bonorum diuinorum ſenſum acuiſſe videatur. Multa ſane ſunt a belli tanti motu, et iactatione labefactata et conuulſa, multa velut longa valetudine debilitata et aegra, multa denique iacturis tot ac tantis minuta et acciſa: ſed ea fouebit tranquilla moderatio patris patriae, in qua eſt fomentum omnium malorum publicorum vt maxime amabile, ita potentiſſimum, vt conualeſcant paullatim, roborentur ad priſtinam firmitatem, et res noſtrae benigne nutriendo velut a ſtirpibus adoleſcant ad laetam vbertatem; ſi modo ipſi intra animum mederi malis occultis, et vulnera noſtra praebere curanda velimus, nec per vitia noſtra et cupiditates aduerſemur medentium curae et manibus. Quare capeſſamus ſpem ad pellendas curas et triſtitiam alienam ab huius temporis gratulatione tanta, inprimisque animum dignum tanto beneficio Dei, beneficio Principis, eumque perpetuo conſeruemus.

Atque huius talis animi primum documentum, agitedemus, adeundis caſte ſacris, quae in diem Lunae proximum indicta ſunt, gratiisque Deo, ſalutis noſtrae auctori, enixo ſtudio actis, oremus Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt primum *Auguſtum* Regem, Patriae Patrem Optimum, ad ſuos, ad nos reductum, *Fridericum* deinde *Chriſtianum*,

filium heredem, Principem Sereniſſimum, cum celſiſſima coniuge, et ſobole celſiſſima, totamque Regiam Domum potenti et perpetua tutela, et prolixa benignitate complectatur, deletisque omnibus ſuperioris temporis malorum veſtigiis, ſecundis rebus omnibus florentiſſimam reddat: tum, vt illuſtriſſimos poteſtatis regiae adminiſtros, poſt exhauſtas tot ac tantas inter belli mala curas et moleſtias, vita longa, tranquilla, et omni ex parte felici, exhilaret, iis conſilia, veriſſimae eorum bene Patriae rebus conſulendi voluntati paria, conſiliisque optimis parem euentum annuat; denique vt totam, cum hac Vrbe, Patriam hac pacis tranquillitate, pie, ſapienter et diutiſſime frui ſinat.

Enimuero ea vota faciemus etiam efficacius, ſi addiderimus ſacrificia eleemoſynarum, digna et boni diuinitus accepti et laetitiae noſtrae magnitudine: praeſertim cum deſtinentur Vrbibus iis, quae tantopere adflictae ſunt belli vi et ruinis, vt noſtra cum iis comparata, etiam libera ab omni belli iniuria fuiſſe videatur; in his primum Dresdae, e qua quotusquisque noſtrum, Ciues, non aut accepit, aut ſperat fortunas ſuas; deinde Vitebergae, Eccleſiarum noſtrarum Matri, a qua prima certiſſimum benignitatis diuinae et felicitatis ſuae pignus accepit Patria noſtra; in quas adeo nulla ſatis magna liberalitas videri poteſt. Itaque omnes hic vel temporis vel neceſſitatis noſtrae excuſationes penitus excluſas putemus, demusque ita, vt et ſentire poſſint, qui accipient, et nosmet ipſi ſentiamus, qui dedimus; meminerimusque, eam eſſe Deo gratiſſimam liberalitatem, quae temporibus et rebus anguſtis ita fiat, vt poenitentiae et minuendae cupiditatis exercitationem habeat, qua nullum ad tempora futura bene traducenda vberius ac magis neceſſarium veluti viaticum exiſtimare debemus.



DE

DE
METV SPECTRORVM
PER
LVTHERVM
SVBLATO

DE
METV SPECTRORVM
PER LVTHERVM
SVBLATO

Cum ad grati animi pietatem nihil magis aut necessarium aut efficax sit, quam beneficiorum acceptorum ita meminisse, vt eorum et veritas, et magnitudo diligenter ponderetur: nihil profecto a nobis memoriam beneficiorum a Deo nobis, communique Patriae et Ecclesiae vniuersae, per Lutheri ministerium tributorum solenni religione celebraturis, magis ac diligentius faciendum est, quam vt eorum et multitudinem et magnitudinem cogitemus; quae res etiam hanc vim potest habere, vt de iis conseruandis ac tuendis, quantum in nobis est, laboremus, nec ea sinamus vel nostra negligentia nobis perire, vel aliena fraude iis nos priuari. Sed in illis bonis merito numeratur et hoc, quod et religio, et vita communis a seruitute superstitionis liberari coepit per Lutherum superstitione foeda et perniciosa, qua ante illum vtraque premebatur. In generibus autem superstitionis illius etiam hoc inprimis grassabatur olim, quod daemonum operibus spectris, in his mortuorum, in aspectum venientium et loquentium, terriculamentis apud male credulos homines vteretur; de quo Lutherum ipsum saepe questum esse reperimus, in libello de Missis et alibi. Nam his quam mul-

multae falsae, etiam de rebus sacris, opiniones inductae sint, satis constat et historia loquitur. Et cum omne genus superstitionis fallax sit apud homines imbecilli iudicii, tum multo maxime hoc est, quod rebus mirabilibus vtitur, quibus facillime capiuntur animi; praesertim, si accedant artificia iis solemnia, qui talibus fraudibus vtuntur, simulatio sanctitatis et religionis exquisitae species, per verba religiosa, cum semper in ore est Deus et Dominus Iesus Christus. Enimuero vt ab aliis generibus sic etiam ab hoc liberatam esse Ecclesiam nostram, tum omnino Germaniam per Lutherum et res testatur atque etiam fassi sunt eius aduersarii. Delrio quidem, alienus ille ab eius disciplina, et infestissimus nomini eius, agnouit hunc disciplinae Lutheri fructum, cum in *Disquis. Magicis*, ait: *ante annos centum, quo tempore Lutheri haeresis nata est, Germania Daemonum manifesta et crebra infestatione plenissima fuit;* et ille omnino saepe Germaniae superstitionem exprobrat. Nam quae causa est, quare post Lutherum Germania minus obnoxia fuerit huic tanto malo, nisi, quod per Lutherum et eius discipulos illa superstitio imminuta, et ex plerisque regionibus prope tota expulsa est. Atque id Lutherus ita egerat, vt nihil potestati Diaboli detraheret, quod solent superstitiosi homines exprobrare iis, qui ab illo genere superstitionis sunt alieni; immo etiam ab aduersariis haud paulo plus iusto ei tribuere putabatur; quo nomine eum valde accusat idem ille Delrio in Disqq. m. L. III. P. I. qu. 3. sect. 2. p. 426. Nempe omnia ille tribuebat verbo diuino recte cognito et ei obediendi studio atque animo; eo omnis superstitio excluditur. Sed adiuuabatur etiam ab sociis operis sui, Philippo et aliis, tum a doctoribus ceteris bonarum literarum, qui cum in libris graecis et latinis enarrandis in aliquod genus superstitionis paganicae, in oracula, νεκυίαν cet. incidissent, stultitiam, vanitatem, et frau-

fraudes earum rerum demonſtrabant, et ad riſum conuertebant; denique ab philoſophis, qui rerum naturam planius explicare coeperant. Acceſſit etiam Principum prudentia, qui legum ſeueritate homines vel deterrebant ab malis ſuperſtitionis artibus, vel coërcebant eos, qui iis vti auderent: quibus rebus etiam reliquiae veteris ſuperſtitionis paullatim, praeſertim hoc noſtro Seculo, cognitis etiam ſaepe fraudibus improborum, ſunt prope prorſus ſublatae. Atque ea patriae noſtrae gloria communicata eſt etiam cum aliis populis, qui in communionem emendatae per Lutherum Eccleſiae veniſſent: in quibus etiam paſſim extiterunt, qui ſuperſtitioſas opiniones vulgi impugnarent. Sed cum tamen aliquid reliquiarum remanſiſſet: neque enim imbecillitas humana ſinit ſe prorſus ab vitiis ſuis liberari, eae non otioſae latuere, ſed ſaepe per occaſiones oblatas exſerere ſe coepere. Atque profecto dolendum eſt, hac noſtra aetate, quae ſuperioribus etiam temporibus magis ſapere creditur, eoque nomine gloriatur, et proximo tempore id ſaepius accidiſſe. In Batauis *Swedenborgii* fabulae coeleſtes, et iactata cum mortuis commercia et colloquia permultis, vt audiuimus et cognouimus, probatae ſunt. Lohmanniae Daemon a quam multis agnitus eſt, Deſſauiae tandem a medico pulueris rhabarbarini quaſi tormento expugnatus et eiectus. Quid cum magno dolore prudentium Hannouerae nuper factum ſit, conſtat. Nec illi recentiſſimo apud nos impoſtori, dignum ſuo furore exitum nacto, qui animas mortuorum et de coelo deducere, et ex orco euocare ſe et in conſpectum volentium adducere iactabat, defuere, qui eius praeſtigiis, et malis artibus ſe decipi paterentur, et ei temere crederent. Quibus rebus profecto magna labes ad-

 ſperſa

ſperſa eſt aetati noſtrae, poſteris etiam miraturis, tantam fraudem in eam cadere potuiſſe. Quo magis hoc et magiſtratibus et Eccleſiarum Scholarumque doctoribus eſt agendum, vt a talibus fraudibus populo caueatur in poſterum, et ſuperſtitioni tam foedae vel aditus omnis praecludatur, vel ſi extiterint eius auctores, ii quam celerrime amoueantur. Ita ſe dignos Lutheri diſciplina probabunt, et beneficium a Deo per eam patriae noſtrae traditum conſeruabunt. Sed nobis cum doctrinae publicae magiſtris res eſſe debet: itaque eorum de officio in hac re planius praecipiendum videtur.

Ac primum, quia facile prauis huiusmodi opinionibus capiuntur teneri animi, quae cum ſemel acceptae ſunt, ita alte inſident, vt non modo faciles ad credendum fiant, ſed etiam appetant tales nugas, iisque delectentur; inprimis tum a parentibus caueri debet, ne narrationibus talium rerum aures puerorum imbuantur, tum a magiſtris mature monendi ſunt, per occaſiones datas, ne iis temere credant, ſed certe eas ſemper ſuſpectas habeant, et in iis a fraudibus ſibi diligenter cauendum putent. Magiſtrum ſcholae doctiſſimum, poſtea eximium Eccleſiae doctorem, vidimus, qui monere ſoleret diſcipulos, vt orarent Deum, ne ſineret ſibi ſpectra offerri. Etenim, aiebat, *qui* ſpectra vident, aut corporis aut mentis graui vitio laborant: quod ſi tamen acciderit, vt, quamquam ſani, mente et corpore, ſpectrum videre videamini, memores praecepti Ieſu, *Luc.* 24. feſtinate id contrectare manibus, vt videatis, an carnem et oſſa habeat, ne decipiamini et noxam accipiatis. Bene profecto et ſapienter. Doctores autem populi diligenter curare debent, primum, vt aduerſus tum omnia

omnia superstitionis genera; tum et hoc muniant eius animos; deinde, si qua talium rerum fama extiterit, ne inuidiae et odii metu taceant, sed eam suspectam faciant, ne ei temere credatur, sed exitus rei expectetur, qui vt plerumque fraudem patefecerit, ita et in ea re sit patefacturus. Neque enim vlla fraus tam sollers est et callida, vt veritatem plane opprimere possit, nec relinquat quasdam eius veluti ansas, per quas deprehendi et in lucem protrahi possit. Atque etiam saepe emergit sua sponte, etsi interdum tardius, et cautos homines in posterum facit, si modo possint sapere: nam nonnulli ita tales opiniones adamauere, vt ne exemplis quidem luculentis ab iis se abstrahi sinant, sed, quanquam saepe decepti, tamen semper se credulos fabulis talibus praebeant. In quo illos magistratuum diligentia et prudentia poterit, vt debet, adiuuare, fraude celeriter et solerter indaganda, et fabularum auctoribus amouendis, ne latius spargere nugas suas, et in fraudem multos possint inducere.

Ad hanc talem disciplinam praeparabitur a Doctoribus Academiarum iuuentus, quae se Ecclesiae destinauit, si eam de rebus iis, quae ad spirituum vtriusque generis naturam, conditionem et actiones pertinent, ita docebunt sentire, vt libris sacris eorumque auctoritate acquiescant, nec ingeniorum humanorum inuenta vel somnia iis admisceant et pro necessariis religionis partibus commendent, per quas deinde omnes illae superstitiosae fabulae explicari ac defendi possint: in quam partem saepe procliuiores fuisse etiam bonos alios et doctos viros reperimus, atque ita superstitionis plebeiae patrocinium suscepisse, cum magno saepe detrimento religionis verae ac purae. A qua labe puram Deus seruet doctrinam publi-

 cam

cam fcholarum noſtrarum, atque ita etiam illud, quod commemorauimus, datum olim patriae et Eccleſiae per Lutheri operam bonum cum ceteris omnibus eiusdem miniſterio paratis. Pro qua re nobis etiam inter gratiarum actiones ſupplicandum eſt Deo, idque cum communiter faciemus cum vniuerſo populo Lipſienſi, proximo die Lunae, tum proprie in aede Paullina ab hora XII. inter quae ſacra etiam verba faciet Io. Auguſtus Wolfius, Philoſophiae et artium Magiſter, vir doctiſſimus, recitanda oratione diſerta et elegante *de perſequendis Lutheri veſtigiis in emendatione ſacrorum conſeruanda. cet.*

DE

DE SATISFACTIONE CHRISTI

DE
SATISFACTIONE
CHRISTI

Instat dies festus, omnium totius anni laetissimus, et praecipua religione celebrandus. Nam sacratus est memoriae rei omnium laetissimae, hoc est, reditus I. C. Seruatoris nostri in vitam, quo opus eius, ad quod peragendum natus erat, est absolutum, et salus adeo hominibus vere restituta. Etenim ille reditus in vitam habebat argumentum certissimum, eum esse filium Dei Rom. I, 3, cuius opus Deo patri non posset non gratum et probatum esse, et satisfactionem eius pro peccatis hominum a Deo esse acceptam, et velut sigillo impresso firmatam et ratam factam. Itaque Paullus ait, si Christus non rediisset in vitam, fidem et spem nostram inanem esse, nec esse nos a peccatorum poenis liberatos, 1 Cor. XV, 17. Nam vt ille propter peccata nostra mortuus esset, sic propter salutem esse in vitam restitutum Rom. IV, 25. quo et illud Petri pertinet, cum dicit 1 Petr. I, 3 nobis per eius reditum in vitam redditam esse spem certam salutis, aeternaeque in coelo beatitudinis. Vt ergo haec duo, mors Christi et reditus in vitam, necessariam habuerunt coniunctionem ad salutem nostram, sic et in animis nostris coniungi cogitatione ac fide debent, si recte et salubriter celebrare memoriam absoluti operis Christi, et dies hos festos peragere volumus. Quid igitur aptius facere possumus praeparandis animis vestris ad eam religionem,

gionem, quam si vtriusque rei intelligendae et cogitandi modum ad eam accommodate demonstremus, doceamusque, quomodo intelligendum sit id, quod Paullus ait, Christum propter peccata nostra traditum esse morti, et propter salutem restitutum in vitam. Et in illo quidem summa rei redibit huc: vt sententiam Ecclesiae nostrae de satisfactione pro peccatis nostris Deo facta a Christo asseramus accurata et perspicua, et ad cuiusque captum accommodata demonstratione. In quo nos etiam speramus rem facturos aptam temporibus nostris, quibus plures sunt, qui hac sententia videantur offendi, aut eam esse tam difficilem existiment, vt captum populi superet, eamque ob caussam a doctrina publica in templis amouenda videatur. Atque ita faciemus id, quod nos diximus posse, (Bibl. Theol. nouiss. P. II. p. 634.) vt eam rem tam claris librorum sacrorum testimoniis demonstremus, quae refelli legitima ratione, h. e. saluis regulis veris interpretandi, nullo modo possint.

Iam verbum quidem *Satisfactionis* in libris sacris non est, nec esse potuit; quod nec hebraica nec graeca lingua habet verbum, quod ei grammatice, s. etymologia et sensu, respondeat: sed id nil caussae obest, satis est, si res eo verbo significata inest. Sunt autem multae loquendi formae in libris sacris ad hanc caussam pertinentes, quibus latinum illud verbum respondet. Eae vero cum vel partem tantum operis illius Christi, quo satisfactionem peractam dicimus, exprimant, vel tropicae sint, nec habeant adeo subtilitatem, aptam rei via et ratione explicandae, quae in scholis requiritur, faciantque locum ambiguitati, et calumniis interpretandi, vt sub iis occultare se possint, qui peruerse de re ipsa sentiant: doctores ecclesiae latinae mature instituerunt eam verborum varietatem et figuras revocare ad verbi proprii vnitatem. Eius rei auctor fuit,

fuit, quod quidem scire possimus, *Tertullianus*, qui id verbum e iure et foro, in quo ille versatus erat, sumtum, ad illum vsum accommodaret. Eum secuti sunt ceteri doctores latini, *Cyprianus*, *Augustinus*, qui et ipsi in foro fuerant versati; post ii, qui doctrinam sacram ad scholae subtilitatem tractare et explicare instituerant, in vsus illi eorum, qui doctores idonei religionis fieri vellent, vt omnium rerum distinctas et accuratas notiones haberent, et eas iusta perspicuitate explicare ad cuiusque captum, et verbis certae et notae significationis exprimere possent, quo totum illud subtilioris et scholasticae theologiae institutum spectabat, et spectare debet. Atque eum verbi delectum elegantem et probandum esse, fidem facit hoc, quod omnia verba librorum sacrorum, quibus opus I. C. salutare vel totum vel per partes exprimitur, a Latinis verbo satisfactionis exprimuntur.

Sed satisfactio haec a Christo praestita est iustitiae diuinae, per eamque huic reddita sunt iura sua. Est autem ius eius duplex: alterum, vt legibus eius obedientia perfecta praestetur, earumque adeo auctoritas salua relinquatur; alterum, vt, iis violatis, soluantur poenae propositae. Vtrumque igitur ius redditum a Christo iustitiae diuinae dicimus, cum ab eo satisfactum esse Deo eiusque iustitiae defendimus, atque ea re effectum, vt benignitas diuina posset condonare hominibus peccata, cum iisque ita agere, tanquam nulla re leges diuinas violassent, sed eas omni ex parte seruassent, salua iustitia sua: auctore Paullo, qui Rom. III, 26. remittendorum hominibus peccatorum caussam ita institutam a Deo esse ait, vt ipse esset, maneret et appareret, iustus, et tamen vt iustum, innocentem et sanctum tractaret peccatorem, propter fidem in Christum. Sed haec talis satisfactio an vere insit literis sacris, id vero quaeritur, eius demonstra-

monſtratio euidens requiritur, inprimis qua partem alteram, quae eſt in poenis peccatorum pro genere humano ſubeundis: nam Chriſtum legem diuinam perfecte ſeruaſſe, de eo non eſt aut eſſe poteſt homini Chriſtiano dubitatio: etſi ſunt, qui dubitent, an ea obedientia hominibus ad ſalutem proſit et in ſatisfactione pro hominibus eius ratio haberi debeat. Itaque de illo maxime et primo loco videamus.

Id autem cum multis perſpicuis teſtimoniis doceri poſſit, nos nunc duobus eorum generibus erimus contenti, quibus recte intellectis (poſſunt autem ab vnoquoque intelligi leuiter admonito, tanta eſt euidentia) tota res eſt ἀναντιῤῥήτως confecta. Primum ergo ineſt in iis locis, vbi *Chriſtus peccata hominum in ſe ſuſcepiſſe ac tuliſſe* dicitur: quorum principes ſunt Ieſ. LIII, 11. et Io. I, 29. in quorum altero multis dicitur iuſtitiam et ſalutem paraturus, quod eorum peccata tulerit: in altero autem totius generis humani (mundi) peccata in ſe ſuſcepta ferre (vel laturus eſſe.) Quid ergo eſt ferre hominum peccata, aut quid eſſe poteſt? nihil hic eſt obſcuri aut ambigui; nam vſus loquendi Hebraeorum clarus eſt minimeque ambiguus in hac loquendi forma: ſecundum quem is alterius peccatum ferre dicitur, qui eius loco punitur, et poenam pro altero dat: Quis enim vel puer neſcit illud praeceptum diuinum, *filius non debet ferre peccatum patris*, *nec pater filii*, aut eius ſenſum eſſe eum, quem diximus.

Alterum genus ſuppeditet nobis Paullus, inprimis ille diligens et frequens atque etiam perſpicuus in ea re tradenda et aſſerenda: quippe qui hoc ſibi docendum traditum eſſe a Deo inprimis, profitetur. Sed nihil liquidius eſt loco eo, in quo dicit, Deum genus humanum ſecum reconciliaſſe, atque placatum ei ſe reddidiſſe per Chriſtum. Quomodo? nam eum, cum

purus

purus esset ab omni peccato, nihilque vnquam peccasset, tamen hominum caussa *factum esse ab eo peccatum*, vt homines per eum iusti fieri possent Quid est, *factum esse a Deo peccatum?* nempe *peccatorem* dicendum erat. Nam manifeste in vtroque membro abstractum est pro concreto: sed Paullus durius esse putavit, eum, quem purum omnis peccati dixerat, peccatorem appellare. Sed si ita dixisset, num aliud esset, aut esse posset, quam, vt peccatorem tractauit, poenis peccatorum, ab hominibus scilicet perpetratorum, ab eo, hominum caussa, et loco, exigendis? idque fecit propterea, vr homines fieri possent *iusti Dei*, scil. iustitia a Deo accipienda: nam *δικαιοσύνη Θεοῦ* est, quae est *ἐκ Θεοῦ*, donum Dei, vt Ies. LI, 5. Rom. I, 17. comparato loco Phil. III, 9. vbi est plane *δικαιοσύνη ἐκ Θεοῦ*.

Quid? an aliquid desiderari potest amplius ad perspicuitatem rei? Profecto qui hic non videt lucem, plane coecus sit oportet: nec magis aliquid deest, quo minus res certa sit sacrorum librorum auctoritate. Sed obedientia legi a Christo praestita, an etiam ad satisfactionem pertinet, estque nostro loco et caussa nostra praestita? de quo nuperrime est in partem vtramque disputatum, re in dubium a nonnullis adducta, qui in altero genere nobiscum sentirent. Nobis quidem persuasum est, eam dubitationem tolli ab eodem Paullo, qui obedientiam Christi ita valere ait ad vitam et salutem nostram, vt primi hominis violationem legis ad mortem et poenam. Quis autem dubitet, id, quod nobis imputetur a Deo ad salutem, in eo esse partem satisfactionis pro nobis? et, si illud ius diuinum, quod est in poenis peccatorum reddendum erat satisfactione; quidni alterum, quod est in legum diuinarum sanctitate et auctoritate conseruanda; quod nobis etiam maius, et commune sanctitati, sapientiae et bonitati videtur.

Ita autem re constituta et firmata per manifestam librorum diuinorum auctoritatem, nihil dubitationis reliquum esse potest his, qui illis bona fide et religiose credere consueuere, aut credendum esse didicerunt. Nam in ipsis libris illis profecto nihil est, nec ex iis allatum reperimus, quoad meminimus, e quo dubitationis aliquid posset existere. Quicquid allatum est contra illam rationem ac sententiam dubitationis, id natura omne fuit ab ingenii humani temeritate et leuitate. Quo minus necessarium est, dubitationes et quaestiones inde ortas, de necessitate et aequitate rei, consensuque cum bonitate diuina, curare, et in iis soluendis laborare. Quid enim? quod diuino consilio factum constet, in eo quaerere opus est, id an necessarium et dignum Deo sit, consentiensque cum eius perfectione vniuersa? cum et ratio hoc doceat, et libri sacri firment, nihil a Deo nec decerni nec fieri posse, quod secus sit: quicquid autem ab eo factum sit, id eo dignum esse necessario et ad illustrandam eius perfectionem susceptum et factum. Sed quoniam videmus, multos hodie bonitatis diuinae magnitudine conturbari, eaque ad varias dubitationes adduci, per quas vel necessitas rei labefactetur vel dignitas; pauca in eam partem adiungamus.

Ac necessitatis quidem argumentum habemus maxime hoc, ipsi *Crellio* Socinianorum, satisfactioni Christi aduersantium, facile acutissimo, agnitum de Ver. Relig. I, 28. quod Deus se dicit *poenis peccatorum sanctificari*, Leuit. X, 3. i. e. sanctum apparere. Minus autem necessarium esse ac dignum Deo putamus, sanctitatem suam demonstrare, vt res ferant, quam benignitatem? Quid? illud quale est, quod Deus saepe testatus est, se laetari puniendo Ies. I, 24. Hos. X, 10, inprimisque Deuter. XXVIII, 63. vbi se dicit non minus laetaturum puniendo Israëlitas ob malefacta et perdendo, quam laetatus fuerit, cum eos a pernitie

nicie seruasset et beneficiis adfecisset: non quo doloribus et cruciatibus hominum ac pernicie laetetur, sed quod ipsa actio puniendi peccantes iucunda ipsi sit, propter iustitiam et sanctitatem suam, cuius opus in poenis infligendis est atque cernitur, quaeque ipsi non minus cara sit necesse est, quam benignitas. Nempe Deus beatissimus est: eius autem infinita beatitudo est in conscientia ac sensu intimo perfectionis ac virtutis suae vniuersae. Itaque necesse est eum non alio sensu moueri in operibus iustitiae, quam bonitatis, sapientiae, potentiae.

Atque hoc quidem diuinum iustitiae opus, quod in satisfactione a filio Dei I. C. ipso volente et optante exigenda, et poenis humani generis ab eo sumendis, peractum est, quanto laetius Deo fuisse existimemus, cum id esset cum longe etiam maiori benignitatis suae opere coniunctum, totumque ad bonitatis demonstrandae rationem comparatum. Nam profecto iustitia Dei, exigens illas hominum a Christo poenas, bonitati eius pro instrumento fuit, genus humanum a peccati seruitute et pernicie vindicare et asserere in libertatem et felicitatem cupienti. Quo magis est hominis Christiani, qui se beneficio diuino per Christum nobis destinato et parato non indignum praestare velit, hoc tantum opus diuinum agnoscere, eius magnitudinem et praestantiam rite ponderare, vt id iusta admiratione et gratia prosequi, et voluptatem ex eo percipere possit, quae animum tranquillet, ac beet.

Ei autem rei quod tempus aptius est, quam hoc paschale: ad quod recentes a spectaculo Christi patientis, et pleni cogitatione illius operis Christi venimus, per quod maxime satisfactum est Deo pro peccatis nostris; et quo tempore primum illius operis fructum in ipso Christo, carissimo Seruatore nostro, videmus, in cuius societatem etiam nos venimus. Nam cum illum reuersum a morte viuumque videmus, etiam deposita

 vitae

vitae superioris humilitate et imbecillitate, qui dubitare possimus, Deo patri acceptissimam fuisse satisfactionem, pro nobis praestitam, nosque adeo poenis peccatorum nostrorum esse liberatos, si modo accipere hoc tantum bonum, eoque recte vti velimus, h. e. sic, vt, sicut Christus, persolutis poenis nostris, a morte in vitam restitutus, iam perpetuo viuit ita, vt gloriae et maiestati patris inseruiat omni ratione, item nos toti Dei simus, omnes nostros sensus, studia, actionesque ad maiestatis diuinae cultum dirigamus, atque ita non tam nobis, quam ipsi viuamus, qui per filium suum nos seruauit a pernicie, atque etiam filio ipsi, qui nostra caussa et mortuus est et in vitam rediit. Hoc igitur agamus, o! carissima capita, et in eo cogitando et agendo hoc tempus festum consumamus. Non neque rectius, neque suauius agere id possumus, nec nomine nostro Christianorum dignius.

DOGMA

DOGMA
DE TRINITATE
ADVERSVS IVLIANI
CALVMNIAM
VINDICATVM

DOGMA
DE
TRINITATE ADVERSVS
IVLIANI CALVMNIAM
VINDICATVM

In calumniis, quibus Iulianus religionem Christianam, et eius fontes, libros sacros onerauit, etiam haec fuit, quod eam diceret repugnantia docere; in quibus inprimis ponebat hoc ap. Cyrill. c. Iulianum L. IX, p. 291. quod cum vnum Deum, eumque solum colendum et adorandum diceret, Iesus tamen homines iusserit baptizari, in nomen Patris, Filii et Spiritus S. vnde consequens fuerit, vt ipsum quoque Christiani adorarent, et Filium ita, vt Patrem, Deum esse statuerent; *ἀκόλουθα τούτοις διανοούμενοι, μετὰ τοῦ πατρὸς θεολογεῖτε τὸν υἱόν.* Cyrillus ad hoc respondens, hoc tantum agit, vt in eo nihil sit, quod repugnet vnitati diuinae naturae, aut in quo Christi praeceptum pugnet cum Mosaico itemque Christi ipsius de vno Deo, eoque solo colendo: sed ad vsum temporum nostrorum profuerit etiam alio modo hanc calumniam tractare, et ad firmandum dogma de pluribus personis diuinis, salua vnitate Dei naturaeque diuinae, conferre: quod facere consentaneum est huic tempori, quo Spiritum S. eiusque beneficia publica religione celebrare mos est.

Iulianus igitur agnouit, in illo Christi praecepto tres personas esse: deinde iis diuinitatem ex aequo tribui, atque idem et alii de aduersariis christianae religionis agnouere, et ad calumniandum contulere, sicvt et ii, qui Tritheitae sunt appellati, ad errorem suum firmandum abusi sunt. Vtrumque prodest ad verum videndum atque defendendum. Res tota nititur sensu vero verborum, primum vt quales illi tres intelligendi sint, recte videamus, deinde quid iis tribuatur, vt, qui sint, intelligamus.

Iam primum cum, quicunque olim haec verba baptismi legerent, nulla antecapta opinione imbuti, in iis senserint tres personas commemorari diuersis nominibus, in eo est magnum argumentum, eum esse verum istorum verborum sensum. Nam ita apparet, sensum communem hoc probare, ac postulare, vt ita statuamus, deinde hanc interpretationem habere characterem simplicitatis et facilitatis, in qua est signum bonae ac verae interpretationis euidentissimum atque certissimum. Itaque in hoc verborum sensu consensere omnes primae Ecclesiae doctores, donec philosophari super dogmatibus Ecclesiae coeptum est: vnde plures falsae opiniones extitere, vt in aliis capitibus doctrinae christianae: cum non videret hoc genus hominum, philosophari nos quidem super res sacris literis traditas posse, sed ita, vt ne eius caussa sensus verborum sacrorum simplex et euidens torqueatur aut relinquatur; sed vbi ille in promtu certusque sit, in eo acquiescamus, nec vlla ratione nos ab eo deduci sinamus. Vnde autem est illa euidentia in hoc loco? Nempe ex eo, quod *nominis* verbum, ita vt h. l. positum, cum aliquid dicitur fieri aut factum est *in nomine* vel *in nomen alicuius*, semper personam et subiectum intelligens significat, nec aliter intelligi potest, absurdumque est, in ea re, cuius nomen sic commemoratur,

moratur,

moratur, qualitatem aliquam aut modum cogitare. Hunc igitur primum calumniae Iulianeae vsum teneamus: veniamus ad alterum.

Est profecto clarum, Iulianum agnouisse, his ipsis verbis Christi omnibus tribus illis, qui in iis nominantur, diuinitatem tribui, vnde necessitas adorationis consequatur. Nam quod ille de filio Dei, Christo, dicit, id pariter in Spiritum Sanctum conuenit. Quomodo ergo hoc intelligitur ex istis verbis: *βαπτίζειν εἰς ὄνομά τινος*? quid ea sonant? Non profecto, vt vulgo dicunt, iussu et auctoritate alicuius, quamquam res est vera, sed ex eo nil tale perspicue satis sequitur. *ὄνομα* per periphrasin additur personis, inque *nomen alicuius*, est *in aliquem baptizare*. Quid id est? Profecto in baptismo nihil aliud, quam alicuius religionem ei adstringere, vt ei credere, ei obedire, eum colere religiose necesse sit. Cui autem religio adstringi potest, nisi vni et soli Deo: nam alii, non Deo, adstringi idololatria fuerit. Sed Israëlitae dicuntur in Mosen baptizati esse 1 Cor. X, 2. idque nil aliud est, nisi Mosen Ducem nacti sunt eique se crediderunt. Sed ibi non est sermo de religione, nec ille baptismus proprie dicitur a Paullo, sed tantum per allusionem ad baptismum Christianorum. At in illo baptismo, qui proprie dicitur, estque sacramentum religionis christianae, alia et maior vis esse debet, nempe illa ipsa, quam diximus. Quo constituto, clarum est id, quod Iulianus dicit, his verbis esse consentaneum, vt Deus sit filius Dei, sicut Pater: ad eundemque modum etiam de Spiritu Sancto iudicari in his verbis debet. Vnde planissimum est, in illa baptismi formula esse clarissimum et inuictum argumentum dogmatis Ecclesiae nostrae, quod tres personas diuinas statuit, quae pari religione sint colendae et adorandae: idque adeo tenendum sit Christianis, etiamsi, quomodo id consentiat

cum vnitate Dei naturaeque diuinae, intelligere nullo modo possimus; nam consentire cum ea quidem non dubitari potest, quoniam vtrumque ita clare literis sacris traditum est, nec vllo modo repugnantia tradi diuinitus possunt: cum contra in hac imbecillitate ingenii humani, non modo mirum non sit, sed etiam necessarium, in diuinis, quae immensum a nostris notionibus absunt, quippe nihil cum sensibus commune habentes, vt multa nec per se intelligere satis perspicue, nec quomodo sibi consentiant, assequi ratiocinando possimus.

Nec vero alterum non animaduersione dignum est, quod Iulianus ex hac ipsa formula adorationem filii Dei, Iesu Christi, ortam putat, cui ea consentanea sit. Recte iudicat. Nam si religio nostra Christianorum vniuersa adstricta est filio Dei, estque adeo ille religionis obiectum, necessitas adorationis clare intelligitur: eodemque adeo modo de Spiritu S. iudicari debet. Nam sicut ex adorationis cultu diuinitatem colligimus eius, cui illa conuenit, sic vicissim ex hac illius necessitas existit, etiam sine diserto eius in libris sacris praecepto aut exemplo. Quod cum sit ita in promtu, vt paene in oculos occurrat; mirandum est fuisse, qui eam non agnouerint aut de ea dubitauerint, quia nec praeceptum nec exemplum in libris sacris extaret. Talem ante annos non multos fuisse in Britannia reperimus quendam Tomkinsium, qui tamen rem non eo traxit, vt Spiritum S. esse Deum, aut distinctam a Patre et filio personam negaret: sed modo eo valere voluit, vt adoratio et preces ad Spiritum Sanctum non essent in partibus cultus religiosi necessariis numerandae. In quo sane ille nihil vidit. Nam cum certum sit, Deum adorandum esse et precibus ab eo petenda esse, quibus nobis ad salutem opus sit: quomodo vllo modo obscurum aut dubium esse possit,

id

id etiam Spiritui Sancto tribuendum esse, si hoc constet, eum esse Deum. Itaque recte Theologi quidam in testimoniis iis, quibus adoratio Spiritus Sancti intelligeretur, hunc ipsum locum posuere, qui formulam baptismi vsurpandi habet, etsi vim argumenti fere non ostenderunt. Ceterum mirandum videtur, quomodo exempla talium precum non viderit ille Britannus in locis Apostolicorum librorum iis, in quibus vota fiunt pro salute Christianorum diserta cum Spiritus Sancti mentione, iisque parem fere vim habet ille Paullinus, in quo per Spiritum Sanctum iuratur *Rom.* IX, 1. vt *per Christum* ibidem, *ἐν Χριστῷ* et *ἐν Πνεύματι ἁγίῳ*, vtrumque illud ad asseuerationem *ἀλήθειαν λέγω, ὀ ψεύδομαι* referendum: diciturque hebraico more, vt Graecis *νὴ τὸν Χριστὸν, νὴ τὸ Πνεῦμα ἅγιον*.

Nec vero praetermittemus hunc calumniae illius Iuliani vsum, quem habere potest aduersus eos, qui in vetere Ecclesia diuinitatem Spiritus Sancti ignotam fuisse defendunt. Nam si, secundum Iulianum e verbis baptismi adoratio filii Dei nata, atque inde diuinitatis argumentum vulgo ductum est; qua specie poterit dici, non idem Spiritus S. in ea formula mentionem effecisse. Et contrarium docet Iustinus, qui in Apologia clare dicit, Christianos *σέβεσθαι καὶ προσκυνεῖν τὸ Πνεῦμα προφητικὸν*, *colere et adorare Spiritum, qui locutus est per prophetas.*

Hunc ergo Spiritum S. nos quoque vt personam diuinam adorabimus atque colemus religiose, primum sic, vt, cum Dei nomen in precibus appellamus, et ipsum, cum patre et filio cogitemus, deinde vt etiam proprie ad ipsum et nominatim dirigamus preces et pro nobismet ipsis et pro aliis ad impetranda bona spiritualia, id est, ea omnia, quibus nobis ad accipiendam salutem a Christo partam opus est, et auxilium eius in consequenda vera sanctitate et conseruandis officiis

ficiis

ficiis vniuersis. Hoc autem tempore, et in sacris his pentecostalibus, ad quae peragenda nos paramus, inprimis etiam ei laudes et gratias agamus pro diuino illo opere, quod hac olim die pentecostes Hierosolymis peregit, ad illustrandum Iesum Christum filium Dei, non modo illo in loco ac tempore, sed etiam post, donis illis diuinis impertiendis, per omnem orbem terrarum. De quo genere donorum Spiritus S. inter sacra nostra publica in aede Paulina dicet *M. Io. Godofredus Beyerus*, Halsbruccio Misnicus V. D. vt eorum caussa non inuidendum esse primis Christianis, siue qui ea ipsi nacti essent, siue ea spectassent admirabundi. cet.

DE

DE SCHOLIS ET DOCTORIBVS VETERVM IVDAEORVM ET CHRISTIANORVM

DE SCHOLIS ET DOCTORIBVS VETERVM IVDAEORVM ET CHRISTIANORVM

Antiquiſſimum eſt Doctorum in ſcientiae generibus omnibus, ſcholarumque nomen, ſed non eadem vis, non idem vſus. Qui nunc quidem tenet, ita ab antiquiori quoque diſcrepat, vt nihil prope cum eo ſimile habeat. Quod cum vulgo non ſatis cognitum ſit, non modo pleriſque obſcura ſunt multa apud veteres, etiam proxime ſuperiorum ſeculorum, ſcriptores, ſed etiam alia incommoda naſcuntur, quibus cum maxime laborare rem literarum publicam dolemus, atque etiam maiora videntur timenda. De quo non alienum videtur, hoc tempore dicere, quantum ſine inuidia liceat, nec alienum nec inutile exiſtimauimus.

Initium faciemus a Iudaeis, apud quos antiquiſſima eſt Doctorum ſcholarumque mentio in libris ipſis ſacris. Sed in iis, vt in aliis, error magnus exortus eſt ex eo, quod nomina illa ad noſtram conſuetudinem relata, doctoresque et ſcholae noſtris ſimiles haberi coepere. Antiquiſſimi doctores ante Chriſti tempora fuere prophetae, antiquiſſimaeque Prophetarum ſcholae, quorum et diſci-

puli

puli commemorantur: Prophetarum filii dicuntur. Sed hi fuere, qui Prophetas sectarentur, eos consulerent super rebus diuinis, audirent, cum de iis dissererent, non certis locis atque horis, sed quoties eius rei facultas et occasio daretur. Sed cum Prophetae defecissent, exorti sunt inter Iudaeos, qui priuatim, suo ducti studio rerum diuinarum accurate cognoscendarum, scriptores ad intelligendum scrutarentur, et rerum diuinarum in scripturis traditarum vim et rationem modumque, vt eas aliis, qui cuperent, perspicue explicare possent; vnde quaedam philosophia religionis vel theologia exorta est, et appellata a Iudaeis graece loquentibus. In qua cum non idem iudicarent omnes, sectae diuersae Iudaicae, siue theologicae natae sunt, quae in libris sacris commemorantur, Pharisaeorum et Sadducaeorum. In quibus cum essent, qui aliis suas sententias opinionesque traderent, qui vellent, ii doctores sunt appellati, hique sunt, qui in libris N. T. νομοδιδάσκαλοι, inprimis et γραμματεῖς dicantur: illi quidem a re, i. e. religione, hi a libris sacris, e quibus religionis cognitio ducitur. Nam hos esse eosdem, et res docet, et vsus horum verborum in libris sacris. Etenim νόμος verbum per hebraismum de religione vniuersa, ex vsu verbi תורה, et in V. T. et in N. vsurpatur, quanquam et γράμματα, vt apud latinos *literae*, pro doctrina, dicta videri possunt, vt Io. VII, 15. vbi eidem διδαχὴ substituitur et illa nomina permutantur. Marci quidem c. II, 6; et Luc. V, 17. in eadem re illic γραμματεῖς, hic νομοδιδάσκαλοι sunt. Lucas XX, 46. de γραμματεῦσι dicit, quod alibi de νομικοῖς et Φαρισαίοις, i. e. qui pharisaica placita sequebantur.

His autem quomodo scholae tribuuntur? non aliter profecto, quam apud Graecos, philosophis, qui in foro, in porticibus gymnasiorum, in officinis artificum et tabernis mercatorum versari, et cum iis, qui ad se accessissent consulendi et audiendi caussa, in conuiuiis item, similibusque conuentibus, de rebus philosophicis disserebant.

Nam

Nam similiter discipuli Iesu dicuntur, qui eum solerent comitari atque sectari audiendi caussa et consulendi, Io. VI, 66: οἱ μετ' αὐτοῦ περιπατοῦντες. Solebant autem doctores illi ire in loca publica, quo tempore eo homines frequentes conuenirent, h. e. Hierosolymis quidem maxime in templum, tempore precum publicarum; ibi in porticibus considere, et si qui accessissent, vel sponte disserere de aliquo capite religionis, vel de quo visum esset, vt ap. Lucam VIII, 2. Iesus ingreditur templum et ibi considet, cum ad eum accessissent homines, Io. VIII, 33. populus, i. e. quidam de populo, eum interrogat, vt X, 23. s. XII, 34. quod saepe inter disserendum faciebant, cum aut aliquid non intelligerent, aut aliquid dubitationis in mentem venisset. Ibi tum vero ii, qui assidue sectari solerent doctorem, inprimis, si et ipsi doctores fieri cuperent, considere prope doctorem solebant; vnde Paullus se dicit apud Gamalielem, qui erat e genere γραμματέων, consedisse, quod idem de Maria assidue et studiose audiente sermones Iesu dicitur Luc. X, 39. In aliis autem vrbibus ea fiebant in Synagogis, vt multis locis librorum sacrorum, praesertim in Actis patet.

Sed quodnam erat genus hominum illud γραμματέων et νομικῶν s. doctorum? an simile nostris? Nequaquam. Erant ex omni genere vitae, nec publice constituti. Paullus quidem, qui disciplina Gamalielis Doctor erat futurus, vt Apollo, vir δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, id est sine dubio γραμματεὺς, textrinam didicerat ad quaerenda vitae subsidia, eamque artem, Apostolicum iam munus sustinens et faciens, exercebat, vt inde viueret: nec dubium est, ceteros similes in hoc eis fuisse. Honoris et vtilitatis publicae caussa docendi facultatem appetebant, atque exercebant. Praemium laboris et scientiae erat locus in Synedrio, cum in numerum presbyterorum, i. e. senatorum, lecti essent. Exempla plura sunt in libris Sacris. Nicodemus ἄρχων dicitur; quod est

nomen eorum, qui in illo Synedrio sunt, adeoque senatoris: sed eum *doctorem populi* appellat Iesus Io. III, 10. Non ergo sacerdotes sunt intelligendi, etsi inter eos quoque esse doctores potuere, si qui supra munus illud cerimoniarum sacrarum peragendarum se attollere voluisset, et scientiam rerum diuinarum consecutus esset eiusmodi, vt docere posset. Atque hinc intelligitur, quare in mentione Synedrii saepe cum Pontifice, aut pontificibus, h. e. qui e gente Aaronitica essent (γένους ἀρχιερατικοῦ) iunguntur, sicuti et Pharisaei et Sadducaei. Suntque iis in locis intelligendi Senatores, qui essent iidem doctores, iique vel e Pharisaica, vel Sadducaeorum secta. Itaque interdum totum Synedrium per Pontifices et hos doctores exprimitur, praesertim si de re est sermo, quae ad doctrinam et intelligentiam literarum sacrarum pertineat, vt Matth. II, 4. Ceterum Scholae nomen illis temporibus non reperitur, post demum de doctoribus vsurpari coeptum: nam synagogarum nomen, quod in nostra lingua eo verbo exprimitur, plerumque aliud est, locus publicus precum potius, quam doctrinae publicae: nec eae certos doctores habuere, sed qui se ipsi praeberent. Post illa tempora memorantur scholae Iudaicae, Tiberiade et Babylone inprimis; sed ne hae quidem e nostra consuetudine sunt capiendae. Neque enim ad eos doctores veniebant, qui adhuc tirones essent, sed iam prouecti in literarum sacrarum scientia, saepe ipsi iam doctores, vt cum iis conuersando, super difficiliores quaestiones disserendo, ad perfectionem scientiae peruenirent et ad eorum gloriam possent contendere.

Atque haec ratio a Iudaeis ad Christianos et primum Graecos est propagata, inter quos philosophorum scholae illis Iudaicis similes fuerant. Primos quidem doctores tales apud Alexandrinos reperimus, apud quos ante iam philosophorum scholae tales extiterant, in his clara inprimis Eclectica illa, a Pantaeno orta, vt satis notum est.

In

In his omnium primus fuit *Clemens Catecheta* dictus, a quo *Schola Alexandrina* Christiana originem duxit. Nam Catechetae nomen non ad nostram consuetudinem in hoc verbo deprimendum est, vt vulgo fecere, faciuntque parum periti, qui et *Scholam Catecheticam* finxere, quae esset *Schola Scholastica*: quo nihil ineptius dici potest. Catecheta est doctor quilibet etiam ex vsu Paullino. Et illi Catechetae Alexandrini omne genus literarum profitebantur, vt in Clemente et Origine videmus et ab Eusebio traditur. Nec vero illi elementa doctrinae Christianae tradebant, sed doctrinam religionis, per interpretationem accuratam e libris Sacris haustam, philosophorum more tractabant, vt eam via et ratione traderent volentibus; atque inde illa theologia Scholastica, hoc est, subtilior et eruditior nata est; idque nomen tum et pluribus deinceps seculis in laude fuit, vt debuit, sero demum per barbaram inscitiam linguarum inquinata, et ad inuidiam contemtumque eum, in quo nunc vulgo nomen eius est, vocata. Ad hos igitur Doctores non iuuenes et tirones ibant: supra eorum captum erat illorum disciplina; sed viri iam elementa dudum docti, qui iam muneribus in Ecclesia fungerentur, vt presbyteri et quicunque ad altiorem in Ecclesia gradum peruenire, et omnino Ecclesiae doctrinae accuratae maioribus copiis prodesse cuperent. Neque illi Catechetae iidem Ecclesiae doctores erant. *Clemens* quidem et Origenes presbyteri sunt creati, sed hic ne in Alexandrina quidem Ecclesia: nimis inuidebant eius doctrinae et gloriae, vt fit, illius Ecclesiae ministri; verum ab Hierosolymitano Episcopo, cum ibi versaretur, eiusque doctrina sanctitasque esset in oculis, hoc honore est affectus, quod et aliis tributum est, non vt in ecclesia docerent, sed vt eorum doctrina et virtus ornaretur eo nomine. Nam omnino illorum Ecclesiasticorum munerum ratio non, vt nunc, proprie ad docendi munus pertinebat, vt vulgo existimant. Bene erat, si possent docere populum: sed non

poterant omnes; vnde et postea, cum iam plures essent, qui possent, hi *presbyteri doctores* sunt appellati, vt a ceteris distinguerentur, qui tantum disciplinam Ecclesiae et externa curarent, de quo genere Dodwelli extat ad Cyprianum disputatio, quae de *presbyteris doctoribus* inscribitur. Etenim quam doctos, quam idoneos ad docendum putamus eos presbyteros fuisse, qui repente facti essent e decurionibus oppidorum, ex operis aulicis, ad auri lustralis collationem vitandam, quod frequens fuit post Constantini M. tempora? Quid in agris, cum esset ita constitutum publice, vt presbyteri ex ipsis pagis sumerentur, non aliunde peterentur: an hos doctores agere in Ecclesia potuisse censemus? Ne Episcopi quidem, postquam a presbyteris distincti sunt, semper tales lecti sunt, qui Doctores theologiae dici haberique possent: vnde cum ad concilia mitterentur, sibi socium adsciuerunt, si quem habebant inter presbyteros vel diaconos, qui doctor esset; quales intelligendi sunt presbyteri et diaconi, qui in subscriptionibus Conciliorum reperiuntur. Nam saepe creati sunt ii, qui ciuilibus muneribus fungerentur, vt Ambrosius, qui Praefectus Praetorii erat, cum crearetur Episcopus; ceterum cum in iis doctrina et virtus spectata esset, studiumque ii suum ad res sacras contulissent, facti sunt doctores, qualem ipsum Ambrosium videmus: itemque in Presbyteris extiterunt Theologi, si ad id munus multum eruditionis attulissent, quales Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, et plures alios fuisse scimus. Venerant illi ad Ecclesiam e foro, vt plures alii, in quo caussas egerant; quod bene facere vt possent, non modo iuris scientiae, sed etiam eloquentiae operam dederant; cuius comparandae caussa, e praecepto Ciceronis de Oratore, omne genus doctrinae didicerant et exercuerant: vt deinde, ad quodcunque genus doctrinae se contulissent, in eo facile proficere et excellere possent. Ad horum talium igitur veluti scholas se contulere, viri ingenui et liberales, ex ipso ordine eccle-

ecclesiastico fere, qui ab iis discerent, sed eo, quo supra dictum est, modo, vt ad Diodorum Tarsensem Episcopum. Simile quid accidit in monasteriis: in quibus cum interdum esset aliquis excellenti doctrina praeditus, in ea venere aliunde, qui et ipsi eam laudem appeterent, vt eius consiliis, et consuetudine adiuti, longius progrederentur in scientia rerum diuinarum.

Iam media, quam dicimus, aetate tales doctores multis locis, subinde et in monasteriis fuere, vt in Beccensi *Anselmus*, in Fuldensi *Rhabanus Maurus*, et alii. Eadem aetate cum in Hispania inter Arabes philosophiae et matheseos, itemque medicinae studia florerent, essentque plures ex istis generibus clari scientiae magnitudine et subtilitate, doctorum nomine sunt celebrati cum eorum Scholis; sed ii non elementa tirones docebant, sed hominum eruditorum iam magistri erant. Itaque cum ex omnibus fere regionibus eo venisse homines, discendi caussa dicuntur, viri fere intelligendi sunt, qui longius progredi scientia alicuius generis cuperent: qualem scimus *Gerbertum*, illum Ottonis III. praeceptorem, fuisse, qui cum iam Abbas Bobiensis esset, in Hispaniam profectus est, ad doctores matheseos et philosophiae audiendos. Similiterque alios pluribus Seculis reperimus, qui cum muneribus publicis fungerentur, talia itinera eodem consilio suscepere. Nec alius generis fuere doctores Iuris eorumque discipuli in Italiae Scholis, Bononiensi et aliis, et Scholae iuris institutae, non ad elementorum fillae tenuitatem, sed ad perfectionem scientiae comparatae. Nam ad eas Scholas iuisse traduntur, qui iam in aulis Imperatorum et Principum munera magna tenerent. Nec alia ratio fuit Scholarum philosophicarum et theologicarum, vt *Abelardi*, *Scoti* et similium: feroque demum haec ratio inualuit, vt in scholis publicis elementa doctrinarum traderentur: quanquam olim ne in illis quidem acquieuerunt, nec doctores, nec discipuli; sed post illa vberioris et subtilioris doctrinae copiam

illi fecere, hi expetiuere. Nec vero in scholis publicis modo fuere doctores, sed etiam aliis pluribusque locis exorti sunt, qui studio scientiae suae cum aliis communicandae, et eo ipso augendi suae scientiae subtilitatem, eius copiam facerent volentibus: in eoque se facere putabant, quo bene mererentur de Ecclesia et republica, et nominis famam late spargerent, ad posterosque propagarent.

Cum deinde paullatim exortae essent in quibusdam Ciuitatibus maioribus et illustribus per multitudinem talium in omni genere doctrinae virorum, vt Parisiensi, scholae publicae, quales nunc sunt Academiae, et nomen doctoris factum esset etiam nomen dignitatis, multique illam dignitatem appeterent, multum ea res valuit ad incitanda studia doctrinae subtilioris, praesertim, cum institutum esset saluberrimo consilio, vt hoc nomen, omninoque potestas docendi praeter eos, qui publice ad docendum essent constituti, etiam aliis tribueretur, sed tantum his, qui per certa et idonea specimina se dignos eo nomine atque honore probassent: ex quibus deinde ad munera ecclesiastica maiora multi vocati sunt, plures etiam, qui talia munera sustinerent, nomen doctoris expetiuerunt, atque etiam, doctores in suis sedibus egerunt: quod etiam in hac patria nostra olim frequens fuit. Atque etiam hoc reperimus a maioribus nostris fuisse salubriter institutum, vt iis, qui in vrbibus maioribus, in primis, vbi Ecclesiae Cathedrales essent, Antistites sacrorum essent, doctoris nomen legitime caperent. Nam ea res habebat hanc vim, vt non appeterent talia loca, nisi qui confidere possent, se illud cum dignitate capere posse: iuuenes autem, qui se ad studia sacra contulissent, et altiora spectarent, vt fere fit in ingeniis melioribus et erectioribus, eo acrius ad comparandam doctrinam maiorem et perfectam incitarentur: denique inprimis, vt per tales Antistites veluti scholae fierent theologicae, in quibus partim exercerentur ii, qui, absoluto academico

cursu,

curfu, exfpectarent munera ecclefiaftica, ad retinendam et confirmandam fcientiam, quam ex Academia deportaffent, partim etiam augeri fcientia poffent. Cuius generis plura exempla egregia reperiuntur et in patria noftra et extra eam. Inprimis eft dignum commemoratu *Io. Olearii*, Antiftitis Sacrorum Halenfis extremo feculo fuperiori, exemplum, cuius fchola theologica ita clara fuit illo tempore, vt permulti doctrinae vberioris cupidi, cum Academiam reliquiffent, Halam irent, vt ab eo difcerent, praefertim cum conftaret, eum in fcientia interpretandorum librorum facrorum ipfos Academicos doctores fere fuperare. Et fatis certum eft, ei incrementa eius fcientiae ac ftudii in hac noftra Academia maxime deberi. Legimus epiftolam Stokmanni, qui Alftadii in Thuringia Praefül facrorum fuit, viri doctiffimi, doctiffimorumque filiorum patris, nifi fallimur, in capite libelli de Pefte, in qua fcribit amico, iucundam fibi effe memoriam amicitiae cum eo contractae Halis, in fchola Oleariana, ad quam ex Academia Lipfienfi olim veniffent, dicitque octoginta amplius fe fodales ftudiorum in ea fchola habuiffe, qui emenfi curriculum Academicum veniffent Halas, eo, quo ipfe, confilio, vt in illa fchola augerent et perficerent fcientiam rerum facrarum, cuius fundamenta in Academia ieciffent. Quo magis optandum eft, vt et inftitutum illud prifcum maneat, et intelligatur illos honores non ad vanitatem comparatos effe, aut ad quaeftum Academicorum doctorum, fed ad vtilitatem ecclefiae, et vt multi hos honores capeffant, nec eos, fumtus vitandi cauffa, vt fit, declinent. Videmus et praedicimus, fi ille, qui nunc inualuit plerisque in Academiis et regionibus contemtus honorum Academicorum, porro valeat ftudia doctrinae in dies magis magisque lapfura, et breui tempore defuturos, qui doctores publici Sacrarum literarum in Academiis fieri poffint: qua inopia iam nunc pleraeque Academiae incipiunt laborare, et in hac feftinatione doctrinae Academicae, quae quibusdam in lo-

eis inuidit, ad alliciendos illa homines, per spem honora-
ris fructus comparata, magis in dies laborabunt, nisi caveatur. Sed absit euentus omnis a terris nostris, redeatque doctorum copia, quae superioribus temporibus fuit: vt, cum pater noster, ex lege et conditione, quae ei delata erat Tenstadiensis tum Dioeceseos Ephoria, doctoris honores Vitebergae cepit, vnaque B. Deylingius et octo alii, omnes e terris nostris. Iuuenes autem, qui se studiis sacris addixere, hortamur, vt sibi hos honores animo proponant, atque eos sibi omni ingenii studiique vi et impetu contendendum putent: promittimusque iis, quicunque exitus spei fuerit, nunquam fore, vt eos paeniteat. cet.

DE

EMENDATIONE

SCHOLARVM

PER

LVTHERVM

cis inualuit, ad alliciendos illa homines, per ſpem breuioris ſumtus comparata, magis in dies laborabunt, niſi caueatur. Sed abſit euentus ominis a terris noſtris, redeatque doctorum copia, quae ſuperioribus temporibus fuit: vt, cum pater noſter, ex lege et conditione, qua ei delata erat Teuſtadienſis tum Dioeceſeos Ephoria, doctoris honores Vitebergae cepit, vnaque B. Deylingius et octo alii, omnes e terris noſtris. Iuuenes autem, qui ſe ſtudiis ſacris addixere, hortamur, vt ſibi hos honores animo proponant; atque eos ſibi omni ingenii ſtudiique vi et impetu contendendum putent: promittimusque iis, quicunque exitus ſpei fuerit, nunquam fore, vt eos poeniteat. cet.

DE

DE EMENDATIONE SCHOLARVM PER LVTHERVM

DE

EMENDATIONE

SCHOLARVM

PER

LVTHERVM

Instat dies festus nobis, *Ciues optimi atque carissimi*, coeptae in his terris sacrorum emendationis, et Lutheri, viri diuini, memoria. Eam vt pro dignitate et beneficii diuini, ea re nobis tributi, et Lutheri, cuius opera in hoc beneficio nobis parando vsus est Deus, celebremus, faciendum est, vt eius in ecclesiam atque etiam rempublicam merita, eorumque magnitudinem cognoscamus, praesertim ea, quae habent cum illis bonis coniunctionem. In horum autem numero hoc etiam ponendum est, quod eo auctore scholae sunt per omnes Germaniae vrbes institutae, in quibus iuuentus et ad religionis verae cognitionem, et ad artium liberalium, inprimisque linguarum veterum, latinae, graecae et hebraicae scientiam accuratam per idoneos magistros adduceretur, scripta ad magistratus vrbicos luculenta epistola, qua eius rei necessitatem et vtilitatem demonstraret, et opiniones refelleret eorum, qui linguarum illarum studium contemnerent. Etenim erant tum multi, in quorum ore essent sermones, quales hodie saepe cum dolore audimus: Quid opus est linguarum studio ac scientia? res curemus, non verba: res e libris Germanicis, ipsius religionis scientia e versione librorum sacrorum germanica disci et germanice doceri possunt. Hos ille sermones

nes in illa epiſtola grauiter reprehendit atque refellit. *Scio*, reſpondet, *Germanos eſſe bruta et feras beſtias, vt et ab vicinis populis iure meritoque appellamur.* Tum vero praeclare demonſtrat, tantam eſſe linguarum cum religione vera, et cum republica coniunctionem, vt ſine iis nec illa conſeruari incorrupta, nec haec bene adminiſtrari poſſit. Itaque quam carum nobis Euangelium ſit, et reipublicae felicitas, tam caras nobis eſſe debere linguas et earum ſcientiam, quarum etiam cum ſtudiis reſtitutum eſſe Euangelium terris noſtris: vt non dubitandum ſit, quin, cum iis etiam paullatim peritura ſit eius vera et accurata cognitio, et priſtinae tenebrae ignorantiae, ſuperſtitionis et barbariae rediturae; defuturis ſcil. qui libros ſacros bene interpretentur, et doctrinam inde recte hauſtam bene tradere aliis, et artes reipublicae bene gerendae calleant, et exercere poſſint, in quo ſcientia linguarum plurimum proſit. Haec mira multis, vereor ne videantur, atque etiam falſa: ſed omnia veriſſime dicta eſſe, facile doceri poteſt.

Et de hebraicae quidem linguae cognoſcendae neceſſitate, non eſt, ſpero, qui dubitet: at de graecae et latinae dubitant multi; fruſtra tamen et imperite. Socrates dicebat, vt eſt apud Platonem et Xenophontem, vſum rationis venire vſu ſermonis, et cum eius facultate augeri. Id ſi ita eſt, intelligitur, linguam quamque hoc plus ad acuendum ingenium valere, vt eſt ipſa melior, hoc eſt, ad accurate exprimendos ſenſus animi aptior et elegantior. Cum igitur graeca et latina in hoc ceteris omnibus ſint meliores, quis de earum praecipua vtilitate ad ingenia fingenda et acuenda dubitare poſſit. Viderunt hoc olim Romani, quorum lingua etſi a graeca orta eſſet et multa bona haberet: tamen cum intelligerent, eam abeſſe a linguae graecae perfectione, quam ei et ingenium Graecorum excellentius, et philoſophi oratoreſque praeclari addidiſſent, ad eam diſcendam filios ſuos adduxere: et quicunque cuperent reipublicae gerendae ſe applicare, ii in Graeciam abierunt, vt linguam graecam accuratius diſcerent, in ſcholis philoſophorum et rhetorum,

terum, atque audiendis eorum oratoribus; itemque eorum libris assidue legendis; qua via et Ciceronem ad summam eloquentiam peruenisse constat. Cum vero exorti essent, qui Romae artem dicendi lingua vernacula docerent, Rhetores latini dicti, adeo non probarunt eam rem viri sapientes, vt eos etiam Edicto ex vrbe emouerent, ne eloquentiae verae obessent: nec tum quisquam dixit: quid opus est libris graecis, cum nos non graece sed latine dicamus, quod profecto risissent omnes: cur ergo et nos non rideamus nostros, cum negant latina lingua nostris hominibus, in his doctoribus publicis religionis opus esse, cum iis non latine, sed germanice ad populum dicendum sit.

Illud vero pluribus magis admirandum, atque adeo ridendum videatur, quod Lutherus linguarum illarum scientiam cum reipublicae administratione coniungat, praesertim cum hodie in rebus publicis nihil latine scribatur. Sed hi linguarum illarum vsum tantum ad dicendum referunt. Lutherus autem plus vidit sine dubio in vsu earum. Ac primum quis nescit, in republica gerenda multa saepe scribenda esse, leges, constitutiones, decreta, pacta et alia: in quibus opus est facultate res accurate conceptas mente, ita accurate enunciare verbis, vt nihil obscuritatis aut ambiguitatis insit, vnde prauae interpretationes, et calumniae nasci possint, saepe multum incommoditatis allaturae etiam reipublicae. Id vero quam difficile sit, intelligunt omnes, qui in eo genere aliquem vsum habent. Vere Cicero dixit, non semper, qui res bene cogitet, easdem bene oratione exprimere posse. Vnde autem melius eius rei facultatem comparare sibi poterit, qui ad rempublicam accedere in animo habeat, quam linguae graecae et latinae scientia e libris antiquis graecis et latinis legendo hausta et exercitatione scribendi et loquendi ad illorum ἀκρίβειαν dirigenda. Tum vero artium ciuilium scientia et prudentia politica vnde rectius petetur, quam e libris veteribus graecis et latinis, scriptis illis a viris politicis, et diu in republica gerenda versatis, qui consulto libros suos, praesertim historicos, ita scripsere, vt lecto-

lectores suos ad res bene gerendas pace belloque praepararent: vnde pragmatici dicti sunt, velut Thucydides, qui primus historiae pragmaticae exemplum proposuit, Xenophon, Polybius, Liuius, Tacitus et alii. Sed quis hos bene et cum fructu legere potest, si linguae graecae et latinae scientia accurata careat. Atque satis constat, seculo Lutheri, et paullo post fuisse viros doctos, qui in hoc genere literarum excellerent, in his primo *Philippum Melanchthonem* et *Ioach. Camerarium*, vt etiam saepe a Principibus, Philippus inprimis ab Augusto Electore, in rebus maximis ad rempublicam pertinentibus consulerentur, et ab iis laudem prudentissimorum consiliorum ferrent, cum magna inuidia eorum, qui proprie in republica administranda versarentur, sibique et dignitati suae et ordini suo officere putabant, si magistris graecis et latinis hoc tribueretur.

Quod si ea, quae Lutherus commendandis literis graecis et latinis, et veterum linguarum studiis scripsit, vera sunt, habuitne illa eius epistola hanc vim apud Magistratus Germaniae, quam debebat, Lutherusque sperabat? Habuit sane; omnibus in vrbibus enim ab eo inde tempore scholae, quales volebat, institutae sunt, et bonis magistris, fere e disciplina *Melanchthonis* et *Camerarii*, regendae traditae, vnde literae illae coeperunt feliciter per Germaniam et inprimis his nostris in terris efflorescere; eaque felicitas Germaniae per totum illud seculum durauit, atque hinc etiam cum vicinis regionibus communicata est. In fine seculi imminuta est per inimicos *Melanchthonis* et *Camerarii*, idque malum per totum paene seculum sequens durauit: sed mansere tamen reliquiae quaedam recti de literis sensus earumque studii, vt illae tandem velut ad vitam redirent, praesertim in nostra Academia, vnde illa coepit esse mansitque seminarium bonorum magistrorum Academicorum et scholasticorum in omni genere doctrinae, vnde alii eos peterent, cum iis opus esset.

Sed hoc tantum bonum patriae per Lutherum paratum vt conseruetur, omni modo laborandum est, primum a magistrati-

gistratibus curatoribusque Scholarum publicarum, magistris legendis, qui linguarum idonea scientia sint instructi; curandoque, vt eas recte ac diligenter doceant; deinde ab iis, qui tum in minoribus, tum in maioribus vniuersarum artium, doctrinarum et literarum scholis doctorum munus sustinent. Commendemus discipulis assidue studium linguarum et verbis et factis, vt ex ipsa docendi ratione pretium et vsum linguarum in quocunque genere artis ac doctrinae intelligant, et ea re ad earum studium incitentur. Caueamus, ne vel ipsi vel alii, inprimis parentes puerorum, fallacibus scholarum realium, Philanthropinorum, (immo Misanthropinorum) nominibus decipiantur, quae fere a contemtu linguarum veterum et quaestus studio originem duxere; et omni modo resistamus iis, qui eas vel ipsi propter ignorantiam contemnunt, vel earum negligentiam inducere student. Ita nos dignos Lutheri discipulos, et imitatores praestabimus, et veterem tum patriae, tum Academiae nostrae gloriam tuebimur.

Vos vero, iuuenes optimi atque carissimi, qui in hac Academia studia doctrinarum tractatis, si huc instructi linguarum doctarum scientia venistis, sperate felicem in omni genere doctrinae successum. Bergerus ICtus Vitebergensis olim clarissimus, post in Consilio Imperii Germanici aulico Vindobonae Consiliarius perillustris, solebat dicere, vt narrare audiui B. Wernsdorfium: qui scientiam linguae latinae et graecae in Academiam attulerit, is, ad quodcunque genus se doctrinae contulerit, in eo bene proficiet, et bene doctus ex Academia discedet: qui earum rudis venerit, is nihil efficiet (*der wird sein Lebetage ein Stümper bleiben*). At nolite studium illud linguarum remittere aut abiicere, sed continuate assidue. Habetis vos, qui ad theologiam vos contulistis, auctorem illius studii Lutherum, dignum sane quem sequamini et imitemini, tum omnes primum inter veteres Ecclesiae doctores et recentiores, qui post Lutherum inclaruerunt, quorum libros dignos lectu ne quidem intelligere, sine linguarum, inprimis latinae, scientia poteritis. Vos autem,

qui

qui ius discere instituistis Romanum vetus, quomodo intelligere sine multis literis latinis poteritis, cum totum e libris latinis hauriatur: et videtis, omnes, qui Iuris veteris scientia claruerunt, *Pithoei*, *Cuiacii*, *Gothofredi*, et alii, quam fuerint versati in libris veterum scriptorum graecorum et latinorum, et ad illam tantam scientiam et nominis gloriam maxime linguarum veterum cognitione excellente peruenisse. De medicae artis studiosis quid dicam? Primum hodie fere consentiunt doctores artis medicae clarissimi cum Boerhavio, Hippocratem esse optimum medicae doctrinae autorem, et omnis recentioris aetatis claros doctores eius artis e graecis medicis profecisse, omninoque multos ex iis, literis graecis multum studii tribuisse: estque haec laus medici ordinis, quod in eo permulti etiam de graecis literis bene meruerint. Quam multi porro fuere, qui linguam latinam adeo praeclare callerent, vt etiam in scribendo se praeclaros Ciceronis et Celsi imitatores praestarent. Quid enim elegantius oratione *Fracastorii* et *Fernelii*, quem cum legere coepi, Ciceronis librum aliquem mihi legere visus sum, vt alios taceam. Horum igitur talium virorum exemplum imitamini, si et ad scientiam doctrinae vestrae praeclaram et gloriam nominis peruenire cupiatis.

Haec si vobis persuaderi sinitis, credetis etiam, magnum beneficium a Deo per Lutherum etiam per hoc eius de scholis et linguis veteribus meritum esse tributum; et bene vos ac pie facturos, si solemnia illa sacra pridie Kal. Nou. futura obieritis animo pio et grato, nec modo ea, quae in aliis templis peragentur, sed etiam ea, quae in aede Paullina ab hora XII fient: inter quae etiam audietis orationem eruditam et disertam *Henr. Christiani Gehe*, Dresd. A. M. et ad aedem D. Petri Catechetae, *de insigni bono libertatis verae in caussis religionis iudicandis, per Lutherum nobis restitutae.* Ita ergo facite ac bene valete.



DE

DE
VOC. ΚΑΤΑΛΥΜΑ ET ΑΥΛΗ
AD LVC. II, 7.

DE VOC. ΚΑΤΑΛΥΜΑ ET ΑΥΛΗ AD LVC. II, 7.

Eſt hoc inſitum animo ac ſenſu noſtro, vt ait Cicero de Legg. II, 2. vt delectemur locis iis, in quibus ſunt eorum, quos diligimus et admiramur, veſtigia, vbi nati et educati ſunt, vbi vitam egere, res magnas fecere, etiam vbi ſepulti ſunt. Itaque Atticus ibi dicit, ſe, Athenis cum eſſet, non tam magnificis operibus illius vrbis delectari, quam recordatione ſummorum virorum, vbi quisque habitare, vbi ſedere, vbi diſputare ſit ſolitus, ſtudioſeque ſe etiam ſepulcra eorum contemplari. In hoc tali ſenſu humano, non eſt mirandum, veteres Chriſtianos frequentaſſe loca ea, vbi Chriſti Seruatoris veluti veſtigia ſe putarent ſpectare, locum inprimis natalem, ſepulcrum et alia. Sed in iis ſaepe famam et opinionem incertam ſequebantur, vt in eo, in quo Chriſtus recens natus a matre repoſitus fuiſſet, quem, quia in narratione Lucae praeſepis mentio fit, in ſtabulo pecorum, noſtris ſimili, aut, quae multorum antiquorum traditio eſt, in ſpelunca ſaxea, Bethlehemo propinqua, ponebant, ad eamque opinionem torquebant Lucae narrationem, quos et recentiores plerique ſunt ſecuti; v. *Grotium* ad Luc. II, 7. et *Caſaub.* Exerc. Baron. II, 1. ſeqq. et alia librorum ſacrorum loca; quae nos et rem ipſam ex antiquitate incorrupta cognitam, breuiter explicare tentabimus.

Incipiamus ab loco, in quo Ioſephus et Maria verſabantur, cum natalis Ieſu Chriſti dies aderat. Lucas *κατάλυμα* vocat: in quo non, vt vulgo fit, deuerſorium, ſimile noſtris, intelligendum, promiſcuis illis, et omni peregrinanti patentibus: qua opinione decepti veteres

quidam id deuerſorium extra vrbem poſuere, vt ſcilicet propinquum eſſet ſpeluncis extra oppidum, in quarum vna, vt ſtabulo pecoris, hoſpitium infantis Ieſu collocarent: veterum opinionem etiam recentiores quidam viri docti ſunt ſecuti. Talia deuerſoria tum non erant, omnium minime in oppidulo, quale Bethlehemum erat; poſt forte frequentia Chriſtianorum eo venientium viſendi cauſa, locum tali deuerſorio ſtruendo fecit, quod poſt pro eo habitum eſt, in quo Chriſtus natus, et vicina ſpelunca pro ſtabulo, in quo repoſitus fuiſſet. Sed peregrinantes tum deuerſabantur apud cognatos, quos ibi plures habuiſſe Ioſephum et Mariam e familia Dauidis credibile eſt, etiam amicos, a quibus hoſpitio recipiebantur, in cuius rei facilitate etiam virtus ponebatur, ſaepe illa et in ſacris litteris commendata. Atque tale hoſpitium *κατάλυμα* eſt apud Lucam, intelligendaque vel tota domus hoſpitis, vel pars ea, cuius vſus peregrino eſt conceſſus, vt *Marc.* XIV, 14. vbi de triclinio dicitur, quod ad agendas epulas paſchales petebatur. Sed infanti recens nato Ieſu cum locus quaereretur, vbi reponi curarique poſſet, vel propter multitudinem hoſpitum eodem hoſpitio vtentium, vel propter anguſtias eius partis, quae parentum vſibus erat conceſſa, non reperiebatur. Qua re coacti ſunt, locum ei extra tectum quaerere, in veſtibuloque, in quo Domini pecora ſtabant et ſupellex ruſtica, quae eſt Graece *αὐλὴ*, vt *Io.* X, 1. ſeqq. (v. *Perizon.* ad Aelian. V. H. III, 4) lat. *cohors*, eratque cincta area illa ſepto e cratibus ligneis, quo fures arcerentur, veteres latini *herctum* dicebant, quod *cieri* dicebatur, cum diuiderentur greges heredibus, idem poſt de hereditate vniuerſa dictum, quod priſcis temporibus Latinorum res familiaris fere in pecore erat.

Atque ſi rem ita intelligimus, facilius etiam intelligi poteſt, quomodo paſtores quaerentes infantem reperêrint. Nam in vulgari modo intelligendi, difficultas eſt non parua ex eo, quod et locus, vbi infantem diuinum

quae-

quaererent, parum definitus erat, et reperiendi facultas vix relinquebatur. Si in ſtabulo, noſtris ſimili, cincto parietibus et tecto, atque adeo tenebricoſo, aut ſpelunca quaerendus erat infans, vnde initium quaerendi facerent, quando finis quaerendi futurus erat. Quodſi vero eo, quo diximus modo res intelligenda eſt, paſtores, vias oppidi percurrentes, facile per ſepta cohortium e cratibus videre licebat, vbi ad praeſepia eſſent homines aliquid agentes, atque ita ingredi in aulam, percunctarique, quinam eſſent, et quid agerent, cognoſcere ac reperire, quod quaererent.

An vero, dicat aliquis, credibile eſt, parentes Ieſu auſos eſſe, infantem vix natum, ac tenerrimum adhuc, in loco reponere patente et ſubdiuali, vbi aëri, noctu diuque expoſitus eſſet, et eius iniuriis, frigore et pluuia facile violari poſſet? Sed nihil tale erat in ea re timendum. Nam infans erat aduerſus haec bene munitus pannis, quibus inuolutus a matre erat; nec erat tempeſtas frigida; quippe et oues et paſtores earum noctu ſub dio poterant agere. Atque etiam tecta eſſe ſuper praeſepibus ſolebant, ad pluuiam arcendam a pecore, eiusque generis praeſepe potuit delectum eſſe a Ioſepho et matre prouida. Quis vero dubitet, illum locum aulae longe ſalubriorem fuiſſe infanti, quam ſpeluncam, in qua vulgaris opinio eum reponit, tenebricoſam et ſtercoris foetore plenam.

Denique etiam non diuturnam fuiſſe illam infantis in praeſepi commorationem, probabile eſt. Nam cenſus ille in oppido tam paruo, vbi praeſto eſſent omnes et parati ad nominum profeſſionem tum edendam, tum accipiendam, diuturnus eſſe non potuit: quo exacto, cum non cunctarentur aduenae domum abire, locus iam amplior fuit parentibus infantis in hoſpitio ſuo, vt commode eum ſecum in aedibus habere et curam eius agere e propinquo poſſent, donec, exacto legitimo tempore, Hieroſolyma deportari et in templo ſacra legitima fieri poſſent.

Iam nemo dubitet, maxima laetitia pastores fuisse adfectos, cum infantem illum diuinum, in quo esset ille diu expectatissimus populo vniuerso Seruator Messias, reperissent, et oculos eius adspectu possent pascere: erat ea tanta, tamque viuida, vt pectore premi non posset, sed per omnem occasionem erumperet, et cum popularibus obuiis communicaretur, ad quos omnes hanc laetitiam pertinere ex Angelo audierant.

Enimuero illud tantum bonum, quod per diuinum illum infantem de coelo demissum erat, etiam ad nos pertinet, et eius aduentus laetissimus etiam nobis per diuinos nuntios innotuit: nec minori laetitia animos nostros replerit, quam pastorum Iudaicorum, etsi eum non oculis cernimus, vt illi, si modo eum animo diligenter contuendo aditum eius diuinae perfectioni in animos nostros aperiamus. Videamus, quanta sit benignitas diuina, quae salutis nostrae caussa filium de coelo demiserit, quanta filii ipsius, qui hoc tam graue negotium salutis nostrae per dolores acerbissimos atque mortem reparandae susceperit, sapientiam denique Dei, quae tam digno se consilio in illo benignitatis suae opere sit vsus; profecto laetabimur Dei benignitate et filio eius ad salutis nostrae opus perficiendum humana natura induto, et in laudes vtriusque toto pectore effundemur. His talibus piis cogitationibus alendis materiam proximis diebus festis, memoriae nati Messiae saeris, doctores Ecclesiae nostrae orationibus suis suppeditabunt. Ad eas igitur audiendas, et cantibus sacris beneficium tantum celebrandum congregemur in templis ciuitatis nostrae: sed etiam propria Academiae Sacra in aede Paullina die illorum sacrorum prima hor. XII. frequentes conueniamus, inter quae audiemus Viri doctissimi *Io. Frid. Hilscheri*, A. M. orationem disertam, qua Iesum Christum non modo Iudaeis, sed etiam gentilibus natum demonstrans nos ad laudes benignitatis diuinae praedicandas excitabit. cet.

AD

AD

PHILIPP. II, 6 - 11.

AD

PHILIPP. II, 6-11.

Vidimus adhuc Iesum Christum, Seruatorem nostrum ac Dominum, oppressum aerumnis et contumeliis ac cruciatibus, denique ad mortem raptum contumeliosissimam: nunc adest dies laetissima, qua ab omnibus istis malis liberatus ad vitam reuocatus est, et redire coepit ad personae suae dignitatem et gloriam, quae ei a patre diuino destinata erat pro illo opere, cuius perficiendi caussa ab eo in hanc terram erat missus, vt genus humanum obedientia sua ab illa pernicie liberaret, quam ei peccata contraxerant: quod opus erat eiusmodi, vt a nemine, nisi ab ipso, perfici posset, vt qui solus et facere et perferre posset, quibus agendis et tolerandis pernicies illa depelli et salus hominibus restitui posset. Atque hoc est illud, quod Paullus Apostolus I. C. docuit Philippenses, C. II, v. 6-11. quem locum nobis hoc tempore explicandum sumsimus, quod in eo explicando non consentiunt viri docti.

Apostolus volebat Philippensibus concordiam suadere, cuius fontem demonstrabat esse modestiam et studium aliis bene consulendi; in quo exemplo Iesu Christi vtebatur, cuius sensum eos assumere volebat. Nam eum fuisse ἐν μοϱφῇ Θεοῦ, id est, *conditionis diuinae*, et tamen ad conditionem seruilem se demisisse, vt salutem humanam restitueret. Ita puto optime verti illud ἐν μοϱφῇ Θεοῦ, quod alii permulti capiunt de ipsa diuinitate, et maiestatis diuinae vel possessione vel vsu. Et negari non potest, eum, qui sit ἐν μοϱφῇ Θεοῦ, habere diuinam naturam: nam mox ei substituitur τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Sed mox est ἐν μοϱφῇ δούλου, quae non potest aliud esse, quam conditio seruilis, quae est humillima et vltima vitae humanae, vt Cicero ait Offic. I, 13. conditio. Ergo cum Iesus Christus esset conditione diuina, haberetque vim et maiestatem diuinam, οὐχ ἁϱπαγμὸν ἡγήσατο illam conditionem, in quo non magis consentiunt interpretes. Maximam veri speciem habet sententia Lamberti Bosii, qui intelligit in Exerc. Philol. ad N. T. non facile esse putabat illo tanto bono potiri et vti. Nam Graeci dicunt οὐχ ἅϱπαγμα τὸ πϱᾶγμα, hoc sensu, res non facilis est, vt quilibet sibi arrogare possit aut comparare. Sed malim iam vertere *non raptum iuit* illam tantam maiestatem, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, i. e. non festinauit cupide ad illius tantae rei vsum: nam sic rapere haereditatem dicuntur, qui nimis cupide ad vsum bonorum haereditate acceptorum festinant et ruunt, et Tacitus imperator factus dicitur a Vopisco *non raptum iuisse imperium*, qui ciuiliter et modeste imperare coepisset, liber ab omni insolentia et superbia. Atque hic sensus bene conuenit sequentibus; nam dicitur Iesus κενῶσαι ἑαυτὸν, in quo non minus haesisse interpretes reperiuntur, quod etymologiam verbi tenerent, cum deberent potius hebraici verbi, quod ei respondet, הֵרִיק vsum sequi, secundum quem κενῶσαι ἑαυτὸν est *extenuare* se in quocunque genere.

Sed

Sed quod h. l. genus intelligendum sit, tota oratio docet, nempe idem est, quod mox ἐταπείνωσεν, quomodo accepit Dionysius Alexandrinus in Epistola contra Paullum Samosatenum, vbi coniunxit vtrumque verbum κενώσας καὶ ταπεινώσας ἑαυτὸν ἕως θανάτου. Similiter ἄνδρες κενοὶ sunt *tenues*, *pauperes*, *humiles*, qui Hebraeis sunt רֵקִים: vt Iudic. XI, 3. dicuntur cum Iephtha exiisse אֲנָשִׁים רֵקִים, quod οἱ ό vertere ἄνδρες κενοί, vbi tamen ed. Aldi et alii libri habent λιτοί. Vnde fit, vt ἐκένωσεν ἑαυτὸν optime vertatur, *sed depressit semetipsum*, sc. ad seruilem conditionem et humilitatem, μορφὴν δούλου λαβὼν, et hominibus aliis similis factus in omni genere humilitatis, ac tenuitatis: ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, *depressit se*, inquam, obedientem se praebens eo vsque, vt et mortem subiret, et eam quidem contumeliosissimam in cruce, quod est supplicium seruile. Quid ergo? non poenituit Iesum huius tantae humilitatis? nequaquam, imo vero habuit ea fontem vberrimum et perpetuum et dignitatis summae, et laudis ac gloriae. Nam Deus pater hanc humilitatem in celsitudinem conuertit, eamque summam et maximam, qua maior cogitari non posset, quippe ei hoc datum fuit a Deo, vt ab omnibus naturis intelligentibus adoraretur: qua celsior conditio et maiestas esse aut cogitari non potest. Est enim diuina, omni alia maior illa et sublatior: itaque sibi eam Deus vindicat soli Es. 45, 23. *mihi omnia genua flectantur*.

Haec igitur est illa ὕψωσις, exaltatio, quae humilitatem I. C. consecuta est, in quam se ipse demiserat ex consilio Patris, vt illud opus perficeret, cuius perficiendi caussa homo factus erat. Eius autem initium factum est per reditum eius in vitam, cuius laetam memoriam hoc tempore celebramus. Et quanta sit in ea materia laetitiae, quis potest cogitando ac dicendo assequi? Etenim

Etenim quis non videt, hac re veritatem religionis et doctrinae Christianae maxime firmari, atque cum ea spem nostram salutis omnem, quae tolleretur penitus, si Iesus in illa humilitate mortuus mansisset, nec dicta die in vitam se restituisset, vt praedixerat esse futurum. Omne refugium nostrum in malis et periculis est apud Iesum exaltatum et ad dextram patris sedentem. Ille solus potest opem ferre vi sua et deprecando pro nobis apud patrem. Id autem periret totum, nisi redux in vitam et exaltatus viueret paratus ad res nostras curandas, et nos tuendos: nunc vero salua sunt nobis omnia, et in omni genere necessitatum nostrarum patet nobis perfugium apud exaltatum Dominum nostrum ac seruatorem Iesum Christum, vbi certa cum spe auxilium quaerere possumus.

Enim vero, cum Apostolus totum hoc de Christi humilitate exempli caussa attulerit, vt eo commoti Christiani Philippenses imitarentur Christi modestiam, nonne id fauet eorum opinioni, qui in Iesu Christi passionibus, non satisfactionem pro peccatis humanis agnoscunt, sed tantum exemplum patientiae et obedientiae putant esse propositum generi humano, quod sibi imitandum ducerent, qui salutem consequi per Christum vellent? Longe abest. Nam vtrumque potest esse coniunctum, nec alterum altero tollitur. Et passiones quidem Iesu Christi ad satisfaciendum Deo pro peccatis humanis spectasse, ita planum fieri potest multis librorum diuinorum testimoniis, vt id negari nullo modo possit. Quomodo enim v. c. peccata humana suscepisse ac tulisse dici posset, nisi poenas eorum subiisset, quibus luendis satisfit legibus earumque auctori: id autem quomodo ab eo factum dicemus, nisi illis malis sustinendis, quae eum in ista humilitate inuaserunt. Sed cum illas poenas innocens tulerit, nihil ille tale meritus,

meritus, quis non agnofcat etiam exemplum patientiae et obedientiae et aliarum virtutum, idque fibi imitandum putet. Atque in vtroque agnofcendum eft magnum beneficium Chrifti, qui nos non modo a peccatorum culpa et poenis liberandos duxit, fed etiam a peccatis ipfis, alliciendo nos exemplo fuo ad veram virtutem, qua nos ipfi fimiles fieremus. Quod enim exemplum maiorem in ea re vim habere poffit, quam ipfius, qui tantum pro falute noftra fecit, ac paffus eft, et cui animos gratos pro tanto beneficio praeftare debemus: quod facile intelligitur non poffe melius fieri et ad eius gratiam ineundam aptius et efficacius, quam fi eius exemplum fequamur, et ei imitatione virtutum eius fimiles fieri ftudeamus: in quo ipfa bona voluntas valere ad placendum poteft, quod in ea eft argumentum amoris, qui non poteft ei difplicere, fed potius mouet, ad iuuandos nos in illo imitationis ftudio, praefertim cum ei non ignota fit imbecillitas noftra in recte faciendo, cupiatque nos in rebus honeftis fibi fimiles fieri, ficut ipfe nobis in humilitate noftra fimilis factus eft.

Quod fi igitur hos dies feftos recte ac pie peragere velimus, animi noftri toti occupandi fint vtriusque generis cogitatione affidua, primum vt magnitudinem beneficii a I. C. nobis tributi per illam demiffionem e conditione diuina ad humilitatem humanam, atque adeo feruilem cogitemus ac ponderemus, vt expiare peccata noftra poffet; deinde vero exempli ab eo nobis propofiti excellentiam contueamur, et contuendo adamemus, iisque cogitationibus ad laudes diuini feruatoris excitemur et ad imitationis ftudium. Sic ergo animis noftris comparatis, atque his fenfibus repletis adeamus facra publica, in his et illa, quae die primo pafchali in aede Paullina hora duodecima fient, inter quae etiam oratio-

DE

TESTIMONIO SP. S.

QVOD NON SIT IN VERBIS, SED IN REBVS.

Cum omnia opera diuina habeant impressa signa diuinae originis, non potest dubitari, id etiam cadere in libros diuinos, per quos hominibus ratio salutis consequendae patefacta est, et maiestas diuina magis quam toto visibili mundo illustrata. Itaque permulti Theologi in illis signis obseruandis et demonstrandis illustrandisque diligenter laborarunt. Sed in iis principatum tribuerunt ei, quod in testimonio Spiritus Sancti posuere, ad quod cetera omnia redeant in mente humana mouenda ad auctoritatem librorum illorum diuinam agnoscendam. In quo etiam necessitatis ratio habetur. Nam si ea per argumenta subtiliter tractata modo cognoscenda esset, quando cognosceret plebs ac puerilis aetas? quae difficultas sublata est, cum sapientiae et benignitati placuerit, eius persuasionis opus Spiritui Sancto permittere, et eius testimonio diuino, quo nihil ad persua-

dendum efficacius intelligi possit. Ergo sicut olim doctrinae Iesu Christi Spiritus Sanctus testimonium perhibuit veritatis et diuinae auctoritatis, eoque modo maximum numerum hominum ad fidem Christi adduxit, sic et postea omni tempore verbo diuino se testem veritatis coelestis exhibuit atque etiam nunc exhibet in animis hominum, vt de ea nihil dubitationis relinquatur. Sed hoc testimonium Spiritus Sancti multis recentiori aetate displicuit, qui omnia ratione humana metirentur, et per eam solam et eius argumenta diuinitatem librorum sacrorum cognosci ac demonstrari vellent; ex quo genere fuere Socinus, Limborchius, Episcopius, Curcellaeus et alii, qui in signis diuinae originis et auctoritatis librorum sacrorum omisere, aut etiam impugnauere et ei vim persuadendi negauerunt. Quo magis consentaneum videtur, ei succurrere, et ei vim suam et dignitatem vindicare.

Testimonium autem illud Spiritus Sancti non intelligimus, quod sit in verbis, sed in rebus, non dicentis, libros hos esse diuinae originis et auctoritatis, sed agentis in hominum animis, per eos libros lectos vel auditos, et eos sensus motusque cientis, qui diuinitatem eorum, quae legerint vel audierint, ita manifeste arguant, vt dubitationis nihil relinquatur, sitque manifestum, eam vim esse humana maiorem, et Deo ipsi tribuendam. Nec vero dicimus, eo testimonio aduersarios librorum sacrorum refutari, aut eorum diuinitatem, vt argumento, demonstrari ad persuadendum posse: nam Christianorum hominum persuasionem non per sensum nostrum efficere ac demonstrare veritatem possumus, vel excitari vel confirmari ita, vt in promtu sit, illos sensus non esse humano modo natos, sed originem coelestem habere: quo tollitur Limborchii ratio, qui Theol. Christ. I, 4, 17.

in

in circulum incidere putabat eos, qui teſtimonio hoc Spiritus Sancti vtantur. Nam, id eſſe a Spiritu Sancto, dicere, e ſcripturis cognoſci: quod ſecus eſſe, ex iis, quae diximus, patet. Non porro hoc teſtimonium ſapit Enthuſiaſmum. Nam eos ſenſus ac motus, quos diximus, et in quibus teſtimonium Spiritus Sancti ponimus, Spiritus Sanctus efficit per verbum Dei, cognitum, et cogitatum animo. In quo actio quidem ratio intelligi debet, quod ſine ratione teſtimonium in nobis exiſtere non poſſet, ſed in ſentiendo nihil agit ratio aut intelligentia, ſed tantum recipit ſenſum ab actione Spiritus per verbum. Werenfelſius in Diſp. de triplici teſte de verbo Dei S. III. ita defendit ſententiam de teſtimonio Spiritus S. aduerſus eos, qui in ea circulum eſſe, et aliquid fanatici dicunt, vt eam ſententiam exprimere dicat certam mentis diſpoſitionem et διάθεσιν a Deo et Spiritu Sancto acceptam, per quam plena et firma de ſcripturae ſacrae diuinitate perſuaſio exiſtat; atque ad hanc diſpoſitionem conſequendam pertinere preces, quibus rogemus Deum, vt oculos nobis aperiat et cor aperiat mentemque illuminet atque ita diſponat ac praeparet, vt, quae in ea diuina ſint, animaduertamus, iis ita, vt par eſt, moueamur, atque ita de libri huius diuinitate magis magisque perſuadeamur. Sed ea diſpoſitio ac praeparatio non eſt ipſum teſtimonium Spiritus Sancti, ſed id praecedit, et locum facit illis ſenſibus ac motibus animi, in quibus nos illud poſuimus. Hi autem naſcuntur illi quidem ex notis diuinitatis, quae Scripturae diuinitus impreſſae ſunt, vnde argumenta, quae proprie dicuntur, deriuantur, ſed non ſolis iis, verum etiam ex aliis rebus. Nam non omnia ſigna interna rerum ſunt eadem argumenta talia, etſi eorum vim habent. Hoc qui-

dem testimonium Spiritus Sancti maiorem habet omnibus argumentis, quibus in docendo diuinitatem librorum sacrorum demonstrare solemus. Sed id totum est ab actione Spiritus Sancti in mente humana per verbum Dei praesens ei et pie cogitatum. Atque huius talis testimonii exempla perspicua in ipsis libris sacris occurrunt, in quibus inprimis insigne est id, quod Act. III. est, vbi post effusionem Spiritus Sancti in Christianos congregatos, cum Petrus Apostolus ex eo, quod acciderat, demonstraret, Iesum esse Christum Dominum, eo sensu tacti sunt, qui aderant, v. 37. vti non possent non agnoscere veritatem, et multa millia ad fidem Christianam accederent.

Quod quidam, in his Limborchius, dicunt, Spiritum Sanctum dari iis, qui iam credant, et quibus sit de diuinitate Scripturae Sacrae iam persuasum, id etsi verum est, tamen ea res non tollit testimonium hoc Spiritus, quod et ad iam credentes pertinet, et ad eos, qui nondum eo perducti sunt, vt eo venire, et deinde dona Spiritus Sancti maiora accipere possint, et qui Spiritus S. bonum opus in hominibus perficit, idem etiam incipit, Phil. I, 6. Homines illi, qui a Senatu Hierosolymitano missi erant, vt Iesum caperent et captum ad eum adducerent, nondum credebant in Iesum, sed cum eum docentem audirent, ita commoti sunt eius oratione, vt eius diuinitatem non possent non agnoscere, dicerentque, neminem vnquam hominem sic esse locutum, itaque se non sustinuisse ei manus iniicere. Io. VII, 37. Hunc sensum illi acceperant haud dubie a Spiritu Sancto per verbum Christi in iis operante: a quibus initiis an ad perfectionem fidei peruenerint, non traditum est a Ioanne: nec est tamen improbabile, in quibusdam

saltem

faltem eorum, Deum opus coeptum paullatim abſoluiſſe et iis veram fidem in Chriſtum contuliſſe per Spiritum ſuum, nec adeo bonum illud initium irritum fieri ſiuiſſe.

Eſt igitur beneficium huius teſtimonii ad cognoſcendam diuinam verbi originem et inde aditum reperiendi ad fidem et eius πληροφορίαν aſſequendi omnibus commune, qui verbum audiendo aut legendo cognoſcunt, eoque nomine praedicanda benignitas diuina ſingularis in curanda omnium fide et ſalute, quae eſt, vt apparet, in hac re tanta, vt etiam fidem hominum ſuperet. Etſi autem ex propoſitis exemplis patet, homines in hac re benignitate diuina ſaepe praeueniri, cum iis contingat non cogitantibus: tamen non ignorari debet officium, quod in ea re obſeruari debet ab iis, qui ſe Chriſtianos dicunt, et libros ſacros diuinae originis et auctoritatis eſſe profitentur, vt, quoties illos libros attingant, iisque vti velint religionis cauſſa, precibus adeant Deum, vt id teſtimonium vim in animo ſuo perhibeat, et nos ea re vel ad fidem perducat, vel eam corroboret, et ad ſanctitatem efficaciſſimam efficiat, auxilio Spiritus ſui, teſtimonium verbo ſuo perhibentis.

Sed huius officii communis opportunitas dabitur diebus feſtis inſtantibus, quibus memoria effuſi in Chriſtianos Spiritus Sancti religioſe celebranda venit. Admirabile opus illud benignitatis et ſapientiae diuinae fuit, per quod religioni Chriſtianae primus in omnem terram aditus factus eſt, cum fama eius exiret per incredibilem multitudinem Iudaeorum, qui ſpectatores eius operis ac teſtes fuerant, in omnes populos, inter quos illi ſedes habebant, et vnde ad ſacra Hieroſolymitana celebranda venerant. Id igitur opus et eius praeſtan-

tiam diligenter consideremus, et laudibus piis extollamus per hos festos dies, tum domi et priuatim, tum publice in aedibus sacris, tum caeteris tum Paullinae, feria prima hora duodecima, in qua et audiemus accommodatam ei rei orationem Viri doctissimi *Christiani Gottlieb Hundii*, Artium Magistri, *de testimonio Spiritus Sancti pro veritate religionis Christianae omnium certissimo*, cet.

DE

DE NECESSITATE REVELATIONIS DIVINAE ADVERSVS EOS QVI EIVS COGNITIONEM RATIONI HVMANAE ASSERTVM EVNT.

DE

NECESSITATE

REVELATIONIS DIVINAE

ADVERSVS EOS,

QVI EIVS COGNITIONEM RATIONI

HVMANAE ASSERTVM EVNT.

Cum ita accidisset, *Friderice Schulzi, vir maxime reverende*, vt quodam affinitatis vinculo inter nos iungeremur: coepi, cum primum Tecum esse, Tecumque loqui mihi contigisset, id quod factum scis esse tum, cum scholae Portensis disciplina contineret; coepi igitur, non dubiis signis, magnum Tuum quendam erga me singularemque amorem perspicere. Is cum esset mihi per se, vti debebat esse doctissimi hominis amor, iucundus, tum vero erat hoc iucundior, quod mihi videbar intelligere, id quod a Te postea memini audire, eum non magis affinitati tribui, quam incredibili discendi cupiditati, et ingenio, quod Tu siue audieras, siue, quod mihi propius fidem videtur, ipse, amanter magis, quam vere, iudicaras, posse, nisi voluntas mihi studiumque defuisset, aliquando, ad quamcunque se literarum partem dedisset, in ea longe procedere. Postea, quamquam multi intercesserunt anni, cum Tuo in me amori vsus defuit, a quo vel maxime amorem ali scimus ac sustentari: tamen nihil ea res apud Te valuit ad amorem eum, quem semel susceperisses, deponendum. Itaque, vt primum mihi reddita est consuetudinis Tuae facultas aliqua, ita ex vultu Tuo, omnibusque Tuis et dictis et

 factis,

factis, amor in me Tuus eminuit, vt facile intelligerem, nihil esse de superiori illo amore Tuo detractum. Sed, cum in illo primo post tantum interuallum congressu, tum, quotiescunque postea vna fuimus, plurimum nobis meministi iucundissimumque sermonem de communibus literis, de Philosophia et Theologia fuisse, magnamque saepe diei partem disputando esse suauiter absumtam. In quo illud me maxime delectabat, quod sine cupiditate disputabamus, eodemque vultu dissentiebamus inter nos, cedebamus etiam interdum et vincebamus, quo consentiebamus: vt facile intelligi posset, non tam suae quemque, vt fit, opinionis, sed veritatis caussam agere, honestioremque nobis veritatis agnitionem in victo, quam vincentis in disputando errorem videri. Itaque tam iucunda mihi est harum disputationum nostrarum sermonumque memoria, vt iampridem, quod Tu, quoniam prae me tuli, non ignoras, constituerim, eorum quoddam quasi monumentum, libello ad Te perscripto, ponere; vt non solum disputationum nostrarum, sed etiam amicitiae memoriam testatam relinquerem. Atque huius mei consilii perficiendi opportunos monitores habui et communes nostros, et Tibi proprios amicos, qui honores Theologiae Academicos Tibi sunt gratulati: quorum ad me cum perlata essent carmina, hoc potissimum tempus Tuum mihi ad perficienda destinata sumendum ratus sum, quod non modo amicitiae nostrae, et sermonum nostrorum, sed etiam honoris Tibi a Theologis Vitebergensibus tributi memoriae accommodatum videbam. Itaque nihil mihi fuit potius, quam vt locum aliquem e communibus literis deligerem, de quo perscribere ad Te, quantum et ingenium et tempus pateretur, possem. De quo dum cogito, subit animum eius sermonis recordatio, quem superiori aestate Tecum habui, cum ita dicerem: quae sapientissimi veterum Philosophi de summo bono disputauissent, ea non esse comparanda cum his, quae nobis de eadem re sacrorum librorum auctores primi, quan-

tum,

tum, omnem veterem memoriam repetens, potuissem inuenire, tradidissent, eosque esse solos, qui in boni summi sede rem eiusmodi reposuissent, qua intelligens et immortalis natura, cum summa voluptate, per infinita secula, sine vllo eius perdendae periculo, et sine satietate, perfrui posset. Is locus erat memoriter depromtus ex commentariolis nostris, in quibus quasdam disputatiunculas, sed inchoatas eas adhuc et rudes, habemus, quibus impietatem, cum omnium eorum, qui omnem, praeter naturalem, religionem tollunt, tum in primis Tindalii, hominis acutissime impii, conuellere cogitamus. Nam, cum primae disputationes versentur in eo, vt, qua ratione plerique in hoc impietatis genere conuincendo vtantur, eam mihi non satis probari doceam, necessario etiam attingenda fuit ea ratio, quae ex historia philosophica arcessitur, cum ita disputant, multa esse de moribus a sacris scriptoribus diuine praecepta, tanquam de inimicis amandis, quae veteribus philosophis cognita non fuissent. Atqui certis testimoniis me sciebam posse demonstrare, nihil esse ex eo, de quo tradunt, genere, quod non et in veterum philosophorum praeceptis reperiatur. Sed idem etiam videbam, esse alia, et ex eodem de morum praeceptis, et ex diuerso genere, si quis hac ratione vellet vti, quae a veterum philosophorum intelligentia abfuissent, cum nunc in sacris libris tradita teneamus. Atque in his erat etiam illud de summo bono, in quo loco cum omnium propemodum veterum philosophorum et ingenium et oratio maxime consumta sit, nemo tamen repertus est, qui verum ad finem bonorum aditum muniisset. Ex eodem genere disputatiuncularum nostrarum est etiam ea, qua ostendimus, quod multi se putent argumentis ex humano ingenio repetitis necessitatem reuelationis alicuius diuinae, vt Theologorum verbo vtamur, demonstrare posse, id longe a vero alienum iudicandum esse. Atque huius disputationis summam Tibi, Vir summe Reuerende, hic breuiter exponendam statui: non, quod

quod eam omnium maxime dignam eruditione Tua putem, sed quod eius hanc quoque vim spero fore, vt eorum hominum superbia aliqua ex parte retundatur, qui ita se ἀποδεικτικοὺς arbitrantur, vt nihil sit, cuius se certam et mathematicam rationem afferre posse desperent, et hac demonstrandi scientia subnixi, et ἀποδεικτικὸν φρόνημα φυσῶντες incedunt.

Sit igitur nobis propositum hoc, vt quaeramus in vniuersum, *vtrum necessitatem reuelationis alicuius ratio humana possit assequi, nec ne?* Nam argumenta omnia, quibus vsi sunt, aut vti solent hi, qui id fieri posse putant, commemorare, dialecticeque refellere, et nimis longum foret, nec est instituti nostri. Neque adeo, si verum velimus dicere, opus est ista disputatione. Nam si vicerimus, rem esse eiusmodi, vt per ipsas dialecticas praeceptiones, rerumque naturam fieri non possit; quid opus erit, in singulis eorum, qui aliter sentiunt, angustis et contortis ratiunculis dissoluendis frustra orationem consumere? Atque illud quidem longe a me abest, vt dubitem, quin et ad veritatem religionis Christianae confirmandam certissimum, et ad naturalis religionis iactatores Christianaeque contemtores reprimendos efficacissimum disputandi genus foret, quod a necessitate reuelationis ex ipsa ratione humana cognoscenda duceretur, si posset ad dialectica praecepta exactum probari. Sed non omnia fieri possunt, quae, si fierent, salutaria forent. Quod autem, si fieri posset, ad consilium nostrum opportunum esset, id propterea existimare, etiam fieri posse, et hoc persuasum ire, id est profecto philosophi non docentis, sed optantis, hoc est, valde pusilli et minuti. Est hoc profecto verum, et ad hanc nostram quoque caussam pertinet id, quod saepe ex doctissimis hominibus audiui, cum dicerent: qui caussam religionis Christianae, contra impios homines, agendam susciperent, optimam illos quidem caussam agere; sed quando plerique, aut non satis cognita caussa, aut ab ingenii literarumque idonea facul-

tate

tate et copia destituti, ad caussam accederent, neque susceptum onus sustinere possent, verendum esse, ne bonae caussae, tanquam mali caussidici, et rauci de fori fece clamatores, obessent, acutisque aduersariis caussa cecidisse putarentur: ex quo fieri, vt, quae res ad impietatem eorum debellandam comparata fuisset, haec ad eam confirmandam conuerteretur. Sed habet fortasse etiam in his quasi Phaëthontibus locum illud Graecorum:

μεγάλως ἀπολισθαίνειν, ἁμάρτημ' εὐγενές,

eorumque institutum Tu, aequissimi Vir animi, e consilio magis, quam euentu, spectandum putas.

Verum antequam in ipsam aciem veniat oratio, seruet militarem morem lente ingrediendi, vt ab ipso ingressu, et in consistendo locumque obtinendo firmitatem, et in currendo vim et celeritatem, sumat. Itaque, cum omnis, quae via et ratione progreditur disputatio, a definitionum initiis proficiscatur; ab iisdem exordiis eam procedere iubeamus. Haec autem, quod Tu, Doctissime *Schulzi*, qui multum et temporis et studii in philosophorum scholis consumsisti, non ignoras, haec ergo omnis rei, quam *necessariam* recte velimus dicere, vis esse debet, vt aliter esse non possit: quod, qui enucleatius subtiliusque explicant, ita interpretantur, vt dicant, necessitatis vim hoc obtinere, cuius contrarium repugnet. Necessarii autem duas formas faciunt: alteram eius, cuius contrarium per se sibi repugnet ipsum; quod fieri dicunt tum, cum ex ipsa definitione eius repugnantia perspici possit; cuius generis sunt omnia, quae absolute et simpliciter *ἀδύνατα* putantur: alteram autem formam necessarii dicunt esse eius, cuius contrarium cum adiunctione demum aut conditione quadam repugnet, qua remota, possibile iudicetur: tamquam, cum necessarium esse dicimus, vt Deus id faciat, quod optimum esse intelligat.

Iam facile intelligis, qui *de necessitate reuelationis* demonstranda disputent, non de illa absoluta necessitate, sed de altera illa, quae est cum conditione, intelligi velle.

le. Faciunt autem adiunctionem duplicem, neque praeter has duas alia esse potest. Nam primo adiungunt proprietates diuinas, tamquam bonitatem sapientiamque: deinde naturae humanae eam, qua nunc laborat, corruptionem. Ex quibus adiunctionibus duplex huius, de reuelationis necessitate, placiti interpretatio intelligitur: quarum altera haec est: *Vtrum diuinae bonitati, sapientiae, aliisue perfectionibus repugnet, si quis nullam esse reuelationem dicat, eaque repugnantia ingenii humani viribus intelligi possit, nec ne?* altera autem haec: *Vtrum humanae naturae, eiusque, quae nunc est, conditioni repugnet, nec ne, si quis dicat, nullam esse reuelationem, et posse tamen hominem post mortem felicem fieri; et, num eam rem definire humana ratio possit:* siue: *an possint philosophicis argumentis vinci haec duo:* animus humanus post mortem beatus esse potest: nulla est reuelatio: *repugnare, et simul consistere non posse.* Explicauimus vnam partem quaestionis, veniamus ad alteram.

Reuelatio, quam ex graeco (ἀποκάλυψις) dicimus, in vniuersum est omnis a Deo ipso, nullo humani ingenii interuentu, tradita rerum quarumcunque scientia. Sed interdum arctius eius verbi vim cohibent: atque id faciunt duobus modis. Nam primo dicunt, reuelationem esse earum rerum omnium, quas suis mens humana viribus assequi non potuisset, ex quo genere etiam res futurae sunt: deinde vero, rationis et viae felicitatem aeternam consequendi, et eius quidem eiusmodi, quae sit ab ea, quam ratio humana tradit, hoc est, a lege naturali, diuersa. Iam, qui de necessitate reuelationis disputant, scis Doctissime *Schulzi*, omnem disputationem ad hoc postremum genus referre. Ex quo nobis exoritur interpretatio quaestionis propositae haec: *An possit certis, et iis quidem e philosophia sola repetitis, argumentis, demonstrari, primo, repugnare diuinis perfectionibus, si quis nullam a Deo viam felicitatis aeternae obtinendae traditam hominibus dicat, quae sit ab ea, quam ratio humana*

tradit,

tradit, diuersa: deinde, fieri non posse, vt beatus homo post mortem fiat, nisi ei noua ratio felicitatis post mortem consequendae a Deo tradatur. Atque hanc nostram interpretationem vides esse eiusmodi, vt primo in ea nihil possit dialectica subtilitas reprehendere: deinde vt eius auctores habeamus omnes eos, qui necessitatem reuelationis defendunt: ex quibus vel vnum I. A. Turretinum, Theologum nuper Geneuensem longe doctissimum et clarissimum, sufficit nominasse. Nunc, cum satis constituta sit caussa, vt, de quo concertetur, plane appareat, sitque adeo tamquam in aciem, et intra iactum teli ventum, age commissio fiat, videamusque, cuius

- mage sit penetrabile telum.

Qui necessitatem reuelationis e diuina natura repetunt, primo haec sumunt: Esse homines eo consilio a Deo effectos, vt sint in omnem aeternitatem beati: sapientis autem et beneficae naturae diuinae esse etiam, eius felicitatis, quam hominibus destinarit, consequendae certam rationem ostendere, et tamquam praesidia suppeditare: In hac porro naturae humanae corruptione legem naturalem non esse idoneam felicitatis perpetuae consequendae rationem. His tamquam hastis sumtis, sic contorquent, rationemque concludunt: Si Deus, in hac naturae humanae corruptione, non aperuit hominibus nouam ad felicitatem viam, efficitur, vt aut desierit homines felices velle, aut non possit felices efficere. Atqui ea est primo diuina et vis et sapientia, vt possit, deinde tanta bonitas, vt velit: est ergo absurdum et falsum id, quod ponebatur. Ex quo necessario consequens est, vt sit aliqua reuelatio, quae nouam et a naturali lege diuersam felicitatis rationem demonstret.

Iam ex tribus illis, quae sumuntur, primum et secundum reprehendi non potest. In tertio autem, quis non videt, alteram quaestionis partem parum subtiliter adhiberi. Quis enim tibi philosophus, siue ignarus reuelationis diuinae, siue contemtor, hoc, quamquam verissimum,

mum, dabit, naturam humanam esse corruptam, et legem naturae non satis idoneam felicitatis rationem tradere? sed sumamus hoc iam ita esse, quando nihil magnopere ad primam hanc certaminis partem refert, et ad alteram partem de ea re disputationem differamus. Vere igitur potest conclusum hoc paullo subtilior Dialecticus arbitrari? Non profecto. Ne ego quidem, qui haec non subtilissima illa Dialecticorum ratione iudico, sed propemodum populari trutina pendo. Mihi vero valde anguste videntur humiliterque de naturae diuinae vi et perfectionibus opinari, qui hac concludendi ratione, non modo in hac quaestione, sed in aliis etiam vtuntur, magnamque impudentiae suscipere notam, qui in hac ingenii humani infirmitate et his angustiis, quid sit sapientiae bonitatique diuinae consentaneum, et quo vsque progrediatur in administratione rerum humanarum, audent definire, simillimique imperitis de infimo popello mulierculis esse, quae, quid regi iusto et aequo et prudenti faciendum sit, decernunt. Quid vero? nonne summa atque infinita Dei est bonitas? Est profecto. Quis negat? Verum idem, qui illud scio, hoc quoque didici, quam nos infinitam esse bonitatem diuinam recte dicimus, eius tamen certis finibus circumscriptos effectus esse. Quomodo? vt, quod limites nullos habebat, id limitibus cohibeatur? Minime vero: nam id fieri non potest. Quomodo igitur? Nempe, non capiunt angustiae naturae humanae, aut vllius rei naturalis, immensam bonitatis diuinae vim et amplitudinem. Nemo est, in cuius quasi sinum omnis ille infinitus bonitatis diuinae tamquam Oceanus effundere se possit. Neque id per se modo fieri non potest, sed etiam propterea, quod infinitae bonitati diuinae comes adiuncta est sapientia non minor, cuius tamquam consiliis et decretis bonitas gubernatur et coercetur. Haec est dispensatrix beneficiorum diuinorum: haec ab illo bonitatis diuinae fonte flumina et riuos, per omne vniuersum, ad omnia Dei opera, certis iustisque legibus et men-

mensuris, pro sua cuiusque capacitate, diducit. Quid igitur faciunt, qui, quorsum progrediatur bonitas diuina, definiunt, qui dicere sustinent: huc vel illuc bonitas diuina patet; hoc Deus salua sapientia iustitiaque facere potest; hoc Deus, si bonus esse velit, faciat necesse est: quid, inquam, faciunt, nisi vt sibi illam ipsam diuinam et infinitam sapientiam arrogent, cuius solius est, ista definire: quod quid aliud est, nisi impudenti conatu coelum petere, et se in Dei sede reponere?

Est hoc profecto verissimum, quod dicam, omnibusque cum philosophis, tum theologis tenendum in primis: Esse nobis quidem per se et in vniuersum cognitas naturae diuinae perfectiones, et vel natura auctore nos scire, quae sit bonitatis, potentiae, sapientiae, iustitiaeque vis et ratio: sed eosdem nos esse ignaros maxime et hebetes, ac prope dicam caecos, cum hoc agitur, vt, quo vsque ei sit in quaque re procedendum, constituatur, et quibus tamquam limitibus eius se in singulis caussis debeat continere. Nulla est in hac nostra consiliorum diuinorum ignorantia fallacior concludendi ratio, quam haec, cum dicunt: Hoc ita factum est, aut fiet, quia Deus ita facere pro bonitate et sapientia debuit, aut debet. Saepe enim videtur Deus facere debuisse, aut debere, quod neque faciet, neque fecit. Itaque vehementer mirari soleo, qui fiat, vt philosophi, qui vel maxime acuti videri velint, in pluribus rebus vtantur hac conclusione, quae aut a bonitate aut sapientia diuina ducitur: tamquam in Idealistarum opinione refellenda, qui nullum esse corpus, nullam materiam, arbitrantur; quam nonnulli hoc vno se conuincere posse putant, si eam bonitati et sapientiae diuinae repugnare dicant. Frequenter vsus est eadem ratione in placitis suis confirmandis etiam *Leibnitius*, et qui eius sectam sequuntur; vt mirum non sit, si ea concoquere non possunt, qui huius conclusionis vim magnam esse negant. Omnino, si huic rationi aditum in philosophiam aut theologiam dederimus,

nemo erit philosophaster aut theologaster tam ieiunus et pusillus, qui non sit ita Deum in sua potestate et sibi obnoxium habiturus, vt eum ad omnia, quaecunque velit, facienda et constituenda possit hac conclusiuncula, tamquam machina aliqua, adigere. Erit aliquis, qui volet aeternas improborum sceleratorumque poenas certis temporum finibus cohibere? Nihil facilius erit, quam cum Origenianis iustitiam diuinam in ordinem cogere, et bonam poenarum illarum partem, tamquam Tenedica securi, praescindere. Quid enim? si Deus nullum poenarum illarum finem faceret, efficeretur, vt aut non posset, aut non vellet, miseris hominibus, operibus suis, quos felices esse vult, felicitatem reddere. Sed est ea ipsius potentia, vt possit, ea autem bonitas, vt velit homines omnes felices reddere: absurdum igitur est et falsum id, quod sumebatur. Atque huius nos cantilenae odio ita defatigabunt et enecabunt, vt nos cito sit poenitentia huius facilitatis nostrae subitura: nisi forte inconstantiam eorum volemus imitari, qui rationem eandem in alia caussa admittunt, in alia repudiant; quo nihil indignius philosopho cogitari potest. Neque enim, vt vere ait *Cicero*, tam ex singulis sententiis philosophi spectandi sunt, quam ex perpetuitate et constantia.

Age vero, si quis esset, qui, sumto hoc, esse naturam humanam corruptam, nec posse solius rationis viribus ad aeternam felicitatem adspirare, ipsa illa sapientia diuina contra eos, quibuscum nobis certamen est, pugnaret: quid esset, quod ei posset ratio humana respondere? Quid enim? Nonne fateamur necesse est, bonitatem diuinam sapientia temperari? Atque hac temperatione iustitiam diuinam contineri? iustitiae autem hanc vim esse, vt suum cuique tribuat? Quid vero est suum cuiusque in hoc genere morum, nisi, quod ex hominis cuiusque actionibus, aut naturali quadam necessitate, aut constitutione quacunque legislatoris, consequitur? Qua ergo ratione philosophus, nisi ad ipsam reuelationem con-

fugiat,

fugiat, reprimere poteſt eum, qui ſic diſputat: Deus in prima rerum inſtitutione rectum hominem innocentemque fecit: dedit ei legem naturalem, cuius luce collustratus, viribusque adiutus, ad felicitatem certa ſpe contenderet: ſed ſua ſe ſponte et ſua culpa corrumpi paſſus eſt: non eſt illa opportunitate data vſus: lumen illud naturale ignauia, ſocordia, verbo, culpa ſua, paſſus eſt obſcurari ac paene extingui. Si igitur Deus eſt iuſtus, vt eſt profecto, ea omnia conſequi permittet, quae naturalis quaedam conſecutio affert, neque vlla ratio eum poteſt adigere, vt nouam felicitatis conſequendae viam hominibus aperiat. In magno beneficio eſſet ponendum, ſi faceret: ſed quae poteſt idonea ratio afferri, qua eum commotum id facere diceremus? Iuſtitiae hic, non bonitati locus eſt: ſuae ſunt ignauiae homines et improbitati, ſuis tenebris ſuisque vitiis ac poenis relinquendi. Ita enim demum Deus faciet id, quod eſt Iuſtitiae, hoc eſt, ſuum hominibus tribuet. Ac ne inſolens Tibi, Vir Doctiſſime, haec ratio, aut non probata doctis hominibus videatur; redi mecum in memoriam, et cogita, quae Theologi noſtri contra *Caluini* familiam in eo loco diſputent, quem de gratia vniuerſali Theologi in arte ſua appellant. Nempe inter ea, quae Lutheranae formulae Theologis, cum fructus mortis Chriſti ad omnes omnino homines pertinere contendunt, ab ea ſecta opponuntur, etiam hoc eſſe ſcis, cum dicunt, ſententiae ipſorum aduerſari vel maxime hoc, quod barbaris in America nationibus doctrina Chriſtiana aut nunquam tradita ſit, aut cum perdita eſſet, non reſtituta. Quid hic Theologi noſtri? Nonne ad vnum omnes pugnant, *) neque bonitatem, neque aequitatem diuinam hanc Deo neceſſitatem imponere, vt, quod ſemel traditum barbari non retinuiſſent, ſed ſua culpa perdidiſſent, id ipſis reſtituat? Quae autem in hac cauſſa valet ratio, eam in noſtra quoque valere ſinamus, fateamurque, verum eſſe illud *Bul-*

Rr 2 *fingeri,*

*) vid. *Hulſem.* de Auxil. Gratiae p. 149.

fingeri, in subtili illo de origine mali libro *): *Tale quid non postulandum quidem est, sed accipiendum, si offeratur.*

Sed illa, quam frangere coepimus, conclusio, non modo a bonitate et aequitate diuina ducebatur, verum etiam a potentia. Nam ex eo, quod ponebatur, nullam nouam felicitatis consequendae rationem esse a Deo traditam corruptis hominibus, cogi dicebatur hoc, vt aut non posset Deus id facere, aut nollet. Sed neque nolle, neque non posse, quia sit et summa bonitate, et summa potentia. Iam, de bonitate, vicimus, consequens non esse: restat, vt de potentia doceamus: in quo breuior erit disputatio. Nam si vel maxime concedat philosophus, Deum facere posse, quod sumitur: nihil tamen ea res ad quaestionem propositam pertinet, quae non tam, quid possit, quam quid velit debeatque facere, quaerit. Deus omnia potest facere, inquit mihi aliquis huius necessitatis defensor. Credo; quis negat? Nempe te etiam subtilem Dialecticum et regem Galliae poterat facere, si voluisset. Neque tamen philosophum acutiorem paullo tam facilem fore in ea re concedenda puto: non, quo quem putem tam impudentem esse, qui infinitam Deo potentiam ereptam velit; sed quod in omni disputatione de eo, quid Deus possit efficere, illud inprimis quaeritur, vtrum ea res, de qua sermo est, sit natura sua eiusmodi, vt fieri possit. Nam ἀσύςατα, id quod inter omnes constat, non cadunt in potentiam diuinam. Quid ergo? si rationi diuino lumine non collustratae tota res de via ad felicitatem ea, quae sit a lege naturae diuersa, ἀδύνατος videatur: poteritne tibi hoc concedere, vt Deus hominibus eiusmodi aliquam viam possit aperire? Sed de hoc quid philosophos ratio statuere iubeat, in altera disputationis parte videbimus: ad quam mihi nunc velim, Doctissime *Schulzi*, animum referas.

Eam

*) pag. 449.

Eam autem vniuersam [illegible] in hoc verti, vt videamus, possitne philosophice demonstrari, ad felicitatem aeternam obtinendam non sufficere legem naturalem, sed noua aliqua ratione opus esse, quae obseptum et interclusum ad illam felicitatem aditum nobis recludat. Iam, vti ego Te acumenque noui Tuum, duabus rebus totum hoc, de quo disputabimus, contineri video. Sumunt nempe, quibuscum nobis res est, primo, humanum genus a sua integritate desciuisse, et omnium vitiorum semina in animis humanis, tamquam foecundo quodam agro, sparsa esse: deinde, hanc ipsam ob caussam eo redactum esse hominem, vt leges naturae, quibus seruandis ante, quam corrupti homines essent, omnis felicitatis consequendae ratio continebatur, seruare non possit, eique adeo nouis felicitatis comparandae praesidiis opus esse: quae quia non a natura humana arcessi possint, necessarium esse, vt diuinitus hominibus tradantur. Haec quin vera sint, non profecto sum is, qui dubitem. Res est ergo confecta? Minime vero. Nempe haec ego libris diuinis edoctus scio, planeque credo. Illi autem, quibuscum mihi iam est contentio, ingenio se suo et ratione assecutos iactant. In quo ego, credo etiam Tu, Vir Doctissime, vehementer ab iis dissentio. Atque vt dicam in vniuersum, quid de his hominibus sentiam, simillimi videntur mihi esse iis, qui, ingenii gloriam vanitate quadam animi captantes, se αὐτοδιδάκτους crepant, cum nihil sit, quod non aliunde hauserint. Nam profecto, nisi haec e libris sacris didicissent, nunquam iis in mentem venissent.

Sed vt de vtroque dicam separatim: vnde tandem hoc colligit ratio, genus humanum olim ab omnibus erroribus vitiisque liberum fuisse, a suaque integritate defecisse? Si ita accidit, vt accidit profecto, res est ex eo genere, quod in facto ponitur. Et mihi praeclari Dialectici ἀπόδειξιν eius iactant? Ego vero ex Aristotele, summo omnis ἀποδείξεως magistro, ad quem omnes, qui

hodie eiusdem praecepta literis tradiderunt, tirones et propemodum infantes iudicandi sunt, ab hoc igitur Aristotele didici, rerum fortuitarum, quae in facto sint, nullam esse ἀπόδειξιν, sed rerum tantum necessariarum. Nulla alia hic, nisi testimoniorum auctoritate, opus est. Atqui ea nulla sunt, praeter ea, quae libris sacris continentur. Est igitur hoc totum ex his, non ab humano ingenio, sumtum ac repetitum. At sua quisque conscientia et sensu naturam corruptam esse cognoscit. O! telum plumbeum! Hoccine nos sentire? Acutum vero sensum, qui, quae in sensus non cadunt, percipiat! Nempe hoc est illud, quod plerisque in caussis rerum explicandis accidit, vt nobis iudicium suum de rerum sensibilium caussis, pro ipsis caussis sensu perceptis, venditent. Sensi me ab vltima pueritia facilius praue fecisse, quam recte: quae recte fecerim, antequam mihi in quoque genere consuetudinem comparassem, minus suauiter fecisse, quam quae male: consuetudinem recte faciendi tardius difficiliusque venire, quam praue agendi: consuetudinem rerum bonarum facilius abiici, quam rerum malarum: haec, inquam, et sensi saepe et sentio. Nihil amplius? Nihil, si me recte noui. Vnde autem illa in rectis tarditas, in prauis facilitas sit, qua sit caussa culpaue exorta, nec sensi vnquam, nec sentio. Video mali fontes, sed non ratione ad eos adductus, verum auctoritate diuina compulsus. Nisi me diuina lux collustrasset, caussamque mali mihi quaerenti demonstrasset, non aliter de tota hac re statuerem, quam vnus aliquis ex acutissimis veterum philosophis, in primisque summus auctor *Plato*. Humanam naturam ita ferre existimarem, neque aliam vnquam fuisse, aut esse potuisse, Deumque, vt omnes res, ita et homines bonos fecisse κατὰ τὴν δύναμιν, vt est in Timaeo *Platonis*, hoc est, quemadmodum interpretatur *Cicero*, quoad natura pateretur. Itaque, si qui meliorem olim hominum conditionem fuisse dicerent, mihi viderentur idem facere, quod illa de

de fabula testudo. Nam, cum adhuc loquerentur bestiae, ferunt testudinem, cum celeritatem ceruorum, canum, equorum, leporum in currendo, auiumque in volando, vidisset, ita coepisse de tarditate sua statuere, vt diceret, necesse esse, vt olim genus suum celeritate lepores atque ceruos aequarit, et culpa aliqua sua ab huius possessione boni deiectum sit et deturbatum.

Quodsi vero nemo potest hoc, vel mediocris Dialecticus, concedere, vt ingenii animique eae, quibus culpa sua laborat humanitas, infirmitates possint ratione, vnde sint, intelligi: quid fiet alteri, quod totum est ex hac sumtione aptum et nexum; cum dicunt, ex eo, quod corrupta sit humana natura, consequens esse, auctore ratione, vt lex naturae non amplius valeat ad felicem hominem reddendum? Sublato enim eo, quod ponebatur, id quod ei adiungitur, etsi falsum nondum conuincitur, tamen, nisi aliunde confirmes, verum esse vix vincas. Quid autem afferre ingenium philosophi potest, ex quo possit hoc, de quo quaeritur, cogi? Nonne omnia potius philosophia docet, ex quibus totum hoc de noua aliqua et diuersa a naturae lege ad felicitatem via alienum a ratione esse videatur. Quid enim? ii, qui docent, et necessitate mathematica contendunt effici, vt ab vna lege naturae sit felicitatis consequendae ratio arcessenda, vt haec ratio ita immutabilis sit, vt ne diuinae quidem voluntati in eam vlla vis sit, vt repugnet rationi naturaeque et essentiae humanae, cuius tanquam fundamentis erecta lex naturae consistat, huic ergo vt repugnet, aliam felicitatis consequendae rationem cogitari: hi, inquam, mihi persuasum cupiunt, se ratione doceri, esse aliquam necessario a Deo traditam ad beatitatem viam, quae a lege naturae differat? Qui haec consistere posse contendat, eum ego prope, aut parum acutum valdeque hebetem iudicem, qui tantam rerum repugnantiam non videat, aut, si ita essem vel illiberalis, vt suspicionibus indulgere, vel ieiunus et pusillus, vt inuidiam facere cuiquam pos-

 sem,

ſem, in re ſeria et longe maxima ludere velle arbitrer. Sed bene habet: nihil horum in quemquam confero. Scio quid cupiditas poſſit, et quas tenebras in bonis etiam rebus ſtudium offundat. Huic ergo tribuamus, quicquid hic parum ſubtiliter et parum conſtanter dicitur, et omnem hanc inconſtantiam conſilii bonitati concedamus.

Sed hic nobis exoritur aliud genus eorum, qui ita hanc diſputationem inſtituunt, vt neceſſitatem reuelationis ab alio tamquam fonte deducant. Horum ſumma diſputatio in eo vertitur, vt dicant, primo, neminem eſſe, quin neceſſe habeat fateri, multa eſſe a ſe commiſſa, quibus legum naturalium ſanctitas ſit violata, ſibique non ſatis eſſe ad eas perfecte ſeruandas virium. Deinde hanc earum legum vim eſſe, vt contra ſe facta iis poenis vindicent, quae naturaliter ſint peccatis adiuncta, et neceſſitate quadam conſequantur. His duobus conſtitutis, effici dicunt, vt homini neceſſaria ſit diuinitus demonſtrata ratio, qua poſſit primo, imbecillitati ſuae ſuccurrere, et quod naturae deſit, ſupplere; deinde, malis illis neceſſario conſecuturis mederi, atque ita etiam illos morſus lenire, quibus improborum animi exeduntur, beatusque fieri. Nam, ſi natura hanc tanquam medicinam velit facere, neceſſarium eſſe, vt, quod factum eſt, et infectum efficiat, et ex animi conſcientia memoriaque funditus tollat: quorum neutrum poſſe fieri ſciamus. Haec omnia ſi vere dici negem, amens ſim. Sed hoc nunc non quaeritur: verum illud, ex quibus haec fontibus hauſta ſint atque libata. Nempe ego diuinitus ea nobis praecepta eſſe, et e ſacris theologorumque libris repetita contendo: illi autem ea ſe a ratione doceri pugnant: quod mihi verum non videtur: non, quo rationis me poeniteat, aut ea contemnenda et criminanda velim apud certos homines creſcere: ſed, quod arbitror etiam atque etiam cauendum, ne limites rationis humanae iniuſte proferantur, et omnibus interdictis veterem theologorum poſſeſſionem defendendam, ex cuius magna parte eos philoſophi

losophi quidam nunc defectum eunt. Est suapte natura magnifica et superba ratio. Demus ei hunc in theologorum fines aditum: quam se immoderate iactabit, quam per omnem theologorum fundum cum illa sua contortularum et vibrantium conclusiuncularum caterua volitabit!

Videt igitur hoc ratio, neminem posse legibus naturalibus seruandis, hoc est, virtutis pietatisque aduersus Deum studio, beatum fieri, quia nemo sit, quin ab iis interdum aberret, qui summam virtutem et omnibus numeris modisque absolutam consequatur? Mirum profecto, quod per tot secula non viderit, id eam nunc repente, tanquam depressa cataracta, videre. Sed videat sane. Credam: modo, quoniam non ex ipsa audio, verum ex iis, qui se cum hac Egeria assiduos iactant congressus habere, et omnium arcanorum eius arbitri et spectatores volunt videri, modo, inquam, iidem mihi auctoribus idoneis probare possint, rationem vnquam ad felicitatem virtutem perfectam omnibus numeris postulasse: quod valde vereor, vt faciant. Fuit hoc quondam Stoicum, omnia peccata esse paria, eosque, qui natura doctrinaque longe ad virtutem processissent, nisi eam plane consecuti essent, summe esse miseros, neque inter eorum vitam, et improbissimorum, quidquam omnino interesse: vt *Socrates*, si stoice sapiens non fuerit, nihilo melius, quam quiuis improbissimus, nec beatius vixerit. Nempe, sumto illo de peccatis paribus, alterum necessario consequitur. Quid igitur? haec cuiquam potuerunt Stoici probare? Nemini, nisi qui ad eorum auctoritatem ita se contulisset, vt, quae Zeno dixisset, non, quia vera esse idoneis rationibus cognouisset, sed quia dixisset, certa esse crederet. Nam ceteri philosophi, et ii quidem, qui maxime subtiles et elegantes putantur, Platonici et Peripatetici, totam eam rationem vehementer repudiarunt. Itaque etiam Cicero libro quarto de Finibus bonorum et malorum eam sententiam sensui communi repugnare dicit, et hoc nomine ridendam putat.

Sed agamus pressius. Ac primo quidem, quod suae sibi imbecillitatis conscius quisque videt, non posse se legibus diuinis plane satisfacere, sed in multis errare ac labi; iam in superioribus vicimus, rationem non posse veram eius rei caussam perspicere, sed omnem hanc imbecillitatem ad necessitatem naturae referre. Quod si est: quomodo potest existimare, sibi aliqua diuinitus demonstrata ratione opus esse, quae imbecillitati illi medeatur, hoc est, quae naturam humanam tollat, eique aliam substituat: quod rationi ἀδύνατον videatur necesse est. Libri sacri hoc nos docent, qui iidem caussam huius imbecillitatis non ad humanam naturam et essentiam referunt, sed vitio et culpa humana contractam ostendunt. Iam, quae contra leges diuinas acta sunt, in iis aut infirmitas nostra leuiter lapsa est, aut improbitas grauiter deliquit. In quo non potest non intelligi, vtrique generi valde diuersas esse poenas constitutas, neque eandem vim vtrumque genus ad felicitatem turbandam habere. Quid ergo de illis statuet ratio, quae leuia sunt, errore aliquo, aut ignorantia, aut alia infirmitate quadam, admissa? Nonne, quemadmodum de voluptate *Epicurus* dicebat, quae minimae sint voluptates, eas, quia valde paruae sint, non apparere, sed obscurari et obrui: sic ipsa in iis peccatis, propter eorum exiguitatem, obscurationem consequi dicet, vt non magis aliquem miserum possint, quam *Croesum* demti aliquot diuitiis eius oboli pauperem, efficere? Quid? Deum, legum suarum custodem et vindicem, nonne putabit, quoniam summa sit aequitate, et ita cum hominibus, vt pater cum liberis, comparetur, totum hoc genus imbecillitati ac necessitati naturae remittere? In grauibus autem delictis ac sceleribus, neque hoc postulabit, vt infecta fiant, neque tanquam de Lethaeis aquis bibere iubebit: quorum neutrum ne diuina quidem sacris literis consignata auctoritas desiderat: sed primo iubebit vitia superioris vitae virtutibus emendare, et ita maculas susceptas eluere; deinde, quoniam consecutiones

cutiones scelerum et vitiorum plane tolli posse et obrui diffidet, felicitatis quosdam quasi gradus et classes faciet; vt, quemadmodum diuitis nomen non est vni pecuniae summae assignatum, sed in plures ac diuersas numero summas cadit, sic felicitatis nomen faciat commune pluribus, diuersa virtute ac merito. Ita fiet, vt quos classicos esse in felicitatis censura non sinet, quintae tamen classi annumeret, aut, capite censos quidem, sed ciues tamen, haberi patiatur. Ita veteres philosophi statuerunt, quibus nulla alia, nisi rationis lux, affulserat: ita et nos omnes iudicaremus, nisi nouum nos sacrarum literarum lumen collustrasset.

Quid ergo? rationi, hoc est, naturali philosophiae repugnat et contraria est auctoritas diuina? Vti interpretabere illam repugnantiam, ita respondebo. Si quaeris hoc: Num libri sacri tollant aliquod rationis placitum eiusmodi, quod sit simpliciter et per se verum? multum abest, vt concedam. Nam id fieri non potest. Sin hoc: Num diuina auctoritas discrepare possit ab auctoritate rationis, in iis rebus, quae cum adiunctione verae sunt, hoc est, posita aliqua, quemadmodum philosophi loquuntur, hypothesi? facile concesserim. Tamquam haec, de quibus disputatio est, vera sunt rationis iudicio placita: sed sumto hoc: infirmitatem illam hominum esse eis non culpa aliqua aut vitio cuiusquam, sed naturae necessitate propriam, et ab essentia humana ne cogitatione quidem seiungi posse. Id autem aliter ratio iudicare non potest, quia eius in rebus intelligibilibus et necessariis est omnis dominatio: quae autem facta sunt, ipsa assequi per se non potest, sed testimoniis idoneis est docenda. In hoc ergo cum ratione potest sacrarum literarum auctoritas pugnare. Quamquam haec vera pugna non est. Nam si diuina auctoritas rationem doceat, falsum esse id, quod sumserat, neque a naturae necessitate, sed ab hominum culpa esse istam imbecillitatem repetendam, et in ea re esse corruptelam quandam naturae humanae, non naturam

turam ipsam; facile, quae ex sumtione sua concluserat, falsa esse fateatur ipsa, auctoritatique diuinae concedat.

Omnino fatendum est, rationem humanam in toto hoc genere valde hebetem iudicari oportere. Neque solum his, quibus diximus, de caussis, hoc est, quod originem mali humani ignorat, et, quid bonitati, sapientiaeque diuinae consentaneum sit, intelligere satis sua sponte non potest, verum etiam propterea, quod, quae sit hominum post mortem conditio futura, vix per caliginem videt: in quo tamen magna vis ad huius totius caussae diiudicationem inest. Nempe, vt breuiter dicam, quod alio loco fortasse differetur fusius, primo, ratio de immortalitate animi non nisi dubitanter pronuntiat: quam si vel maxime posset certis rationibus nobis probare; tamen, id quod est maximum, qui sit animi post mortem status futurus, quae sit felicitatis aut miseriae ratio futura, ignorat. Et habet quidem, quae de ratione beatorum dicat: sed ea sunt eiusmodi, vt si hic sit, quem fingit, beatorum status futurus, credam, vti nunc est, intra triduum eius me satietatem capturam esse. Nam quoniam eum totum a superiori vita honeste acta repetit, consequitur, vt nihil in eo sit praeter tranquillam recte factorum conscientiam futurum, ex qua vacuitas doloris quidem et animi quies, non autem ea voluptas existit, quae sine satietate in omnem aeternitatem beatorum animos delectet. Itaque illi beati philosophorum, mihi simillimi videntur esse *Epicuri* in intermundiis Diis, qui in omnem aeternitatem nihil agunt, nisi, vt cogitent: *belle mihi est.* Quid enim aliud possunt illae beatae mentes, quibus nihil praeter recte factorum memoriam ad felicitatem datum est, per infinita secula facere, nisi vt cogitent: *honeste vixi; nullius grauioris culpae mihi conscius sum.* Atque hunc sibi animorum statum fingit ratio, etiam hac de caussa, quod nihil videt de corporum in vitam reditu, in quo hic sunt prope omnia. Nam eo constituto, necessarium est, vt magna pars felicitatis nostrae sit in iis

rebus

rebus futura, quae nullam necessariam coniunctionem cum vita anteacta habeant. Corpus animusque ita fere adficiuntur, vt sunt eae res, quibus vtuntur, et quibus vndique circumdantur. Sed eae res, quibus nunc circumfundimur, nullo necessario vinculo cum actionibus nostris cohaerent, sed ab arbitrio eius pendent, qui hoc totum vniuersum constituit. Ipsa quoque vis, quam eae res habent in nos, diuinae cuidam constitutioni est adscribenda, neque vllo modo necessaria est habenda. Abvndamus iam incredibili copia rerum, quae ad aspectum amoenae, ad auditum iucundae, ad gustum dulces, ad olfactum suaues, ad tactum molles sunt, sine vlla opera nostra. Sed quemadmodum in artificiosissimo horologio, vna rotula, rotula vero? imo vno rotulae dente demto, tota machina turbatur: sic omnis illa sensuum perceptio parua re perturbari potest, vt, quae antea amoena, iucunda, dulcia, suauia et mollia videbantur, eadem foeda, tristia, amara, tetra et aspera fiant. Parua cerebri commotione opus est, ad illam vim concipiendarum imaginum, quam nos vulgo imaginationem vocamus, ita perturbandam, vt totus ille iucundus et magnificus mundi conspectus auferatur, et omnia nobis horrenda et terribilia obiiciantur. Vidit *Facciolatus*, Vir Clarissimus, hominem, cetera sanum, qui se milii granum diceret, vixque domo exiret, veritus, ne a pullis comederetur. Non procul Patauio fuit, qui se rapam affirmaret. In Anglia Theologum in Oxoniensi Academia fuisse tradit *Crosa*, qui lagena vitrea videretur sibi se intuens. Quae et quam terribilia spectra obiiciuntur saepe vigilantibus, qui vel sanguinis, vel cerebri vitio laborant, aut quorum cerebrum febrili aestu est commotum. Obeamus carceres, quibus mente moti detinentur: quot his similes homines reperiemus? Sed quod in vno genere fieri potest, quis neget fieri posse in omnibus, et quae in vnum hominem cadunt, ea quis omnibus accidere posse ambigat? Si igitur hoc est totum arbitrii diuini, in quibus Deus

omne animal rebus esse, et quomodo iis affici velit: cogitur, vt, quoniam auctoritate sacrorum librorum edocti tenemus, in corporis possessionem esse animum rediturum, maxima pars felicitatis futurae arbitrii diuini sit, non cum vita hac necessario vinculo coniuncta. Quodsi est, illud quoque consequi arbitror, vt non minus sit arbitrii diuini, qua nos via et ratione ad hanc felicitatem peruenire velit; atque adeo non esse absurdum, quemadmodum Sociniani, et quos Deistas vocamus, criminantur, si, in primis auctoribus libris sacris, a Deo legi naturali adiunctum aliquid dicamus, quod quia ipsi placet, ad felicitatem aeternam consequendam sit necessarium, idque, a Deo nobis traditum, esse firmiter tenendum. Sed horum nihil videt ratio, quoniam illum corporum in vitam reditum necessario ignorat. Equidem scio, philosophis nonnullis ita placere, vt animus etiam post mortem corpusculum aliquod habeat: quod intelligens natura, eaque finita, in primis, quae corpori animali iuncta fuerit, sine corpore omni vere viuere non posse videatur: qua ratione etiam inductos summos veteris ecclesiae doctores quosdam statuisse arbitror, vt hoc obiter addam, animos humanos post corporis mortem dormire, neque plena felicitate frui, donec corpus vi diuina receperint: vt primis a Christo nato seculis, quemadmodum est apud *Iustinum Martyrem*, non probaretur, qui animos humanos statim a morte, et non demum post corpus receptum, felicitatis coelestis participes fore crederet, Florentinoque demum Theologorum conuentu, qui habitus est XV. a Christo nato seculo, id quod nunc tenemus omnes et defendimus, constitueretur, vt animi humani statim a morte, etiam diuulsi a corpore, beati putarentur. Sed nihil hic certi ratio habet, et quae habet, si tamen habet, coniecturis huc illuc trahi possunt; cum diuina sacrorum librorum auctoritas certissima omnia tradat.

Vides, Venerande *Schulzi*, qua via necessitatem reuelationis e libris sacris demonstrandam putem: nempe

hac, vt probata relictis omnibus eorum diuinitate, quod argumentis minime dubiis fieri posse scis, ex iisdemque futurae post hanc vitam felicitatis ratione explicata, doceatur, eam fore eiusmodi, vt non possit, quemadmodum Deistis placet, necessaria virtutis consecutio putari: ex quo fiat, vt sit beneficium diuinum, quod quibus legibus et conditionibus tribuere velit, ipsius arbitrio sit relinquendum. Hac sua potestate, porro docendum est, Deum esse et in primorum hominum innocentia vsum, et in hac hominum corruptione; et in hac quidem eo magis, quod legibus diuinis, ipso Deo iudice, non possunt homines tantum, quantum ab iis iure suo postulare Deus potest, satisfacere. Cui autem rei felicitatem aeternam Deus proposuerit, eam esse non modo dignam iustitia et sanctitate diuina, sed etiam eiusmodi, vt vires legum diuinarum seruandarum afferat augeatque.

Sed haec nunc latius disserere neque otii mei est, neque instituti. Erat enim mihi hac tantum constitutum, vt necessitatem reuelationis nullo modo posse assequi rationem humanam demonstrarem: quam si Tibi demonstrationem probauero, magnum eius fructum me cepisse arbitrabor. Eum enim Te cognoui, qui de his rebus acute possis subtiliterque iudicare. Quod vel maxime viderunt Venerandi Viri, qui in Schola Vitebergensi Theologiam docent, cum Te vniuersis suffragiis Theologiae Doctorem crearunt. Quae res mihi opportunam occasionem faceret, de Tuis laudibus plurimis et maximis dicendi: neque tam, vt alii tali tempore faciunt, amicitiae et gratiae caussa, quam, quia possem vere omnia dicere. Sed eo Te scio esse animo, vt libentius laudanda facias, quam laudes Tuas audias, easque malis a Tua Tibi conscientia, quam ab aliis narrari. In quo Tu secus quidem facis, quam hi eruditorum mores sunt, qui valde ad ambitionem incubuere, sed sapienter tamen et magnifice facis. Nam quemadmodum nullum amplius theatrum virtutis est, quam sua cuiusque conscientia, a qua virtus

potissi-

potiſſimum vult ſpectari, cui propemodum canere cupit ſoli: ſic mihi etiam virtus nullum iucundius tanquam acroama videtur audire poſſe, quam conſcientiam de ſe commemorantem ſibi. Itaque hanc de Tuis laudibus orationem certa cum pace Tua praetermitto. Illud autem quamquam eiusmodi eſt, vt meo animo et conſuetudine aeſtimans, Tibi iniuriam propemodum faciam, qui tot et tam certis documentis teſtatum feceris ſingularem Tuum in me amorem, tamen non poſſum facere, quin Te, incredibili quadam cupiditate ac ſtudio incenſus, rogem, vt amorem et beneuolentiam mihi conſerves Tuam, neque dubites, quin ſim omnia ſtudioſe facturus, quibus me dignum poſſim Tua amicitia probare.

---

pag. 157